Library
of the
University of Wisconsin

Christoph Scheurl's

Briefbuch,

ein

Beitrag zur Geschichte der Reformation und ihrer Zeit,

herausgegeben

von

Franz Freiherrn **von Soden,**
Fürstlich Schwarzburgischem Oberstlieutenant a. D. zu Nürnberg,

und

J. K. F. Knaake,
Lehrer und Prediger am Cadettenhause in Potsdam.

Erster Band.

Briefe von 1505 — 1516.

Potsdam.

Gropius'sche Buchhandlung (A. Krausnick).

1867.

105981
MAY 14 1907
DJ
CCH2

Herrn

Professor Dr. von Scheurl

zu Erlangen

als Zeichen größter Hochachtung

gewidmet

von

den Herausgebern.

Vorwort.

Ob dies Unternehmen der Mühe werth, das überlaſſen die Herausgeber gern Anderen zu entſcheiden; ſie ſelbſt haben nur für die nach allen Seiten hin wichtige Zeit der Reformation einen Beitrag liefern wollen, und daß zur Würdigung einer großen Bewegung vornehmlich Briefe geeignet ſind, darüber kann kein Zweifel ſein. Zum erſten Male wird hier eine Auswahl aus der Correſpondenz eines Mannes mitgetheilt, der, wenn auch nicht mit der Kraft eines Luther und dem Einfluſſe eines Melanchthon, wenn auch nicht mit der Bedeutung eines Reuchlin und eines Erasmus, doch als eine Perſon minderen Ranges den verſchiedenſten Verhältniſſen nahe getreten iſt. Seine Freundſchaft mit Trutvetter, dem Lehrer Luther's, mit Staupitz, dem geiſtlichen Vater des Reformators, mit Carlſtadt, dem ſtürmiſchen Freunde wie Gegner des kühnen Mönches, mit Spalatin, Amsdorff, mit Eck und Cochleus, ja mit Luther und Melanchthon ſelbſt und vielen anderen Perſonen, welche alle mit ihm

in schriftlichem Verkehre standen; seine vielfachen Stellungen, als Syndikus der Deutschen in Bologna, als Professor in Wittenberg, als Rechtsbeistand in Nürnberg, als Gesandter in mehreren Angelegenheiten, in denen er selbst bis nach Spanien gekommen; seine Belesenheit und klassische Bildung, seine Theilnahme an allen Ereignissen und seine Sorgfalt im Verzeichnen derselben, — berechtigen wohl dazu, ihn der Geschichtsforschung mehr als bisher zugänglich zu machen. Wer von seiner weitumfassenden Thätigkeit ein Bild haben will, der wird es in von Soden's Beiträgen zur Geschichte der Reformation, auf welche überdies zu verweisen ist, nicht umsonst suchen. — Von Soden ist auch der Schöpfer des Planes, das Briefbuch Christoph Scheurl's zu veröffentlichen; ihm kommen für diesen Band die Briefe von 1516 zu, die er aus den Handschriften gesammelt und zusammengestellt hat, sowie in dem bald erscheinenden zweiten Bande, der mit dem bedeutungsvollen Jahre 1517 und mit einem Schreiben an Luther beginnen wird, die Schriftstücke von 1517 und 1518; der am Schlusse des Ganzen beigegebene Anhang und die meisten sachlichen Anmerkungen sind ebenfalls als sein Eigenthum anzusehen. Das Uebrige hat der auf dem Titel an zweiter Stelle genannte Herausgeber hinzugethan und die einheitliche Verarbeitung des Ganzen übernommen. Er hat dabei im Texte nur für die deutschen Stücke die handschriftliche Schreibweise beibehalten, in den lateinischen bloß bei den Eigennamen, überall

aber durch die getreueſte Angabe der Lesarten des Manuſcripts dafür geſorgt, daß auf Grund derſelben ein Jeder ſelbſt, wo er mit dem hier gegebenen Texte nicht einverſtanden iſt, ändern kann. Möge denn dies Buch auch an ſeinem beſcheidenen Theile dazu beitragen, die große Zeit der Reformation immer mehr zu erforſchen und zu durchdringen!

Nr. 1. (9. September 1505).

An den Prior Henlein in Nürnberg.

Cod. 306 (362) fol. 259a. Concept von Scheurl's eigener Hand. Das Datum ergiebt sich aus dem folgenden Schreiben. Vgl. Nr. 5.

Ad Henlein [1]) priorem Nurnb.

S. p. d. Audivisti fortasse, reverende pater, quemadmodum hoc anno Bononia nostra propter terrae motum ruinis deformata fuerit: eam rem praeceptor meus Philippus Beroaldus, cuius di manibus aeternam beatitatem praebeant, ex ordine in unum libellum [2]) redegit, quem ad te mitto, partim ut tibi gratum facerem partim quia opera tua mihi opus est. Quidam Nicolaus Hofman Nurnbergensis, aliquando familiaris d. Pirchamers, ante biennium Romae presbyter ordinatus est: qui cum hac transiret, instrumentum eius rei gratia confectum (quod formatum appellant) canponi pignori reliquit intercedente me fideiussore, quod postea aere meo redemi atque apud mensam Fuchiorum eius mandato ei transmisi. Quod cum casu fortuito deperditum sit et ego extra omnem culpam sim, ille bonus vir, non ut sacerdotem sed ut (honor sit auribus!) lenonem et hominem nequissimum decet, multa convicia in me absentem congessit atque verbis ac litteris conatus est nomen meum infamare. Et licet nihil ei debeam, tamen, quia cupio non tantum bonus vir esse verum etiam suspicione mali carere, interea temporis creberrime Romam scripsi, quatenus illud instrumentum ex protocollo iterum exemplaretur, quod perinde ac primum fidem erat facturum. Tandem etiam super eam rem coram ac per litteras mandavi amicissimo meo reverendo patri Paulo Hugoni, verum cum hi de die et mense ordinum susceptorum minime certiores facti fuerint, frustra laborare necesse fuit. Quare velim omnem

[1]) Einen Johann Henlin erwähnt Will in seinem Nürnberg. Gelehrten-Lex. Th. II S. 88 als Lector der Theologie und des Predigerordens zu Nürnberg Priester, der 1502 einen tractatus super Salve Regina herausgegeben. — [2]) Opusculum Philippi Beroaldi de terrae motu et pestilentia. Cum annotamentis Galeni. Am Ende: Impressum Bononiae per Benedictum Bibliopolam Bononiensem Anno Dni M. D. V. Idibus Maii. In Quart. S. Panzer, Ann. VI, 324. Beroald starb im Juli 1505.

rem diligenter ex Nicolao Hofman perdiscas ac Paulum Hugonem certiorem reddas, quod ille ait se huic negotio Romae idoneum procuratorem constituisse. Praeterea, praestantissime vir, commendo tibi non minori studio fidelissimam genitricem meam: noli eam in adversitatibus suis deserere, sed potius cura ut aliquam spem in Christum opt. max. ac optimos filios collocet. Ego quantum in me erit dabo operam, ne spe sua frustretur, verum quia cum summa animi molestia audio iucundissimam patriam peste infectam, non possum illius saluti non vehementer timere, sed potius ut par est diu noctuque eius gratia angor ac excrucior. Nam quod omen Christus opt. maximus Mariaque, caeli regina, avertant, si eam amitterem, nihil superesset quod in hac vita me oblectaret. Quare magnopere vellem fuga sibi consuleret vel in praedia suburbana secederet vel saltem publico abstineret: quod si effeceris, adeo gratum mihi erit, ut hac tempestate nihil gratius facere possis; ego vero curabo, ne tibi ingratus sim. Si dederis literas ad patronum nostrum reverendum provincialem [3]), cura intelligat me eum vehementer amare esseque suissimum amicissimumque. Patri Palmer, Georgio Wolcknstein, Georgio Krause, utrique parenti ac fratri, materterae, procuratrici ad Sanctam Catherinam, verbis meis salutem adscribe, ac si qua in re tibi morem gerere possum, ad me scribe, invenies me fortasse opinione tua tibi amiciorem. Vale. Bononiae.

Nr. 2. 9. September 1505.

An Peter Siber, Dominicaner-Provincial.

Cod. 306 (362) fol. 260a. Concept von Scheurl's eigener Hand.

Ad provincialem Syber. [4])

Amicissimus meus reverendus pater Paulus Hugo, orator tuus, reverende pater, de valetudine tua certiorem me reddidit, qui nuntius gratissimus mihi fuit. Nam tu tametsi propter vehementissimas occupationes tuas nomen meum oblivioni dederis, ego tamen do operam, ut quantum ad me attinet amicitia nostra locorum aut temporum intervallo nequaquam dissolvatur, sed potius perpetuo duret. Itaque saepe de te quaero ac nullum ad reverendam paternitatem tuam absque meis litteris pervenire

[3]) S. Nr. 2. — [4]) Ein Brief von ihm an Reuchlin ſteht in Illustr. virorum epp. ad Joannem Reuchlin Phorcensem fol. pa. Vgl. v. Soden, Beiträge zur Geſch. der Reformation. S. 6.

sino. Itaque cum in praesenti profisceretur is cuius paulo ante mentionem habui frater Paulus, dedi ei has litteras quibus intelligas, me officiorum quae aliquando praeses Betlemicus in me contulisti nequaquam esse immemorem, sed daturum operam ut quandoque tibi gratiam referam, si modo deo et parentibus (te enim loco parentis semper colam, amabo et ut par est observabo) gratia referri potest: id quod propediem futurum confido. Nam annuente deo redibo hoc anno in Germaniam meam, non qualis 7mo abhinc anno profectus sum, sed iuris utriusque doctor, qui reditus gratior, iucundior celeriorque mihi erit quod vehementer cupio tecum esse. Tu si cum Cicerone turpe ducis non respondere in amore ei, a quo provocare, habe commendatam genitricem meam: non utor pluribus, reliqua pro summa tua sapientia intelligere potes, cui me trado dedoque. Vale, pater reverende, et me ut soles (nihil enim dubito) ama. Iterum vale. Bononiae, altera nativitatis [5]) 1505.

Nr. 3. (26. September) 1505.

An den Rath zu Nürnberg.

Cod. 306 (362) fol. 260b. Concept von Scheurl's eigener Hand. Dem folgenden Briefe gleichzeitig.

Ad illustrem senatum Nurenbergensem.

— — — — — — — — Cum — quinto abhinc anno facultatibus paternis perfidia nequissimorum hominum (proh dolor!) exinanitis atque paene exhaustis quinquaginta super ducentos aureos partim pro humanitate vestra partim precibus undecunque litteratissimi avunculi mei domini Sixti Tucher, cui ego quicquid in me est ingenii acceptum refero, mihi dono dederitis, ne desertor studiorum efficerer, sed illis potius ultimam manum commodius imponere possem: nescio, patres conscripti, quibus verbis vobis gratias agere debeam. Illud scio, quod, si cuncta mei corporis membra verterentur in linguas et omnes artus humana voce resonarent, non possem quam mente concepi gratitudinem exprimere: quare ago vobis gratias non quas possum sed quas debeo. — — — — — — — — Itaque, patres conscripti, cum in praesenti illa liberalitas vestra in usus scholasticos consumpta et in supellectilem chartaceam distributa sit ac tenues paternae opes magis quam studium finitum in patriam me redire compellant, memor sum eius sponsionis, quam pollicitus sum,

[5]) Näml. Mariae, vgl. Nr. 1 und 5.

id quod etiam absque aliquo sacramento ab ineunte adolescentia facere constitueram, vobis insciis atque invitis nulli me operas meas locaturum: cumque apud illustrissimnm principem Fridericum, ducem Saxoniae, vestrae quoque reipublicae non mediocriter affectum, pro actate tenera et scientia modica satis honesta conditio mihi offcratur, rogo vos, ad id consensus vester accedat. Ubi accedente robustiore aetate rerum humanarum peritior ac tam secularium quam divinarum legum doctior evasero et vos meorum obsequiorum cupidos sensero, non deero in aliquo reip. vestrae, quin illam si non consilio ac scientia saltem fide ac benivolentia pro virili iuvabo. Interea si aliqua mea erga vos praecessissent merita, commendarem vobis, patres conscripti, optimum parentem meum: sed in magno video me versari periculo, ne barbarus a vobis diiudicer atque rusticus, quod tantis ineptiis eruditissimis auribus vestris molestiam affero. Unum tamen supplicibus precibus vos singulos oro atque per meam in patriam fidem ac benivolentiam obsecro, ut illi quidquid ignorantia seu temeritate in vos peccavit, condonetis atque in pristinam gratiam recipiatis, quod ego bona fide polliccor, quidquid ille omisit, me studiis meis restituturum. Si tamen pro humanitate vestra intuitu meae erga vos observantiae ac nostrae inopiae aliquam honestam conditionem illi offerre dignaremini, fortasse ipse fide, prudentia, experientia multorum opinionem superaret, ego vero cum omni posteritate nostra darem operam, ne collati vos beneficii poeniteret. Ad quod conferendum potuissem vos invitare litteris Petri Soderini, principis Florentinae reip., principum Bentivolorum, senatus, universitatis, collegii Bononiensis necnon fortasse nationis nostrae Germanicae, qui omnes pro sua gratia me benivolentia complectuntur. Sed nolo vos precibus quapartinis aut onerare aut fatigare: nihil peto, nihil volo nisi quod vos ipsi vestra sponte vultis. Valete, patres conscripti, et me in numerum fidelium servitorum ac civium vestrorum ut adscribere velitis, etiam atque etiam rogo: quod ut faciatis, absens per litteras iuro omnia illa, quae cives vestri iurare consueverunt, iuraturus coram, ubi me recipere dignabimini et Christus optimus maximus meum ad vos adventum prosperaverit. Iterum valete et ut facitis imperium vestrum promovete, quatinus maximos commentarios rerum a vobis gestarum aliquando componere queam, qui liber, si non erit cultus, disertus, ornatus, erit tamen laudum vestrarum praeco et apud posteritatem buccinator. Bononiae ex aedibns Innocentii Rangerii patricii, sedecimviri ac per hos bimestres reip. Bononien-

sis dictatoris, anno a natali Christiano quinto supra millesimum quingentesimum.

Nr. 4. (26. September 1505.)

An Sixt Tucher.

Cod 306 (362) fol. 262a. Concept von Scheurl's eigener Hand. Ueber das Datum des Briefes vgl. Nr. 6.

Ad Sixtum Tucher *).

Ad undecimum calendas Octobris redeunti mihi Foro Cornelii (ita enim quam Imolam malo appellare, licet id quoque apud eruditos acceptum sit) atque Faventia, ubi in negotiis patroni mei, per hos bimestres reip. Bononiensis dictatoris, quatriduum absumseram, redditae sunt iucundissimae litterae tuae, in quibus legendis vix dici potest quanta voluptate perfusus sum: intelligo enim in dies magis, id quod certe dubitavi nunquam, me tibi esse carissimum. Itaque quamquam sciam me ex animo tuo minime excidisse, non poteram tamen non subdubitare, ne quid tibi quod nollem accidisset; nunc vero et hac suspicione me opportune liberasti et quid in causa fuerit silentii tui ostendisti. Nam quod minus rite valueris, non potest mihi pro summa mea in te benivolentia non esse permolestum, partim quod salus mea ex tua dependet, partim quod es indignus, qui quicquam patiaris quod nolis, praesertim cum sis vita continentissima. — — — — — — — — Quod, ut confido, Christi opt. maximi beneficio pristinae valetudini restitutus es, mirum est quantum gaudeo. Non possum tamen tuae ac fidelissimae genitricis saluti tam periculosis temporibus non vehementer timere juxta illud ingeniosi poetae: Res est solliciti plena timoris amor. Quoniam consiliis meis, qui perinde ac Apollo ille Pythius consuli consuevisti, minime opus habes, vellem ut matrem verbis meis hortareris, quatinus fuga sibi consuleret vel publico abstineat vel saltem ne ieiuna domo pedem efferat, et quoniam in illius mentionem incidi, mirum in modum te rogo, quatenus benivolentia tua illam foveas atque de filio omnia pollicearis, ego vero fidem tuam egregie liberabo. Quicquid praeterea in

*) Sixt Tucher, geb. zu Nürnberg im J. 1459, war ein ausgezeichneter Rechtsgelehrter seiner Zeit, der, nachdem er in Heidelberg und Italien studirt hatte, seit 1487 eine ordentliche Professur der Rechte in Ingolstadt bekleidete; 1496 wurde er nach Nürnberg zum Propst an St. Lorenz berufen, zog sich aber schon 1503 von der Propstei zurück und starb den 26. October 1507. S. Will's Nürnberg. Gel.-Lex. Th. IV, S. 75. 76.

hanc humanitatis tuae benignitatisque contuleris, id omne in me ipsum abs te collatum iudicabis: sum enim totus ut par est in optima matre. Accedit hoc quoque ad cetera beneficia, quae in me quottidie confers, quorum magnus est cumulus, pro quibus nolo tibi in praesenti gratias agere, partim quod eum me praestabo quem benivolentia tua complexum esse non poeniteat, partim quod ad alia calamus festinat. Nam quod scribis, adesse tempus quo in patriam mihi redeundum sit, quod satis inertium disciplinarum (ut tuis verbis utar) me cumulasse confidis, amice [7]) tu quidem facis, ego vero imbecillis ingenii mei mihi conscius sum, quod dubito dum volui uno tempore in saecularibus litteris et iure civili atque pontificio celebris haberi, ne neutrum mihi contigerit, sed potius inter datas sedes, ut proverbio dicitur, sedeam. Huc accedit quod non potui totos dies noctesque, ut libens fecissem, litteris impendere: habenda fuit ratio valitudinis, qua saepe adversa usus sum; nonnihil quoque angustia rei familiaris impedimenti attulit; aliquid praeterea dandum fuit sodalitati, amicis atque interdum conviviis — — —. Itaque etiamsi ceteris omnibus satisfecissem, mihi tamen ipsi non satisfeci [8]). Molestat me praeterea atque angit auctoritas divi Iheronimi tui qui credit [9]), permultos in viros claros evadere potuisse, nisi prius discipulos esse puduisset, quam sapere coepissent: me tamen sine ambiguitate non pudet esse discipulum, quinimo nihil maluissem quam vel hac hieme tantum Bononiae litteris potuisse operam navare, quod decreveram patriae ac parentibus absentiae meae ac expensarum rationem reddere. Una tamen me ratio consolatur, quod omnia in Italia edisci non possunt et quod ego continuo studio meo fortassis tantum conseeutus sum, ut mihi ipsi in Alemania magister esse possim [10]). Haec corroborat auctoritas tua, cui plus tribuo quam M. Cicero Terentio Varroni. Accingam me itaque itineri quam primum per creditores licuerit, utinamque quoniam eo ventum est cras liceret! Quod autem vis me non recta ad vos concedere, sed alio iter deflectere, mirum est nec exprimere queo, quantum me illud delectet. Quo primum die Alpes, quos Polybius arcem et muros Italiae appellat transcendi, decrevi apud me non nisi doctor in Germaniam redire, Nurenbergam non nisi magnam et litterarum et virtutum, sine quibus litteras maneas et illiberales esse duco, expectationem sustinerem: quo-

[7]) Im Cod. ſteht noch Sed vor amice. — [8]) non satisfeci fehlt im Cod. — [9]) Im Cod. ſteht hier noch se. — [10]) Im Cod. possum.

rum quoniam alteram, nisi amicorum iudicium me fallat, pulchre consecutum me video daboque operam ut illam in dies magis atque magis augeam, alterius eo facilius desiderium fero. Nam quod me vis hoc tempore absque laborum mercede et doctrinae gradu ad vos redire illoque aliquando aliubi quam Bononiae decorari, tametsi Bononiae lucubrationes, Bononiae familiaritates, Bononiae denique magistratus praeclare gesti et honores consecuti longe aliud desiderare videantur (nihil enim tam arduum est neque difficile, quo me non impellat unico verbo auctoritas tua, nihilque est penitus, in quo a te discedendum mihi putem, praeterquam si me voluisses in praesenti in patriam redire), tibi non acquiescam, quod statueram te rogare, quatenus consilium mutares, non quod dulcissimae patriae, optimi avunculi, fidelissimae matris desiderio non vehementissime tenear, sed quod illa tarditate voluptatis cumulum assequi confido. Interea profectionem meam impedit fides pro doctore Mulbeck oppignerata. Nam posteaquam eius pater illum mihi litteris commendaverat atque illius pecuniam ad me miserat et ille absque sponsione mea honeste proficisci non poterat, obligavi fidem meam pro ipso in maxima quantitate, partim sapientissimi viri, eius patris, demerendi gratia, partim patriae nostrae honoris causa, cuius qui me norunt me studiosum esse sciunt: nam alias ille eis, quibus virtus nostra invisa est, materiam Nurenbergae obtrectandi afferebat. Quare velim utrumque convenias, quatinus curent quam primum fidem meam liberent, quatinus ego qui semper honeste vixi honestissime abeam. Quod autem conditionem apud illustrissimum principem Fridericum mihi oblatam, si studia mea respexeris, tenuem, si facultates, pinguem, amplectendam mihi censes, facile acquiesco, tametsi decreverim Maximiliano operas meas locare inhaerendo vestigiis cognominis mei divi Christoferi, qui primum dominum sibi quaerebat. Quod autem pater illam me amplecti vult insciis patribus, immemor fortasse sponsionis meae, in hoc ab illo penitus dissentio. Sed super ea re ad illos do, quas tu in senatu si ita videbitur recitari curabis [11]): quod priusquam fiat, vellem te diligenter illas examinare et pro tuo iudicio quod maximum est addere, detrahere, inducere, cancellare — —; sin autem reddendas non putes, utere consilio tuo. — — — — — Mitto tibi binas litteras ad secretarium vestrum, quarum alteras secundum quod res exegerit consignatas ei reddes. Quod si senatui litteras meas

[11]) Gemeint iſt wohl der vorige Brief.

dandas putabis, facias ei quoque copiam epistolae meae ad Petrum Soderinum, ut ille pluribus [12]) exponere queat, unde mihi secum amicitia contracta sit. Praeterea quoniam pater meus ut par est multum tibi tribuit, vellem illi persuaderes quatenus etiam modica conditione contentus apud Nurenberg. vitam duceret, quod illud honorem nostrum concernere videtur; fortasse aliquando filiorum intuitu pinguior conditio se offerret. Posses quoque illum auctoritate tua qua plurimum polles patribus commendatum reddere. — — — Postremo — — addam unum. Mater mea dedit mihi donum annulum. Qui cum fere nulli digito congrueret, illum pignori dedi, partim ut Hebraicum disceret, partim ut Julium Caesarem, illum perpetuum dictatorem, imitarer, qui cum civilia bella ingressurus esset atque Rubiconem transisset, militum fidem implorans affirmavit, se digito annulum detracturum atque oppigneraturum ad satisfaciendum eis per quos dignitatem suam defensurus esset; unde cum in loquendo exhortandoque annulatum digitum saepius ostentaret, falsa opinione existimatus est ab extrema concione, cui facilius erat videre concionantem quam audire, equestres census pollicitus, id quod eum plurimum iuvisse creditum est; ita ego ne annulum meum amitterem, illum recondidi. Sed ut redeam unde digressa est oratio mea, hoc est Imolam, quae factionibus civilibus exinanita est, bonis omnibus in exilium actis me praesente, bonis civium sub hasta distractis, id quod Foroliviensibus quoque et Caesenatibus accidisse constat. Cum Faventinorum et Ariminensium, qui Sancto Marco parent, republica modestius agitur. Florentini Pisas iam aliquot diebus obsidione cinxerunt; multi confidunt, illos in potestatem suam redacturos, a quibus vehementer dissentio. Tu vale, et omnia quae mea interesse putabis ut diligenter ad me perscribas te rogo, cupio autem super omnia a te amari, id quod hucusque praeclare mihi contigisse gaudeo. Bononiae.

Nr. 5. 6. October 1505.

An Hieronymus Buck.

Cod. 306 (362) fol. 267a. Concept von Scheurl's eigner Hand. Vgl. Nr. 1.

Ad Puck.

S. p. d. Venit ad te Nicolaus Hofman, conterraneus noster, qui cum aliquando Romae apud vos sacerdos ordinatus hac

[12]) Im Cod. precibus.

transiret, dimisit apud me publicum instrumentum, quod formatum appellant, de ordinibus susceptis fidem faciens. Quod cum ei interea temporis apud mensam Fucherorum transmisissem, casu fortuito amissum est, quare bonus vir multa incommoda passus ad alterius ministerium admitti non potuit: quare in praesenti Romam proficiscitur. Iccirco pro iure patriae te rogo quatenus tua opera ei praesto sis, ut formatum suum iterum exemplari ac confici possit et illc susceptis ordinibus uti valeat. Quod si feceris, facies rem auctoritate tua dignam, mihi vero gratam. Vale. Bononiae. 6. Octobris 1505.

Nr. 6. 29. Januar 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 268a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

S. p. d. Ad sextum calendas Octobris dedi ad tc, praestantissime vir, litteras [13]), dedi etiam ad parentes et plerosque alios, quibus quo in statu res meae essent copiose perscripsi, quas audio non absque maximo meo incommodo redditas non esse: quae res faciet me tardiorem ad scribendum ad parentes. — — — — — Verum quas ad te et senatum dederam, earum exemplum ad te [14]) mitto et iterum rogo, ut senatui suas, nisi dissentias, reddas. — — — Caute tamen agendum est, ne mihi, dum gratus videri cupio, res minime grata accidat, hoc est occasio apud principem Fridericum manendi praeripiatur: quare utere consilio. — — — Cum igitur pro doctore Mulbeck patriae honorandae et eius patris demerendi gratia in centum et quinquaginta ducatis praeter usuras et damna, quae proximo mense ad summam 20 ducatorum excrescent, fidem meam obstrinxerim et ea res multum me angat, molestet et profectionem meam impediat: rogo te (arbitror enim patrem meum esse absentem) ne dedigneris ad omnem eam pecuniam exigendam meus esse procurator. Quare instrumentum et mandatum meum publicum huic tabellario ad te perferendum dedi, nec vellem te hominem mendacem audire, si forte asseveret se aut patrem partem misisse aut missurum, nisi mensarii tibi fidem facerent. Scio argues me levitatis, verum nescis quam proclivis sim in amando patriam et facilis in amicis morem gerendo. Verum ne

[13]) S. Nr. 4. — [14]) te fehlt im Cod.

tu cum laborem frustra subeas, dono te uno ex libellis meis, quos his diebus in laudem Germanorum compilavi [15]); alterum, eum scilicet qui ornatus et pulchre instructus est, nisi dissentias, ad Degnardum Pfeffingerum transmittas velim, quem in animo erat, ut debui, tuo nomini peculiariter adscribere, et iam liminarem epistolam dictaveram praeparaveramque, cum forte quidam amicus meus consilium meum mutavit, quod dicebat id muneris principi [16]) litterato et docto qualis est Fridericus non fore penitus iniucundum, oblatum iri aliquando maiorem tui nominis celebrandi opportunitatem, interea servirem tempori. Itaque dedi manus: ut tamen etiam mihi ipsi facerem satis, te ipsi opusculo meo inserui et propter te Erasmum Doplerum, ut si forte ille per Maximilianum ad altiores dignitates eveheretur minus gravaretur mihi praeposituram Sancti Sebaldi renuntiare; de te autem intuitu virtutum et humanitatis tuae habui mentionem pluribus verbis. — — — — — Interea si lucubratiunculae meae tibi probarentur, tametsi in caelo me esse crederem, non vellem tamen tibi eas ita probari, ut crederes me eis studiis multum temporis impendisse. Exacti sunt quatuor anni, quibus in secularibus litteris nullam lectionem nisi quandoque doctoris honorandi gratia audivi [17]); non tamen eo infitias me aliquando, ubi tuas disertas litteras accepi, ad ea studia calcaria suscepisse et in illis succisivis horis animi causa versatum fuisse. Nam dies noctisque interdum magnam partem vendicarunt sibi, ut iusseras, graviora illa iuris civilis studia, tametsi nondum ad optatum finem pervenire potuerim. — — Interea si vigiliolas meas charissimae matri meae commendaveris, in caelo sum, praeclare mecum agi putavero; nam Bononiae qui illas frustillatim viderunt, bene videntur sentire, et cum de illis satis bona fama per totam civitatem percrebruerit, vereor ne minus integrum futurum sit tuum iudicium expectare. Sed vela ventis dare dicitur iucundius, potissimum cum amici in magnam spem me erigant et optimam conditionem apud principem mihi futuram ominentur. Quare cupio illam quam primum complecti et rogo, ut quam celerrime omnia mea negotia conficias. Tametsi autem in singulis velim voluntati tuae obtemperare, tamen magnopere cupio ante profectionem doctrinae gradus accipere. Nam quantum coniectura consequi possum, princeps illo me vellet Bitenbergae

[15]) Christophori Scheurlii libellus de landibus Germaniae et Ducum Saxoniae. Bononiae per Benedictum Hectoris Anno MDVI. Zu Quart. S. Panzer Ann. VI, 325. Will Nürnberg Gel.-Lex. III, 517. — [16]) Cod. principe. — [17]) Cod. audivisse.

decorari, id quod minime vellem: fieri enim potest, ut, si aetate processero, nomen meum in aliquibus Germaniae regionibus celebre futurum sit, cui semper doctoratus Bitenberg. obscuritatem esset allaturus. Adde quod non semper apud principem Fridericum mihi manendum erit, sed aliquando patriae inserviendum. Huc accedit, quod studiis meis, si absque doctoratu proficiscor, maximam notam contraho et quodammodo infamiam affero. Multa id genus consilia praetereo, quae tu [18]) pro tua prudentia facile assequi poteris. Ubi autem me in Italia doctorari vis, non multi facio, tametsi Bononiae mallem et honorabilius esset. Ad eam rem Senis praeter itineris sumptus et temporis iacturam [19]) opus habeo 30 [20]), Bononiae vero 50; confido tamen omne negotium conficere posse per amicos ducatis quadraginta. Nec est quod alias inutiles expensas verearis: magis enim probantur qui huiusmodi sumptibus abstinent, et nos saepe risimus eos qui credunt doctoratus suos magis numis quam litteris celebres facere. Hucusque omnia bene se habent, omnia mihi tecum et cum parentibus conveniunt, nisi pecuniis opus habercm, qui sunt nervi rerum omnium et potissimum bellicarum et ut video disciplinarum. Itaque cum contraxerim etiam aes alienum, quod verti non in vestes (usus enim sum cultu magis eleganti quam splendido) aut in alios inutiles usus, sed in chartaceam supellectilem, in libros formis excudendos ceteraque id genus homini ingenuo necessaria, confugio ad te, unicum refugium moum, sapientissime vir, et quoniam ita nocessitas cogit, te rogo atque obsecro, ut aliqua mutuitia pecunia mihi opem feras, quatenus qui semper honeste vixi honestissime discedere possim. Polliccor tibi bona fide, omnem eam pecuniam ad assem brevi restituturum atque immortalem gratiam relaturum: quod ut citius conficere possim, cupio per Monacum, Lipsim vel Torgam ubi princeps erit volare; non vellem enim aliquo modo hoc tempore Nurenbergam venire. — — — — — Valc et commenda me sapientissimo viro fratri tuo et dulcissimae matri meae. Bononiae.

Et ne tota epistola nostra privata sit, summus pontifex his proximis comitiis non virtute ut pristini antistites nec largitione ut praedecessor suus, sed tantum gratia novem in numerum cardinalium retulit, quorum nomina subieci: archiepiscopus Thebanus alias marchio Delphinati, episcopus Senogalliensis prae-

---

[18]) Cod. tua. — [19]) Cod. iactura. — [20]) Im Cod. ſteht die Zahl am Rande und nur die 3 iſt noch zu ſehen, aber wahrſcheinlich ſoll es 30 heißen.

fectus arcis Romanae, episcopus Reckonensis [21]) Brito orator regis Francorum, episcopus Agonensis [22]) S. d. Nostri papae nepos, episcopus Eugabiensis [23]) magister domus S. d. p., episcopus Papiensis alias d. Franciscus de castro Reni, episcopus Urbinatensis alias d. Gabriel de Phano, episcopus Caesenatensis alias d. Fatius dotarius, reverendissimus illustrissimus dominus protonotarius frater marchionis Mantuae. Scribam ad te unum, quod differre statueram. Fuit apud me affinis meus Georgius Futerer, homo peritus, facundus et a litteris non abhorrens, quem ego oravi, ut affinitatem inter nos contractam sicut morte perimi non poterat ita ne benivolentia quidem abrumperet. Quod cum ille pro humanitate sua mihi pollicitus esset essetque de variis rebus sermo natus, sic inquit: Nihil est, mi affinis, quod te ad litteras et virtutes adhorter (id enim esset quod proverbio dicitur: Equo sponte currenti calcaria) aut quod parentibus tuis nuntiem te eis rebus egregiam operam navare, cum iamdudum apud nos tui nominis studiosos non mediocrem expectationem sustineas. Ad quam vocem eum ego obstupuissem rogassemque quid sciret, ille sic subdidit: Nec est quod cum Alexandro Achilli invideas, qui suae virtutis praeconem Homerum invenerat, cum tu doctorem Sixtum Tucherum tuarum laudum buccinatorem nactus sis, qui apud nos tantus est, quantus Homerus apud illas septem civitates, quae de eius patria contendunt. At ego ubi Sixtum audivi nominari, hominem stimulavi, ut sermonem qui iam interruptus erat continuaret. Tum ille ut est homo disertus: Doctor Sixtus quia virtuti debet, tibi debet. Quam vocem tametsi non agnoscerem, exsilui tamen incredibili gaudio, quod tua in me humanitas vel viro senatorio cognita esse coepisset: ita enim speravi fieri posse, ut aliquando universa civitas ob tanti viri amicitiam me pluris faceret. Verum uti nulla solida est voluptas, ubi me ipsum collegi, indolui si unquam punctum temporis incuria labi sivissem, si unquam discendi occasionem praetermisissem, et eum diutius in ea cogitatione versatus essem, — — decrevi omnem vitam ad litteras referre et virtutes, decrevi vitam in sacris agere et illam laudatissimis semper actionibus instruere. — — — — — Adhuc unum subiiciam. Ex libellis meis, si modo mei dici possunt filii emancipati, inobedientes, ambitiosi, temerarii, ad sexaginta primo statim biduo effracto carcere in publicum

[21]) So Cod., sonst Redonensis oder Rodonensis. — [22]) So Cod., wohl Anglonensis. — [23]) So Cod., sonst Eugubinus.

dilapsi sunt et tanto clamore omnia complent, ut reliquos quoque horatim ad libertatem provocent alliciantque. Itaque difficile mihi est, undecim urbis portas observare et profugos conquirere, praesertim cum aliqui nuntientur iam se itineri accinxisse ad Italiam peragrandam Germaniamque: quare tu quoque sententiam (si modo nondum tulisti) muta et manus da et vela ventis. Iterum vale, amicorum carissime, et tres auratos equites nostros verbis meis salute impartire; dulcissimam vero matrem meam commendatissimam habe, qua una re vehementer tibi obligatum vehementissime obligabis. Bononiae quarto calendas Februar. 1506.

Nr. 7. 1. Februar 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 276a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad S. Tucher.

S. p. d. Ad quartum calendas Februarias dedi ad te, praestantissime vir, nescio quem libellum his diebus in officina mea fabricatum, dedi etiam litteras de omnibus negotiis meis copiose perscriptas: eodem die accepi tuas identidem ad 19 calendas Ianuarias bis datas. In summa subit illud. Quid faciam? angam excrucicmne me? edamne mihi cor? quid deinde assequar? Quod pro doctore Mulbeck fidem meam obstrinxi, factum est cum mea gravi iactura. Proinde quia facta pro infectis haberi non possunt, non est disputandum cur astrinxerim, tametsi matri quae acerbius mecum agit plures rationes assignaverim, sed quomodo illam liberem laborandum. Nec senatus consulto Macedonum mihi succurri potest: nam praeterquam quod illa exceptio apud nos opponi non consuevit, nullus numus in venerem aut aleam absumptus est, sed omnis illa pecunia in victum, vestitum, valetudinem, doctoratum, libros ceterosque usus scholasticos et antiqua debita dissolvenda versa est. Itaque nisi pro tua in me benivolentia tua opera mihi consulueris, non possum cum meo maximo incommodo hoc tempore proficisci. Itaque misi ad te eius chirographum et publicas tabellas duas: da operam, si unquam me amasti, ut eius bona discutiantur et eius portio huic aeri alieno assignetur, quae si contra opinionem meam non suffecerit, velim ipsum anathemate notari aut si videbitur in vincula coniici, quod ita confido matrem et amicos suos illum liberaturos. Quod si haec omnia frustra erunt, annitendum est, ut medietas et usura ad me transeant et ipse

Jacobo Judaeo, cui aliam dimidietatem debet, aliquos idoneos fideiussores meo loco assignet, qui quantum volet cum dispendio tamen suo expectare cogetur, oblata scilicet aliqua idonea cautione. Quodsi tibi, doctissime vir, molestus sum, da rogo facilitati meae veniam; dabo operam, ut tanti beneficii etiam ad posteros meos perveniat memoria. Confido praeterea libellum meum me apud principem excusaturum, me vero omnem tarditatem diligentia compensaturum. Vale et iratae matri me reconcilia et commenda; tu vero mutuo me diligas velim. Bononiae, calendis Februariis 1506.

Nr. 8. 22. Februar 1506.

An Georg Trautenberg.

Cod. 306 (362) fol. 277b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Georgium Trawtenbergum.

S. p. d. Mitto ad te, praestantissime vir, epistolam quandam liminarem, qua l. fr. a fratre tuo nomini dedicavi, quatenus omnes meam in te benivolentiam intelligerent atque gratitudinem: quae si tibi ut spero grata erit, aliquando plura ad te scribam. Si qua praeterea in re tibi morem gerere potero, scito me ex eorum numero esse, qui te non tantum diligunt, verum etiam amant. Commentariis tuis (tuos enim appello, quia tibi uni adscribuntur) prope diem Benedictus [24]) ultimam manum imponet. Si aliquos Romam vis transmitti, faciam te voti compotem. Interea venient Romam quidam libelli ex officina mea his diebus in laudem Germanorum et ducum Saxoniae editi. Quos si una cum amicis tuis brevi lectione dignaberis, rogo ut amore auctoris qui totus tuus est melius de his sentias atque loquaris quam rector noster, qui me capitali odio prosequitur, quod eius magnificum nomen silentio involverim. — — — Tu si mihi gratiam referre volueris, cura ut amici tui, quos scio esse plurimos, auctoritate tua adducti aliquos emant; distrahentur enim in campo Florae cura Iheronimi Buck, municipis mei, cui id negotium dedi. Vale et amicissimo tuo Caspari Emerich me plurimum commenda, cuius sapientia quottidie apud nos fit clarior et eius virtus tanto desiderabilior, quanto is qni sibi suffectus est negligentior est et homo pauci momenti et nullum fere amicum habens praeter nescio quem Hallensem, hominem nulla fide praeditum. D. Elizabethae, quod nomen mihi dulce est, Roma-

[24]) Benedict Hectoris, Buchdrucker in Bologna.

nae verbis meis salutem adscribe. Tu vero me mutuo ama. Bononiae, 8. calendas Martias.

Nr. 9. 28. Februar 1506.

An Georg Jütterer.

Cod. 306 (362) fol. 279a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Georgium Futerer.

S. p. d. Posteaquam anno abhinc secundo egregia vestra virtute imperii vestri terminos promovistis, sapientissime vir, nullus iucundior mihi nuncius allatus est quam quod audio te ad undecimum calendas Februarias cum optima filia praestantissimi viri Anthonii Tucheri, cognati mei, sponsalia celebrasse. Quae res tanto gratior mihi extitit, quanto acerbius ferebam mortem pientissimae Ursulae, consobrinae meae, quantoque magis dolebam tam egregii viri affinitate tam subito me spoliari, licet affinitas semel contracta morte perimi non possit. Quia igitur voluisti omnino meus esse affinis, congratulor tibi totis viribus, qui uxorem duxisti formosam, dotatam, pudicam, patriciam; congratulor etiam clarissimo viro Anthonio Tuchero, qui ex sexcentis procis eum generum sibi delegit, qui opibus, peregrinatione, sapientia, facundia, probitate quodque mihi iucundum est litteris conspicuus sit et domi et foris, pace et militiae clarus. Deum igitur optimum maximum precor ut hoc connubium sit vobis foelix, faustum ac fortunatum, ut concorditer, feliciter, amanter annos Nestoreos traducatis, ut filii sint sicut novale olivarum in circuitu mensae vestrae, et ut denique videatis filios filiorum vestrorum et pacem supra Israel. Quodsi mihi licuisset nuptiis vestris adesse, nihil eorum omisissem, quae mei fuissent officii atque muneris. Verum transmisi ad te loco mei quendam libellum in laudem Germanorum et ducum Saxoniae a me compilatum. Qui si tibi probatur, gaudeo, tametsi magis gauderem, si apud vos universos p. conscr. tantum mihi favoris ac benivolentiae reportaret, quantum apud scholasticos Germanos, commilitones meos, odii contraxit atque malivolentiae, et [25]) id tantum propterea quod Nurenbergenses, ut debent, a me summis laudibus celebrantur et illorum virtutes etiam in Italia admirari incipiunt. Verum quantum gratiae apud vos habiturus sit nescio; illud scio quod de iucundissima patria et vobis singulis bene merendi nullam occasionem praetermittam. Quod

[25]) Cod. ob.

igitur superest, integerrimo socero tuo et dulcissimo patrono meo doctori Sixto, iam etiam in Italia cognitis, me commendatissimum effice; novae vero nuptae et suavissimae matri meae, quam tibi commendo, verbis meis salutem adscribe, et ut me non tantum in affinium verum etiam amicissimorum tuorum rationarium adscribas, te etiam atque etiam rogo. Vale. Bononiae, pridie calendas Martias 1506.

Nr. 10. (Im März 1506.)

An Caspar Emerich.

Cod. 306 (362) fol. 280a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad d. Gasparem Emerich.

S. p. d. Utriusque nostrum studiosissimus Hermanus Stolbergus reddidit mihi epistolam tuam, eruditissime vir, quae — — mira me voluptate affecit. Semper mea fuit sententia, viros doctos et bonos mihi conciliare, quorum amicitia me doctiorem reddit atque meliorem. Itaque cum ex eo numero te semper iudicaverim, institui aliquando aliquo officio tuam gratiam inire dedique ad te litteras, quibus conatus sum nomen tuum famigeratum famigeratius reddere et virtutes tuas apud plures praedicare: quae quoniam a te parvi aestimatae sunt, frustillatim discerpti meo iussu piperis cucullos subicre. Quod autem in praesenti aliquid huius modi ex officina mea desiderare te suspicor, facile tibi morem gererem, partim ut de te bene mererer — — —, partim ut communibus nostris, immo omnium bonorum inimicis stomachum moverem. Verum quoniam hoc tempore nulli mihi commentarii sunt auctoritate tua digni, non possum desiderio tuo accedere. Nam Monteferratus [26]) propterea quod iamdudum sibi persuasit nonnullis monumentis nomen suum illustrasse, lucubrationes suas magno pretio venales habet; quin apud se constituit nulli quicquam sacrare nisi prius accepta amplissima mercede. Itaque saepe mihi affirmavit, tametsi plura sibi pollicitus sis et Hippolytus 12 ducatos dono dederit et quottidie per litteras, si nomen suum celebretur, maiora promittat, tamen neutri nisi allatis muneribus quicquam velle dedicare et, ut plane intelligas hominem, nullius fidem velle sequi. Maluit his diebus rectori ter aut 4 gratis legisse et lectiones deserere quam aliquantulum temporis mercedem expectare. Ipse enim rector consilio nescio cuius Hallensis in

[26]) Johann de Monteferrato, Scheurl's Lehrer in Bologna.

summam paupertatem deductus est: posteaquam enim pater nullas pecunias mittere speratur, nihil fidei apud Bononienses et quod peius est apud Iudaeum unquam habere potuit. Adde quod exceptis paucissimis nullo familiariter utitur et, ut de me qui nullum unquam offendere consuevi loquar, propterea quod in libello meo eius magnificum nomen subticui, mortali me odio prosequitur et 30 Bon. per iniuriam a me repetit pro nescio qua coena, ad quam me invitaverat, quin cum consiliario suo Hallensi coactus est invectivam in me conscribere. Verum hominibus doctis, ut mea fert opinio, defuit argumentum, eruditio, conscientia et quod sciebant se bestiam cornutam petere. Itaque quum Augustus credatur dedita opera Tiberium in imperio sibi suffecisse, quatenus ipse aliquando desiderabilior fieret, tibi forte fortuna accidit, ut inscitia et arrogantia et paupertate successoris tuae incredibiles virtutes quottidie magis atque magis elucescant, admirentur, praedicentur. In commune enim omnes de te sentimus quod de homine docto atque sapiente. Itaque haberem quidem argumentum maximum de te scribendi, et eam provinciam libenter subirem, dum modo per commentarios ut diximus liceret: qua tamen re si te vehementer delectari animadvertero, dabo fortasse operam, ut liceat. Epistolam tuam non semel sed iterum atque tertio legi, tamen eam plane intelligere non potui nec satis scio, quisnam sit cuius nominis recordatione tantopere delecteris: quare scribes posthac apertius meminerisque te ad amicissimum tuum scribere. Istis diebus missi sumus a protonotario Bentivolo ad Theodorum Westerstet legati; causa fuit, ut gymnasiarcham praefecturam inire vellet. Qui ut est homo placidus libenter nos exoratos remitteret, si modo navis ex Asia veniret: itaque quid futurum sit usque ad cal. Apr., incertum habeo; nam ei interea ius deliberandi dedimus.

Nr. 11. (11?) Mai 1506.

An Caspar Emerich.

Cod. 306 (362) fol. 283a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad doctorem Gasparem Emerich.

S. p. d. Pridie calendas Maias annuente deo salvus Bononiam redii [27]). Postridie eius diei coacta est universitas: habui orationem qualem fere anno superiori, nisi quod argumentum

[27]) Im April 1506 war Scheurl nach Neapel gereist, s. v. Soden's Beiträge zur Gesch. der Reformation. S. 7.

mihi deerat dilaudandi eius, qui se magistratu abdicabat. Electus est Guidus Anthonius, patricius Mantuanus, qui ut intellexit me tibi esse deditissimum, mecum egit, an vestes tuas iusto pretio emere posset. Igitur si illas distrahere in animo est, negotium da alicui homini gnaro et amico. Ego operam meam amplius tibi non offero, quod iamdudum omnem industriam et me et mea tibi ultro spopondi; neque propterea me tibi blandiri existimes velim, quod pecuniam quam mihi credidisti hucusque non exsolvi, nam illam accessu paucorum dierum tibi reddam et quidem ut spero cum foenusculo. Interea accipias rogo meam excusationem, quando res meae perfidia conterranei mei in praesenti ad summam inopiam redactae sunt. Quod ad novitates attinet, arbitror Maximilianum potius Pannoniis bellum illaturum quam hoc anno Italiam petiturum. Doctor Stolbergus et ille alius et ante eos concivis meus Hieronimus Schucz, hic in utroque iure doctoratus, in Germaniam profecti sunt. Tu vero cura, ut valeas. Reverendo contubernali tuo d. cantori, amicissimo meo d. Georgio Trautenbergo, doctori Grosn, praeposito Pinsch me commendatissimum effice .....[28]) Maias 1506.

Nr. 12. 11. Mai 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 284a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad doctorem Sixtum Tucher.

Adscriberem tibi salutem, si qua in me esset, sed nemo dat quod non habet. Quod ego omni salute destitutus sum, nihil amplius expedit litteris significare, quum iamdudum id frequentissime a me factitatum sit et iam plures menses intercesserint, quibus nullus nuntius nullave pecunia ex patria aut aliunde mihi allata est. Itaque in quanto periculo et dignitatis et vitae verser, pudet me litteris committere: ob fidem tutandam omnem meam supellectilem pignori dedi. Itaque dum hebdomadatim litteras expecto et ex crastino pendo, hodiernum perdo; quare in praesenti in re litteraria nullus sum, domo absum et foro, omne meum studium circa nomen et dignitatem non absque labore et continuis vigiliis partam retinendam versatur. Quod reliquum est, do operam ut secunda sim valitudine: qua si propter intestinum dolorem adversa usus fuero, actum est de

[28]) Die Worte, welche fehlen, sind unten weggeschnitten; es scheint nach den stehen gebliebenen Zügen „Bononiae quinto idus“ ergänzt werden zu müssen.

bonis, de honore et de omni denique vita mea, quod me miseret non tam mea (semel enim mihi moriendum est) quam eorum causa, quibus aliquando industria mea usui esse potuisset et ornamento. Veterani commilitones mei profecti sunt, novitii quantulaecunque gloriolae meae invident. Itaque cum indignitate derelictus sum ab omnibus et quotidianae expensae et usura et me et perfidum conterraneum meum aggravant. Quod etsi pecuniae integrae, quas per litteras petii, afferrentur, tamen nescio quomodo abire possum, licet longe maius dubium mihi sit, quomodo interea manere possim, nisi tu statim, ut hucusque confisus sum, tua prudentia mihi opem tuleris. Vale, et si haec epistola tibi solito ineruditior videbitur, nulla te subeat admiratio: poëtae, qui vulgo ingeniosus cognominatur, ingenium defecisse dicitur in eo libro quem de tristibus inscripsit, qui licet in exilium actus multis incommodis afficeretur, tamen mihi longe plura adversa accidunt. B. 5 idus Maias. In quibus si aliqua voluptate afficior, ista est. Augustinus Beccarius, qui hunc annum praeturam apud nos cum summa laude gessit, cum his diebus apud inclitissimum Maximilianum fuisset essetque natus sermo de re litteraria, commendavit me illius maiestati non vulgariter, dixit me hominem eruditum, prudentem et rerum secularium non expertem, affirmatque eo sermone imperatori minime displicuisse. Itaque video quidem, non mediocrem me famam praecedere; quomodo autem illa maior inveniar, hoc opus, hic labor est. Adhuc valde plura mihi tecum essent commentanda, doctissime patrone, sed carmina proveniumt animo deducta sereno. Vale.

Nr. 13. 5. Juni 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 287a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

Si vales, bene est. Gaudeo dupliciter, quia te amo et quia mea salus ex tua dependet; ego ea sum valitudine, qua sunt homines inopes et aere alieno obstricti. Quod doctor Mulbeck contra omnem honestatem, contra publicam obligationem, contra fidem saepe iuratam, non ut homo probus, sed ut omnium bipedum nequissimus excipit; utinam bene exciperet! Sumus quidem tres fideiussores: nam Joannes Brandes in 45 ducatis Jacobo Judaeo una mecum promisit, verum me mandante, meo periculo et cavente illum indemnem futurum, qui mihi in praesenti cete-

ris molestior existit; praeterea in 35 duc. interecssit una mecum Wolfgangus Schucz sua sponte. Quo casu beneficio divisionis relevari possem, nisi illud usurae quae ad 30 duc. ascendunt oxinanirent. In cetera summa mea gravi iactura spopondi solus: quare nisi omni illa pecunia vel maiori parte et pro residua, si fieri potest, oblata alia cautione habita non possum cum dignitate proficisci. Quare danda est omnis opera, ut sententia executioni mandetur, omnia bona eius etiam minima quaedam auferantur, domus quam primum divendatur et sua et matris portio huic debito assignetur vel, si fieri posset, interea tanta quantitate hypothecetur, quadraginta aurei qui sibi ex publico cedunt arrestentur vel tuo intuitu ante tempus solvantur, quae omnia si minus suffecerint anathemate notetur vel, si videbitur, in carcerem coniiciatur. Posteaquam enim ipse tam nequiter me tractat, vellem te nulla humanitate uti, nec tibi molestum sit pro tibi deditissimo laborare, qui tibi morem gerere in deliciis haberet, adde quod referam gratiam. Quare velis me iuvare, quatenus quam primum ad vos redire integrum sit; qua autem via id futurum sit, utar consilio tuo, concedamne recta Nurenbergam an potius Vienna Vratislaviam et deinde ad principem advolem, quod mallem, nam praeter te et matrem nihil est Nurnbergae quod me delectat. — — — — — — — — Adhuc multa haberem tecum commentandi, nisi dolor intestinus prohiberet; scribam tamen aliquid de rebus publicis, quae alioquin animum meum [29]) non mediocriter oblectare consueverunt. Qui ex Germania veniunt, nunciant Palatinum exercitum parare, quo civitates suas a vobis recipiat. Quod si ita est, non dubito, quin vos quoque in armis sitis et milites scribatis; utendum enim est bello, ut in pace vivamus. Habetis vestrae reip. studiosum Maximilianum, qui deus est terrenus; estis iamdudum recepti in foedus Suevum, ieistis praeterea privatum cum marchione, duce Alberto, archicomite Hassiae et principe Wartenberg.; polletis industria pugnandi, affluitis pecuniis qui sunt nervi bellorum, non deerunt vobis strennuissimi milites, fuistis praeterea toto hoc anno occupati in machinis fabricandis. Si vultis esso dementes, nunquam deerunt vobis bella: quin potius excurrite, hostem priores lacessite, Novum Forum obsidione cingite, quae oppugnatio si erit difficilis non tamen impossibilis. Expedit reip. Romanae, ut ea civitas ad imperium revertatur vel vi belli vel restitutione aureum vigintidenum millium, quibus aliquando hypothecata fuit,

[29]) Cod. mecum.

quod nisi eam ditioni vestrae subiugaretis nec alias civitates commode habere potestis. Ea subacta fortassis fortuna vobis arrideret ut etiam Rubeum Montem, asylum latronum, solo aequare possetis. Quibus rebus confectis securum esset vobis egredi et in vado res vestrae essent atque in portu, quod ut cito fiat Christus opt. max. faxit. Interea revertar in Italiam, cuius itinera magnam partem his diebus referta fuerunt fratribus S. Francisci, quorum multa milia ad celebrandum generalissimum capitulum Romam sturnatim graculatimque advolarunt: laborant maximis inter se discordiis, sunt enim in 7 sectas partiti; vix arbitror, pontificem aliquid profecturum. — Vale, doctissime vir, et ineptiis meis veniam da. — — — Bononiae, nonis Juniis anno 1506.

Nr. 14. 5. Juni 1506.

An Paul Hugo.

Cod. 306 (362) fol. 289 b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Paulum Hugonem.

S. p. d. Unum est quod a te peto, reverende pater, id quod confido te mihi facile praestaturum. — — Agit Romae quidam meus amicus Gaspar Emerich Gorlicensis, i. u. doctor et aliquando huius studii moderator. Hic cum nuper istic essem, mutuo mihi dedit tres ducatos, quibus opus habui partim ad itineris sumptus, partim ut sacris initiarer: rogo te vehementer, nisi incommodum sit, ut chirographum meum ea pecunia liberes atque illi nomine meo immortales gratias agas; ubi redieris, dabo operam, ne te collati beneficii poeniteat. Rogo te praeterea, ut mihi regulas cancellariae novissimas, quas ante paucos dies librarii in manibus habere dicebantur, tecum afferas. Postremo cupio scire, an clarissimus vir Georgius Trautenbergus triplicatos suos commentarios [30]), quos ad eum transmisi, acceperit, cui me vehementer commendabis. Tu vero si qua apud me sunt quae honori vel utilitati tuae futura putas, ea tuo iure a me vendica. Bononiae, 5 nonas Junias [31]) 1506.

---

[30]) Cod. commentorias. — [31]) So Cod.; die Stellung im Cod. fordert den 5. Juni als Datum, also = 5. nonis Juniis, nur verschrieben.

Nr. 15. Ende Juni 1506.

An Lucas Gauricus.

Cod. 306 (362) fol. 292b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad magistrum Lucam Gauricum [32]) astrologum.

S. p. d. Rogaverat te nuper per litteras utriusque nostrum amicissimus Augustinus Beccarius, praestantissime vir, quatenus astrorum peritia, in qua tibi nostra aetas principatum defert, in unum libellum congereres, qualisnam mihi futura esset vita. Verum quia audio te diem, quo in has tenebras susceptus sum, oblivioni tradidisse, eum constitui ad te scribere et te etiam atque etiam rogare, ut in conficiendo eo negotio exactissimam diligentiam adhibeas. Natus sum itaque 1481 die undecima Novembris, qui erat dominica et Divo Martino sacer, circa meridiem. Ut autem ipsam horam facilius colligere possis, anno 1499 calendis Septembris coepi laborare febribus et duravit ea infirmitas sesquimensem. Praeterea ante duos annos mense Julio vehementer aliquibus diebus aegrotavi. Postremo mense Decembris anno praeterito expertus sum fortunam valde inimicam: bis enim laesus sum enormiter. In praesenti propter fidem pro quodam municipe meo, qui nequiter solvendo ... [33]), oppigneratam iam pluribus mensibus proficisci non possum. Ipsa vero fortuna vehementer in patrem grassatur, ante 7 annos eripuit illi tres quartas omnium bonorum: interea per iniuriam contumeliose coniectus est in carcerem; quicquid denique molitur, fortuna sese sibi contrariam offert. Mitto ad te iudicium cuiusdam Hebraei, si forte te iuvare posset; parentes, fratrem et me sicut cetera nonnulla verissime descripsit. Consulo te imprimis, simne sacris initiandus an paganus seculi mansurus. Cupio praeterea, ut revolutionem paucorum annorum annectas. Faciam tibi satis cum maxima animi gratitudine, tu modo eam rem diligentissime commendatam habe: curabo, ne te laboris poeniteat [34]), tu modo statim mihi morem gere; nam propediem Iustinianus ad te veniet.

---

[32]) Lucas Gauricus, berühmter Aſtrolog, 1476 im Neapolitaniſchen geboren, des Julius Cäſar Scaliger Lehrer in der Mathematik, Profeſſor derſelben zu Ferrara um 1531, ward 1545 Biſchof zu Civita in der neapolitaniſchen Provinz Capitanata, dankte jedoch nach 5 Jahren wieder ab und ſtarb 1588 zu Rom. — [33]) Das fehlende Wort, wohl est oder erat, iſt im Cod. weggeſchnitten. — [34]) Cod. poeniteas.

Nr. 16. 3. Auguſt 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 296a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

S. p. d. Explicabo tibi paucis, quo in statu sit universa Italia. Opinor te audivisse, quemadmodum superiori anno Ipolitus Estensis, Romanae ecclesiae cardinalis, Julio fratri suo naturali propter nescio quam mulierem utrumque oculum erucre conatus est. Qui ut voto emisso pristinae valitudini restitutus est, tantam indignitatem diu multumque animo agitans tandem interiectis multis mensibus, ut tenax est iniuriarum memoria (quod enim offendit, nunquam obliterat), in capita ipsius cardinalis necnon alterius fratris Alfonsi, cui delatus est paternus ducatus, quod tantum facinus dissimulaverat, conspirat una cum multis civibus, potissimum comite Albertino Buscheto (illi enim principatum Carpensem pollicitus erat) et illius genero, qui apud Mutinenses cum magistratu erat, communicato consilio cum Ferdinando, qui tamen non assensus est (neque fratribus enim e medio sublatis ad ipsum principatus spectabat), magnopere refragatus in summa. Et cum superioribus diebus Alfonsus Hispaniam gratia affinis sui ducis Valentini liberandi peteret, negotium datur cuidam musico, quo princeps in deliciis utebatur, qui hominem veneno peteret aut oblata occasione telo: qui ut re infecta domum rediisset, detecta est conspiratio. Quare coniurati partim fuga dilapsi sunt, partim in carcerem tracti, tres personati patibulo suspensi. De Alberto hodie (ita enim fama et litteris vulgatum est) extremum supplicium et id quidem exquisitissimum sumitur. Ferdinandus in arce veteri observatur, in exilium iturus aut fortasse poculum hausturus. Ipse vero Julius, tanti facinoris auctor, apud marchionem Mantuanum latet, apud quem profugi abducendi gratia oratorem agit comes Cortigiae. Itaque Ferrariae omnia tumultuaria. Nunc vado in agrum Parmensem, qui iampridem oppletus est equitatu Gallico, qui quonam traiecturus sit incertum habetur, nisi quod fama est pontificem velle duos Gallos, quatenus regiis precibus faciat satis, in senatum apostolicum cooptare, alterum propinquum quendam Rothomagensis, nunquam antea auditum, ut unam domum

tres simul cardinales illustrarent, alterum reginm capellanum, ea tamen conditione, ut rex pontifici contra Bononiam quantas maximas potest suppetias ferat. Praeterea pontifex inter Florentinos et Pisanos ad triennium inducias composuit, quatenus Florentini suas copias castris pontificalibus, quae prope Fulgineum constitere, coniungant. Adde quod pontifex tantas pecunias, qui sunt nervi bellorum, brevi contraxit quantas ante eum memoria hominum nemo. Itaque quamquam pontifex et rex nos in bona spe esse iubeant, tamen parum fidei illorum blanditiis adhibemus; quare civitatem communimus instruimusque quibuscunque rebus ad bellum necessariis. Conspiceres omnes officinas refertas armaturis, et tametsi in mole Adriani nescio quis astrologus observetur, qui hoc mense pontificem et eius familiarissimum cardinalem Papiensem interituros praedixerit, tamen magis in nostris armis confidimus quam illius morte, nec dubitamus Julium profligare, qui Alexandro illi magno pontifici restitimus. Sumus enim omnes parati in acie cadere vel saltem pugnare, partim quatenus libertatem dulcissimam tueamur et Bentivolos conservemus, qui nos multis annis in festa pace gubernarunt, partim ne iugum pontificium subeamus. Videntur enim nobis illius terrae esse quaedam latrocinia, quae quottidianis factionibus exaninatur, ut toto anno audivimus in Foro Cornelii, in Foro Julii, Perusiae, Caesennae, Assisiae, Senogalliae et in praesenti Fulgineae, quamquam aliae quidem civitates earum calamitatum immunes sunt. Sed apud Januenses, quo primates se novem in exilium eiecerunt, sicut Ticini etiam leviter tumultuatum. De Cremonensibus vero rumores qui allati erant parum mihi videntur constare, quod dicebantur ad Gallos voluisse deficere, quare duodecim summates Venetias ad supplicium essent transmissi. Itaque tota fere Italia studet rebus novis, nescio an propter annonae vilitatem, quae tanta est, ut uno asse distrahi non possit, quantum mense abhinc decimo sexto totidem assibus emere summa erat gratia. De bello Ungariae nihil ad te perscribo, quod non dubito illius eventus te citius quam nos intelligere. Praedicant tamen Ungari reginam filium haeredem peperisse, quamquam nos illis nullam fidem adhibeamus (idem enim superiori mense de filia iactitabant), nisi forte regina ex genere colubrino sit, quae trigesimo quoque die parturiunt. Utcunque si quis in secularibus studiis excelleret, magnam haberet occasionem historiae sui temporis texendae et nominis sui immortalitati commendandi et tanto maiorem quanto paueiores historiographos aetas nostra alit: mortuus enim est

M. An. Sabellicus [35]), si modo mori potuit, qui enneades ab origine mundi usque ad Julium 2 cum magna dignitate conscripsit. —— Eam mortem Veneti indigne acerbissimeque ferunt, nec immerito: res enim a se magnifice gestas ille longe magnificentiores, ut Itali consueverunt, in litteras referebat, saepissime etiam magis quam veritas admitteret, quae historiae potius quam panegyrici lex esse debet, referebat tamen applaudente toto populo Veneto et illi magnas gratias agente, sicut senatu uberrimam mercedem constituente. Novitates Italiae velis P. Werner communicare et illum nomine meo salute impertiri; fratri vero tuo et illius genero me plurimum commenda. Pridie Dominici.

Nr. 17. 25. Auguſt und 1. September 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 300b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

Si vales, bene est. Retulit mihi quum hac iter faceret doctor Leonardus Egelstainus, homo ut scis doctus, facundus et tui studiosus, se Romae audivisse te ethica laborare. Rursus constat mihi, circiter calendas Quintiles te visum esse equo insidentem et nihil invalitudinis in fronte prae te ferentem. Itaque inter spem et metum positus sum et inter Scyllam et Charybdim fluctuo. Ego vero quod ad me attinet iam complusculis diebus febricula aestuo, ita tamen, ut nondum magnam partem diei lectulo incumbam. Quare permisi me medicis, qui eam aegritudinem in quendam animi maerorem reiiciunt, id quod iamdudum praesensi et quantum in me fuit ei rei occurri, non occupando animum meum gravioribus studiis sed secularibus litteris oblectando. Verum in quem statum res meae deductae sunt, pudet me calamo committere: omnibus amicis destitutus sum; nisi me desiderium meorum retineret, vellem mortem optare. Fovet me tantum expectatio tuarum litterarum: quae sunt in itinere, sunt bene quidem; sin minus, nihil est quod ad

[35]) Sabellicus, eigentlich Marcus Antonius Coccius, einer der Wiederherſteller der klaſſiſchen Studien in Italien, ward um 1436 zu Vicovaro an der Grenze des alten Sabinerlandes (daher ſein Beiname) geboren und ſtarb den 18. April 1506. Er ſchrieb unter Anderm rhapsodiae historiarum enneades ab orbe condito ad inclinationem imperii Romani Venedig 1498—1504. 2 Bde. und rerum Venetarum historiae Venedig 1487, wofür ihm die Republik eine jährliche Penſion von 200 Ducaten anwies. S. Jöcher's Gelehrten-Lex. IV. Sp. 6.

me perscribas, non enim puto multo diutius me superstitem futurum. De his hactenus. Pontifex litteris et nuntiis coepit huic civitati bellum minari: quare nos ad illius pedes supplices advoluti petivimus, ut conditiones pacis a praedecessoribus suis et se signatas servare velit; si quid nos deliquimus, offerimus emendaturos et nos et nostra illius potestati permissuros. Verum ipse nihil horum recipit, quin asserit velle hanc remp. reformare. Quare constituerat hesterno die, qui dies Divo Bartholomaeo fuit sacer, Roma proficisci cum magna parte senatus apostolici et infesto exercitu. Florentini illi suppetias ferent reducto urbis gubernatore Alexandrino; de Gallis incertum habemus qui quottidie in Galliam Cisalpinam convolant; habemus etiam suspectum imperatorem, ne cum pontifice foedus icerit. Ipse praeterea pontifex est homo astutissimus et ut vulgo loquimur antiqua vulpes, homo in omni vita magnificus, splendidus, liberalis, magnanimus, quare etiam nomen Julii sibi inditum esse puto, et super omnia honoris semper avidissimus, qui multa egregia facinora domi forisque, belli et pace pro ecclesia edidit, omnia cum laude, omnia cum dignitate. Affluit praeterea pecuniis quantis fortasse memoria hominum pontifex nullus, quas contraxit ex mortibus pontificum, qui hoc triennio potissimum in Germania occubuerunt frequentes. Quid dicam de haereditate Ascanii vicecomitis, qui quum magna moliretur, ut in eius epitaphio ad S. Mariam de populo legimus, opera sui collegae Sanctoseverinatis veneno extinctus est? Quid de Elvensi, Alex. nepote, qui similiter nuper veneno periit, cuius domus quum animam adhuc extremis labris teneret direpta est? Haec omnia nobis nota sunt atque perspecta; itaque universa haec civitas in armis est, armis studet, arma tractat [36]), armis omnia resonant. Bentivoli decreverunt domi suae mortem oppetere maluntque in acie cum gloria cadere quam turpi fuga sibi consulere; populus quoque (nisi forte aliud fronte ostentent atque animo conceperint) paratus est vita et omnibus fortunis libertatem suam propugnare. Quicquid futurum erit, si per valitudinem licuerit, perscribam ad te si non eleganter, saltem fideliter. Dubito ne illae litterae exordium sint habiturae ab anathemate apostolico. Quod ad Ferrarienses attinet, de coniuratis nondum sumptum est supplicium propter illum musicum, cuius superioribus litteris mentionem habui, qui ad pontificem confugit. Rex Ferdinandus una cum duce Valentino expectatur quotidie Januae, ubi hoc mense vehe-

[36]) Cod. tracta.

mentissime tumultuatum est propter plebem, quae optimates in exilium eiecit et in frusta secuit. Ipse rex cessit regna sua omnia vel saltem Castiliae et Granatae, reliquis in gubernationem permissis potentissimo Philippo nostro Austrio, reliquum vitae Neapoli quo nunc contendit traducturus. Accepimus postremo gloriosissimum regem nostrum universi voti sui apud Pannonios factum esse compotem; quare ex Gallia, Venetiis et undique litterae advolant, ipsum propediem in Italiam esse moturum, quare Galli timent, Italia vero tremit. Si princeps meus ad comitia Augustana concedens apud vos fuerit, spero me vos apud illum non tantum excusasse, verum etiam vehementer commendasse. Vale, vir integerrime, Petrum Werner nomine meo salute impertire, tu autem una cum clarissimo fratre me commendatum habe. 8 Cal. Septem.

Quum hanc epistolam clausissem essemque iam daturus tabellario, offendi illum opinione mea celerius abiisse. Itaque resignavi illam, ut subiicerem summum pontificem ad septimum calendas Septembris Roma profectum Perusiam venisse, ubi Pauli Baioni copias sibi coniungit. Quod etsi idem facturus creditur in omni reliquo itinere, Bononienses tamen alacres sunt et conflictum quodammodo expetere videntur; sunt enim excellentius armati quam post hominum memoriam nunquam et intra muros nullas seditiones timent. Nam adversae factiones iamdudum bonis publicatis in exilium acti et omnia penes unum sunt, Bentivolum, qui unus omnia potest, qui in pugnam educturus est viginti milia armatorum et tantis praeterea pecuniis affluit quantis meo iudicio toto orbe alius privatus homo nemo. Quam primum pontifex, qui adhuc lente procedit, Faventiam pervenerit, ipse ad quintum decimum lapidem ad castellum S. Petri castra metabitur. Nam pontifex etsi decreverat Florentiam venire, tamen mutato consilio per Flaminiam iter facit: nam cum Venetis sentit, quin publice in consistorio dixit, etiamsi illis Ariminum et Faventiam in feudum concedere deberet, velle Bononiam expugnare. Quae res quemadmodum gerctur, perscribam ad te; de stella vero crinita, ne mireris, nihil scripsi, nam qui Scribanario doctiores sunt dicunt tantum speciem quandam cometae nos vidisse, quare paucos effectus creditur operatam. Iterum vale, calendis Septembribus.

Nr. 18. 17. September 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 302b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

Audio te valere et mirum in modum gaudeo; te enim stante, a quo omnis mea vita dependet, spero mihi quoque aliquando consultum iri. Binis meis superioribus litteris, mi dulcissime patrone, scripsi ad te, quo in statu esset universa Italia; interea haec secuta sunt. Venit ad hanc remp. legatus pontificius, ad tertium idus Septemb. datus est illi senatus. Summa legationis fuit, pontificem velle Bononiam venire; dimisso senatu et statim coacto populo responsum est, Bononienses quoad vires substiterint non permissuros pontificem Bononiam venire. Legatus dixit, ut ad pontificem referrent. Designati sunt sex oratores: duo sedecimviri, duo doctores, duo optimates, sed non eo consilio, ut ad pontificem proficiscerentur; neque enim ipsi fidunt, qui 28 milia aureorum in Galliam Cisalpinam transmisit, ut exercitum conscribat, quam pecuniam Galli dicuntur non velle acceptare. Itaque volarunt ad regem tabellarii apostolici et Bononienses, hi dehortantes, illi hortantes, ut provinciam suscipiat. Ipse pontifex constituerat hoc die esse Urbini. Trahit secum universam curiam, relictis Romae paucissimis cardinalibus et nescio quot auditoribus rotae, apud quos lis contestari potest, decidi non potest; habet praeterea secum ducentos mulos onustos auro et argento et ut ferunt aureis apostolis et calicibus. Romae constans fama est, pontificem velle Romanam aulam Avinionem in Galliam transferre, ubi aliquando 4 et 70 annos fuit, quum pontificante Clemente 5to Italiae finibus progressa esset [37]) anno quinto supra millesimum trecentesimumque: causa assignatur, ne pontifici necesse sit sacratiss. Maximilianum nostrum imperiali diademate insigniri, quod rebus Gallicis studeat et ad illos in animo habeat eam dignitatem secum asportare. Incertum an ita res se habeat, an potius Romani indignabundi ita in pontificem dictitarint, quod absentia apostolicae sedis urbi suae supra quam dici potest calamitosa existit, unde

[37]) Cod. esse.

pontificem apud se retinere conati sunt centum milibus aureorum et officiales totidem. Venerunt etiam heri vesperi ad nos tres milites Germani, qui pro Maximiliano apud Venetos et Ferrarienses oratores egerunt, hic aliquamdiu permansuri. Veneti putantur non permissuri, ut Maximilianus in Italiam transcendat. Unde ubique terrarum suarum quantas maximas possunt copias parant, quarum magnam partem transmiserunt in regnum Neapolitanum ad tutandos illos tres portus, quos eis Federicus seu Ferdinandus aliquando ducentis milibus aureis [38]) pignori dedit. Nam ipse rex Hispaniae eo in Italiam venit cum infesto exercitu et putatur eos portus vi recepturus, copias tamen suas non Genuae exposuit, ut antea scripsi, quod illic optimates ad unum omnes in exilium exterminati sunt, sed Plumbini. Itaque tota Italia spectat ad res novas, potissimum propter adventum Caesaris, quocum si fieri potuisset voluissem Romam proficisci, quod illius coronationem in animo erat litteris mandare. Sed hucusque de rebus publicis, nunc venio ad privatas. Accepi itaque, praestantissime vir, hoc puncto temporis suavissimas litteras tuas et primum quod apud te filii suavitatem obtineo et tu me paterna benivolentia prosequeris; non volo tibi in praesenti alias agere gratias, nisi quod eum me praestabo quem homines iudicent tua amicitia dignum et in quem minime te poeniteat officiosum fuisse. Quod autem princeps meus pulcherrimum praemium mi proponit et opera mea uti vult ad docendum, facile acquiesco; demiror autem quod totus in tua potestate sum, quod tantam conditionem non statim amplexus es. Cura igitur rogo quam primum principem certiorem fieri, suum esse imperitare, nostrum iussa volentes libentesque excipere. De pecunia vero nihil ad matrem perscripsi, ipsa ex anterioribus litteris meis facile summam elicere poterit, praesertim si animadverterit me sesquiannum cum 20 aureis fuisse et pluribus libris opus habere quum iudicandum mihi sit et legendum et nesciam in quo iure. Te autem quibus possum precibus rogo obsecroque ne me hoc gravissimo meo tempore deseras, sed ut facis dignitatem meam commendatissimam habeas; facies opus pulchrum sane et auctoritate tua gravissima dignum. Reliqua consilia mea perscripsi ad matrem. Vale, vir doctissime, et prudentissimo fratri tuo me commendatissimum effice. Bononiae, ex tempore 17. Septembris 1506.

---

[38]) So Cod. ſtatt aureorum.

Nr. 19. Ende September 1505.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 330b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

Hodie propter nimias occupationes meas non fuit mihi nedum integrum litteris mandare quae animo conceperam, verum nedum illas relegere: itaque nactus paululum otii scribam primum negotium meum, dein quae omiseram subiiciam. Miserunt me ad Bentivolum oratores regii, ut illi, posteaquam omnia suspicionis plena essent, exponerem se non alia causa Bononiam venisse quam posteaquam legationibus functi essent ulteriora mandata a Maximiliano expectare. Princeps me comiter audito, etsi haesitabundus responsum in aliud tempus traiiceret, visus tamen est mirari, cur non Ferrariae potius substitissent, quin asseruit malle illos alio tempore advenisse, quod hoc gravi tempore illorum praesentia sibi gravis esset atque periculosa. Retuli ad oratores; illi mirabantur, quod, quum Ferrariae exquisitissimis excepti essent honoribus, apud nos nedum nullis afficerentur, verum episcopalis aula sibi promissa negaretur. Dixi, ut mirari desinerent, ante paucos dies regem Franciae apud Bononienses conquestum esse, quod ad Maximilianum defecisse dicerentur, quare eos patrocinio suo destituere vellet; communicavi etiam nonnulla alia belli consilia, quod pontifex proxima septimana Caesennae erat futurus et e regione Gallorum exercitus timeretur. Praeterea quum unus oratorum in manibus haberet varios commentarios, quibus praefationes praemiseram, et nescio quae alia ingenii mei monumenta, dilaudata est, quod cum modestia dictum velim, patria mea. Ipsi oratores sese mihi obtulerunt. Priusquam tamen nobis principis copia fieret, multum temporis absumpsimus, id quod nobilissimi collegae mei (hi enim provinciam ad me detulerant) et universa legatorum familia, quae me comitabatur, indigne tulerunt [39]); verum in causa fuit, quod princeps intentus erat litteris ciferatis, quas ab exploratoribus acceperat, quo fere scribendi genere usum tradunt Julium Caesarem, qui semper quartam litteram scribebat, puta pro a d et loco d g. Nunc accipe quae praetermiseram. Audivisti me nescio quas pretiosas sumptuosas vestes comparasse; verum ego (ita me deus adiuvet!) in biennio nullum fere assem in eam rem converti, nec tu si eam stultitiam coram

[39]) Cod. tulis.

inspiceres credere deberes, nisi forte quia semel me levem, ne dicam inconsultum, expertus es talem semper iudicas. Quod vero Neapoli fui, vovi anno abhinc tertio pro periclitantis patris salute visitare deiparam Lauretanam et principes apostolorum. Ubi Lorentum [40]) ventum, accepi per Apprutios compendiosum iter esse Neapolim; itaque cepit me, hominem peregrinandi cupidissimum, incredibilis cupido visendae eius urbis et consulis, qui ex rebus gestis magni ducis sibi nomen indidit, cuius egregia virtute Gallus regno turbatus erat. Praeterea, ut verum fatear, cupiebam visitare libellos meos, quos audieram turmatim Romam profectos: quo ut ego quoque veni, inveni aliquos tribus carlenis distractos et nomen meum non penitus ignotum nec ignobile reddidisse. Conciliavi mihi ibi plures praestantissimos viros, praecipue episcopum Sambiensem, qui causam Magdeburgensem agebat, qui familiariter operam suam mihi promisit; praeterea Joannes Greifenstainus, decanus S. Bartholomaei apud Francfordienses summae auctoritatis, ingeniolo meo delectatus sua sponte pollicitus est canonicatum amplissimum. Affui etiam quum datus est senatus apostolicus legatis Allobrogum vel ut nunc loquimur Sabaudiensium; audivi illos orantes, sed desiderata est pronuntiatio, in oratore potissima pars, audivi et pontificem. Aderant ad quatuor et triginta supremi ordinis antistites, pulchrum me hercle spectaculum, quo adeo incensus sum atque oblectatus, ut nihil magis eupiam quam ad eam existimationem ascendere, qua mihi aliquando huiusmodi apud pontificem imponatur orandi provincia. Verum de mea peregrinatione aliquando plura, nunc opprimit me somnus. Prius tamen quam cum illo in gratiam veniam, respondebo litteris tuis ad cal. Septemb. datis, quibus me quae tua est humanitas in bonam spem erigis. Verum imbecillae meae res animi mei magnitudinem, tametsi aliquando inclinent, nunquam tamen opprimunt, quin semper spero in gloriosam virginem, futurum aliquando (modo vita supersit) ut domum meam nedum erigam, verum etiam longe altiorem aedificem. Quod vero mihi eum commendas, cui litteras dedisti, et longe pluribus in eam rem uteris quam apud eum par erat qui totus tuus est, minime illi opus erat tua commendatione, sufficiebat asserere se tibi notum fore, apud eum praesertim qui maximi beneficii loco ducit occasionem nancisci tibi morem gerendi. Cras quamprimum legatos officii causa salutavero, permittam me illi totum; neque in ali-

[40]) So Cod.

quo frustra operam meam desiderabit, polleo namque (absit arrogantia verbo!) apud Bononienses gratia et auctoritate. Quid enim vis fieri, mi suavissime patrone? Habes clientulum constitutum in paupertato simul et in dignitate positum, qui sicut inopiam perfert ita expectationem sustinet litterarum et virtutum. Oratores nostri fecerunt me certiorem, principem meum omnino cum Caesare venturum; dummodo mihi salarium meum cederet, summopere cuperem me illi comitem praebere: tuum erit, si videbitur, eam rem conficere. Ipsi oratores bonam spem afferunt, quod putant principem huiusmodi hominibus opus habiturum. Nunc venio ad maternas litteras, ne quas ad eam scripsi necesse sit resignare. Putat pater me aetatis beneficio non teneri ex illo perfido, sed nescit professionem aetatem supplere et apud nos in huiusmodi causis nihil solere excipere. Quare vehementissime te rogo, ut eum te praestes quem omnes intelligant meum suavissimum patronum, ut in hoc debitum convertatur dimidiatum illius salarium et saltem portio eius domus et a matre quod promisit exigatur. —— Memineris praeterea eius bona mihi hypothecata et cum virtute iuramenti posse anathemate notari. Supra omnia autem commendo tibi matrem meam: quicquid ei de filio pollicitus fueris, conabor fidem tuam liberare. Barbarae materterae meae nuntia, ordinis sui generalem ex vita decessisse; obiit et prae animi maerore S. Francisci generalis, is qui nuper officio motus fuerat, id quod ab ordine completo praeterea uni tantum obvenit. Dum viveret, sanctus reputabatur: beatam illam anum, cui datum erat manus eius deosculari quibus ipsum antistitis sui corpus tractaverat; ego autem si facinora eius colligere vellem, iustum volumen possem conscribere. Vale, mi amabilissime patrone, et fratri et Appolloniae et abbatissae me commenda.

Nr. 20. Ende September 1506.

Die kaiſerlichen Geſandten an Alfons von Ferrara.

Cod. 306 (362) fol. 333b. Von Scheurl's eigner Hand.

Ad Alfonsum, ducem Ferrariae.

Quum nuper apud illustrissimam dominationem tuam legatione fungeremur, tantis nos honoribus excepisti, illustrissime princeps, tam liberaliter nos habuisti et officiose tractasti, ut facile nobis persuadeamus, te invictissimo regi Romanorum et nobis, qui eius personam gerebamus, amicissimum fore nullamque nec de illius sacra maiestate nec de nobis bene merendi occa-

sionem omissurum. Mittimus itaque ad te familiarem nostrum C. Scheurl Nurenbergensem, studii Bononiensis syndicum. Qui quum longo tempore studuerit cupiatque in praesenti divini et humani iuris infulis decorari neque propter adversam fortunam quam passus est id satis commode assequi possit, enixe rogamus illustrem dominationem tuam, ut eum in utroque iure doctorari facias. Hoc nobis adeo gratum erit, ut hac tempestate nihil gratius efficere possis, et sicut cetera officia tua gloriosissimo Maximiliano nostro per litteras significavimus, ita hoc quoque annuente deo prope diem coram exponemus, quod nimirum acceptum habebit. Quicquid nos praeterea consilio, industria, opera nostra consequi poterimus, id totum tu poteris; ipse etiam doctorandus semper tibi et tuis deditissimus erit et rerum tuarum, si voles, in Germania diligentissimus procurator: est homo, in quem te minime poenitebit officiosum fuisse. Fac itaque, potentissime princeps, ut eum te experiamur, quem maxime confidimus. Valeat illustris dominatio tua. Bononiae.

Nr. 21. 29. September 1506.

An Sixt Tucher.

Cod 306 (362) fol. 334a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

S. p. d. Mitto ad te consilium, quod his diebus in materia iurisiurandi conscripsi, quod opera materterae meae Barbarae Tucherae provinciali ordinis praedicatorum transmittes; mitto etiam libellum, quem praefectae S. Clarae praesentabis. Rex Galliae dicitur Belis Lugdunum profecturus et deinde Mediolanum. Plura non sinunt me ad te scribere occupationes meae: has ad te dedi Henrico municipi meo, artium et medicinae doctori. Ad eum allatum est de illius perfidi fuga; itaque accurrit, si forte possit illi suffici: si ei tua opus erit opera, memento eum mihi multa familiaritate coniunctum esse et imprimis hominem doctum et probum. Tu vale et me commendatum habe. Bononiae, 3° kalendas Octobris 1506.

Nr. 22. 22. November 1506.

An Peter Siber.

Cod. 306 (362) fol. 334b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad reverendum patrem provincialem Petrum Syberum.

Si vales, bene est, gaudeo. Transmisi nuper ad te, reverende pater, responsum in eo negotio, super quo me consulu-

isti: quod si, ut ex spatio temporis colligo, accepisti, quid mercedis mihi constitues? Et Paulus legatus tuus obtulit se lucubrationes meas velle circumferre et honoris mei gratia pluribus copiam facere. Sed ego non quaero vanam gloriam. Quid tum? Aurum et argentum? Minime. Quid igitur? Hoc unum scilicet, ut me in rationarium Divi Dominici referas, ut tibi persuadeas, quicquid ingenio, industria, labore, omni denique vita consequi possum, hoc totum te et tuos posse: hoc satis mihi est. Si praeterea optimae matris calamitates gravissimis tuis litteris levare dignaberis, accedet hoc quoque ad cetera officia, quae in me contulisti maxima, pro quibus aliquando oblata facultate referam tibi gratiam. Quod ad res novas attinet, summus pontifex Bononiam, exactis Bentivolis, in die S. Martini triumphans invectus est, praecedentibus duobus et 20 supremi ordinis antistitibus, putaturque hic futurus longum tempus et fortassis Venetis bellum illaturus. Si quae tibi agenda essent in aula pontificia, tam diligenter illa curarem quam qui maxime cupiat. Sed non possum mandatum tuum expectare, propterea quod prope diem Wittenbergam sum concessurus, ut ibi iura publice doceam. Quamprimum Alpes superavero, quacram ubi se contineat reverenda dominatio tua et si potero ad te iter deflectam, quod te non minori voluptate complexurus sum quam proprium parentem: ab hoc enim ut vivcrem, a te bene viverem accepi. Vale, pater reverende, et amicis meis me commenda. Quamquam autem omnis tuos meos existimem, tamen istos scito meissimos, priorem Bethlehemicum, Ulmanum, Nurenbergium et Paulum, collegam tuum. Iterum vale, mei apud deum memor. Bononiae, decimo cal. Decemb. 1506.

Nr. 23. 22. November 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 335b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

S. p. d. Miraris fortasse, doctissime vir, quod, quum hucusque minimos quosque Italiae motus et quos fama tantum percepi ad te perscripscrim et ita perscripserim, ut historiam horum temporum non magnopere desideres, quid [41]) in hac tanta Bononiensium rerum permutatione, quam praesens oculis contueor, tam diu sileo? In causa sunt hi equites, qui pro victoriosissimo

[41]) So Cod., Veränderung der urſprünglich beabſichtigten Conſtruction.

rege nostro apud Venetos et Ferrarienses oratores egerunt, qui, posteaquam Bononiam venerunt, continue mea usi sunt opera, nedum in causis suis publicis et privatis aut Bononiae tantum apud principes Bentivolos et patres, verum etiam Mutinae, Ferrariae et apud marchionem Mantuae, in cuius castra non semel sed iterum non absque periculo penetravi. Nunc quum aliquid otii nactus sum, faciam te paucis certiorem de his quae hoc tempore Bononiae gesta sunt. Etenim Julius, Romanus pontifex, quum in omni vita magnos spiritus aluisset adiecissetque in praesenti animum ad eas civitates, quae ab ecclesia alienatae tyrannis servirent, quamquam copiarum suarum imperium Guidoni Ubaldo, Urbinatium principi, decrevisset suffecissetque illi ob valitudinem fortissimum virum Franciscum Gonzagam, voluit tamen, quod etiam nuper ad te scripsi, praesens bello interesse. Nam praeterquam quod urget praesentia Turni, omnibus constat, res bellicas plurimum ex occasione administrari, qua oblata uti non posse qui rebus agendis procul abesset. Unde etiam apud Lacedaemonios institutum erat, ut primus omnium rex ad bellum exiret, ultimus reverteretur. Quum itaque pontifex Vetuloniam (nunc Viterbium est) et Perusiam recepisset reformassetque, ut primum Forum Livii venit, praemisit cum hostilibus copiis in agrum Bononiensem marchionem Mantuae, qui primo statim impetu quatuor castella cepit vel potius derelicta occupavit, estque ad arcem S. Petri, quae ab urbe abest 13 milia passuum, castra metatus. In quibus mercbant pontificium stipendium Jo. Gonzaga, frater marchionis. qui me propter inclytissimum Federicum, principem meum, quem vultu et statura corporis refert, cuiusque pernecessarius, est humanissime complexus, praefectus urbis pontificis ex fratre nepos, Jo. Paulus Baionus, M. Anth. Columnius, Joannes Vitellius et Jo. Sasadelus. Post haec hostis continuis excursionibus fatigatus, ortae ut fit tumultuariae quaedam pugnae, utrinque tamen plures capti quam desiderati. Cetcrum quum omnis pontificia victoria a Gallis penderet, in quorum protectione Bentivoli erant, Bononienses pontificem temeritatis accusantes ludibrio habebant. Quos ego saepe monui (nam quae secuta sunt, tamquam ex alta quadam specula praevidebam) ne in Gallorum fidem spem constituerent, quibus nihil peculiarius esset quam regnandi causa, quod etiam Caesar faciebat, iusiurandum violare. Asserui per Gallum non fuisse, quo minus sub Borgianum iugum missi essent, si modo Alexandro longior vita contigisset. Collegi multa Gallicae perfidiae exempla, potissimum quum ante paucos annos foedus cum

Maximiliano nostro ictum et iuramento, affinitate, eucharistiae perceptione firmatum non semel sed iterum rupcrunt. At illi securi et intrepidi nihil timere, sua in Gallum officia commemorare, quottidie litteras producere, quibus rex, ne ad Maximilianum deficerent, sed in fide persisterent, hortabatur, quod ipse eos nunquam protectione destituturus erat. Huc accedebat, quod 40 milia aureum numum militi a pontifice transmissa Gallus acceptare nolebat. In hunc modum erecti erant Bononiensium animi, quum nunciatum est regem Bononiensibus amicum esse, verum Rothomagensem antistitem ecclesiae suppetias ferre. Auxiliares copiae erant qningenti equites gravis armaturae (vulgo lanceae dicuntur seu lanccarii) et 4 milia peditum, quibus ad maiorem nostrum terrorem praeerat vicerex, ipsi magnum magistrum Mediolani cognominant. Qui ut exercitum structis pontibus Panaram traiecit (Panara fluvius est disterminans agrum nostrum a Mutinensi, oritur in Apennino, exoneratur in Padum seu Eridanum), obvios habuit, qui Castelli Franci natura loci, aquis et arcibus munitissimi claves afferrent, cuius exemplum secuta loca finitima, quibus tamen contra fidem pecunia imperata est. Ipse supra pontem Rheni, qui ab urbe abest ad secundum lapidem, castra fecit. Interea universus ager nullo negotio in hostium potestatem venit. Rebus nostris in hunc modum inclinantibus pontifex edixit, ut cives Bentivolos vinctos in conspectum suum traherent seu saltem urbe eiicerent, munitiones demolirentur, militem mercede accersitum dimitterent, arma penes prolegatum seponerent, sibi pro arbitrio veniendi potestatem facerent. Quorum quum accessu 9 dierum nihil factum esset, anathema sub tali fere formula promulgavit: Primum civitati sacris interdicit; qui contra se arma induisset, piorum coetu eiicit; Romanae ecclesiae hostes iudicat; crimini laesae maiestatis obnoxios facit; bona publicat, occupanti concedit; debita dimittit; testandi et contrahendi facultatem aufert; privilegia adimit; qui Bononiensem cepisset, mancipium habeat, qui occidisset, sacrificium deo fecerit; Bentivolos proscribit; percussoribus mercedem constituit; quocunque Bononiensis venisset, ibi triduo post profectionem omnis sacrorum cerimonia cessato; qui Bononiensem recepisset, consilio aut ope iuvisset, in eadem damnatione esto; qui pro ecclesia pugnasset, omnium erratorum plenam veniam consequatur. Nec iis contentus, quin praecepit, ut omnis clerus cum ordine scholastico urbe excedat. Ubi tam dira execratio intra muros serpsit (publicare enim capitale fuisset), coeptum est sacris abstinere; Germani, qui ecclesiasticis

titulis ornantur, cum clero magnam partem abiere: in tanta tamen calamitate principum Urbini, Ferrariae, Mantuae, qui Bentivolos affinitate contingebant, auctoritate agitatum est de pace. Rediit legatus pontificius cum mandato libero, multae pacis conditiones convenere; quod Bentivoli in ordinem redigerentur, convenire non potuit. Verum est enim, quod Julius Caesar dictitabat, difficilius esse de primo loco in secundum quam de secundo in ultimum detrudi. Ad 5 igitur calendas Novembris, qui dies divis Symoni et Judae alibi sacer fuit, lustratus est exercitus: recensa tria milia equitum, peditum longe plura; Bentivoli optimates, plebei dato acceptoque osculo fide sese astrinxerunt, prius gloriosam mortem in armis oppetere quam pontificium iugum subire vellent. Jam omnia in belli expectationem erecta esse et ad obsidionem tolerandam spectare, quum ecce tibi Bentivoli praeter omnium opinionem rebus suis diffisis ea nocte, quae calendas Novembris secuta est, circiter tertiam vigiliam per media Gallorum hostium castra (pacti enim erant magno magistro 14 milia aureorum) turpissima fuga sibi consulunt, Jo. Bentivolus cum protonotario et Alexandro Mediolanum versus, Hannibal et Hermes Ferrariam, qui duo cum indignitate excepti clausis ecclesiis abire iussi sunt. In hunc modum Bentivoli pulcherrimo principatu exciderunt. Ex qua rerum inconstantia fit palam, quam fluxa sint et vana haec quae homines non minus stulte quam stupide mirantur in terris. Excipiebantur Bentivoli ubique plausibiliter, erant favorabiles, humani, formosi, liberales excepto dumtaxat Joanne II. principe factionis, cuius etiam avaritiae tanta clades imputatur. Ceterum ipse Bononiam, quod satis constat, aedificiis exornavit, ut Beroaldus eum scripserit exemplo Augusti urbem marmoream relinquere, quam lateritiam accepisset; quod quidam hoc disticho expressit:

Felsina Bentivolo nitet illustrata Joanne,
Augusto ut quondam nituit sub Caesare Roma.

Ipso etiam regnante Bononia praeter consuetudinem suam iam sexagenaria paco perfruebatur, quum ante hos annos quottidie tumultuari soleret, cives inter se grassari, caedes et incendia fieri, ita ut seditionum Bononiensium plenae essent aures Italiae. Ceterum quum iam tranquille senesceret reputareturque et sapiens et felix, eiectus est miser cum omni factione in exilium, ut plane verum sit illud Solonis, ex viventibus beatum esse neminem; ad quod alludit satyricus tuus (tuum enim appello, quo dum per aetatem et religionem licebat plane familiariter utebare):

Et Croesi quem vox iusti facunda Solonis
Respicere extremae iussit spatia ultima vitae,

et poeta ingeniosus scripsit:

Ultima semper
Expectanda dies homini est dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet,

et ita est profecto. Alius de alio iudicat dies et tamen supremus de omnibus. Bentivolis dilapsis secuta est subito magna rerum omnium mutatio: decreti 4 patricii, qui pontifici urbis deditionem facerent; plebei partim admotis scalis serram (Beroaldus herbam parietariam appellabat) disiicientes quercum sufficiebantur, partim tamquam gravissimo iugo discusso exultantes ecclesiam alta voce clamabant [42]). Verum vix dilucesserat [43]), quum subito hanc publicam laetitiam Galli interpolarunt, qui nuntiati sunt urbem a Bentivolis sibi proditam velle capere, ut acptam hostiliter diripiant, et cum nuntio auditi muri bombardarum ictibus conquati. Commota his malis civitas continuo armis tumultuose arreptis in Gallos consurgit, furibunda discurrit, complentur aditus, furor arma ministrat [44]). Rogantur oratores, ne semianimes cives deserant: illi arma induunt, cum quibus ego quoque ut interpres tamen discurri. Ut ad portam ventum est, fit atrox proelium; tandem victoria stetit unde debuit. Ceterum Galli suopte ingenio superbi et gloriae avidi, quum indigne ferrent sui terrore Bentivolos pulsos et se non debere civitatem pontifici dedere, iterum ac tertio muros oppugnant, sed semper spe sua frustrati; iam enim vulgatum erat, pontificem urbem hostibus in praedam concessisse et illorum conatibus aperte connivere. Quare quum memores essent Bononienses recentis Campanorum cladis, quando ab his ipsis Gallis nobilissima Capua hostiliter direpta est, matronae et puellae cum multa indignitate vexatae et ad stuprum raptae, maluerunt pro penatibus, liberis, fortunis extrema quaeque experiri quam crudelissimo hosti ludibrio esse; et iam mulieres aliae viros suo exemplo ad arma capessenda provocabant, aliae domesticatim lapidibus instructae in fenestris manebant hostem, ut superne iaciendo obruerent, et mehercule poterat eo die Gallicus exercitus ad internicionem deleri (nam praeterquam quod iniquo loco pugnabat et inedia conficiebatur, tam foeda caeli tempestas oriebatur, ut castra fere subversa essent et miles ma-

---

[42]) So Cod., irgendwo aber fehlerhaft. — [43]) So Cod. ft. diluxerat. — [44]) Cod. ministra.

gis clipeo ne dicam navicula opus haberet quam gladio aut equo), nisi repente affuissent duo supremi ordinis antistites: sustulerunt illi primum omnium interdictum cui obstricti eramus, inde praeferocem saevientemque civitatem curare adorti vix aegre ab eruptione continuerunt, quod vero vel magnus magister in urbem immitteretur tenere non potuerunt. Ita coacti sunt Galli salutem suam pontifici acceptam ferre et cum tanta ignominia retro iter vertere, quantam non facile in multis annis acceperunt. Quibus discedentibus quum iam aliquantulum ab armis quiesceremus, orta est nova seditio in sedecimviros, quod dicebantur aenea instrumenta, quas bombardas vocant, per dolum obstruxisse et cum Gallo sentire. Parum abfuit, quin et ipsi caederentur, sed populus contentus fuit hos magistratu movere et ex corpore civitatis 21 sufficere, penes quos esset dominium urbis: ipsi enim sedecimviri patricii erant, quibus commissa erat summa reipublicae, a numero sic dicti, licet postea Paulus pontifex quinque adderet. In hunc modum tantum tumultuatum est 4 diebus et 3 noctibus quantum vix patrum nostrorum memoria. Post haec alia cura accessit populum, pontificis scilicet recipiendi. Invectus est ille urbem triumphans ad 3 idus Novembris, quae lux Divo Martino fuit sacra et mihi natalis, praecedentibus duobus et 20 primoribus antistitibus, sequentibus episcopis et regulis quot dinumerare non potui. Exceptus est pontifex effuso civitatis gaudio; facta est ei obviam ingens multitudo omnis sexus, fortunae et aetatis, viri feminaeque, partim pontificis videndi partim pecuniae quae in populum spargebatur habendae gratia: omnia cum tanta magnificentia, ut me Bononiae vivere delectet, ut si ego aliquando illibenter nunc maxime illibentissime sim discessurus. Utinam principi meo, tibi aut alicui tuorum aliquando gerenda essent in aula pontificia, quam diligenter ego illa curarem! Vidi ego Bononiae pestem, terrae motum, caritatem annonae et haec omnia extrema; reservavit me quoque fortuna, ut bellum quoque viderem, intestinas discordias et triduo trinam reip. Bononiensis mutationem: quae omnia spero mihi aliquando non mediocriter profutura. Nunc redeo ad pontificem, qui Rothomagensi antistiti mercedis loco praeter duos roseos pileos legationem Frantiae in aliud triennium confirmavit, Mediolani perpetuavit, Avinionae [45]) regibus Frantiae (ut ferunt) perpetuo iure confcrendam concessit, et cum Bononia sit bello et paci commoda, putatur, pon-

[45]) Cod. Auionionae.

tifex hic annuum tempus futurus et fortassis Venetis bellum illaturus. Sed hoc opus, hic labor. Sunt enim Veneti, ut scis, potentissimi; possident namque in Italia ab Addua flumine ad Arsiam cum Alpinis gentibus quatenus Alpes ad Italiam spectant, ultra Arsiam secundum Istros Liburniae ora, Dalmatiae, Macedoniae cum adiacentibus insulis, in Peloponneso Nauplia, magnus ad haec in Jonio, Cretico, Carparthio et Syrio, in quo Cyprus est, insularum numerus [46]). Sed tamen et Romani et Graeci deficerent, si pontifex ea execratione cum Venetis ageret qua nobiscum: si Faventiam, Ariminum, Cerviam, Ravennam, urbem vetustissimam, si Maximilianus Patavium, Vincentiam, Veronam, quae sunt imperii, si Foroiulium (nunc Marchia Tervisana est) quae est domus Austriae, si rex Frantiae Cremonam, Cremam, Brixiam, Bergonium, quae sunt ducatus Mediolani, si Hispanus Brundusium, Tranium, Hidruntum, quae sunt regni Neapolitani, si Ferrariensis Polesinum bello repeteret, fieri posset ut ipsi quoque Veneti in ordinem redigerentur. Sed de Maximiliano quid futurum sit compertum habeo. Eius legati agunt Venetiis Melchior card. Brixiensis et Jacobus marchio Badensis, episcopus Treverensis; ille noctu urbem invectus est, hic ad diem S. Martini exquisitissimis honoribus exceptus est et cum Bucentauro. Bucentaurus navis est totius senatus urbanorumque magistratuum capax agiturque nunc remo nunc velis, saepius remulco; sedet princeps in puppi auro strata, aurco et ipse fere pallio amictus, assidet summus ille ordo dextra laevaque maiestatis et silentii plenus; tubae tibiaeque aliaque id genus instrumenta circumsonant, aurea ad haec signa toto navigio defixa ventoque agitata; Bucentaurum suburbana praecurrunt navigia, sequuntur cymbae officii causa ac spectandi studio: quae omnia incundissimum spectaculum praebent. Venerunt praeterea Tridentum octingenti equites Germani et mille pedites eo consilio, ut arbitror, ut Jo. Franciscum Mirandulanum patriae restituant, quos contra opinionem nostram Gonciacus princeps transitu arcet, fortasse quia pontificium stipendium meret et pontifex a Gallis pendet, qui adversae factionis loedemium fovent. Utcunque vereor ne interitus Philippi regis Castellae rebus nostris magnum impedimentum afferat, qui ad septimum cal. Octobris Burgis vita decessit. Eum nuntium ego accepi ad idus Octobris, qui ut debuit tristissimus mihi visus est, mihi et omnibus qui studiosi sumus Maximiliani et Germanorum

---

[46]) Wechsel der Construction.

gloriae. Nondum natus erat 30m annum, quum iam imperaret universae fere Germaniae inferiori, regno Castellae et Baeticae (nunc Granatam dicimus); expectabat etiam praeter principatus paternos fortasse imperium (non video enim potentiorem), regnum Neapolitanum et Tarraconense (nunc Catalauniam et Arragoniam dicimus), et in summa omnis orbis Christianus in unum Philippum respiciebat, quum subito eum nobis fortuna invidit. In tanta tamen calamitate consolantur nos filii et venter et certe in Carolo magna spes constituta est. Dicitur ille vix octavum annum natus arma tractare et Carolum Burgundum abavum, fortissimum virum, ingenio et indole referre [47]); praeterea Ferdinandus natus est ea hora, die, mense, anno, quo Ferdinandus avus, qui nunc Neapoli agit, in lucem susceptus est. Quod si Philippo posthumus masculus nasceretur, ut spes est (semper enim uxor modo filium modo feminam edidit), qui avo in Germania succederet, omnia bene se haberent. Ceterum quum omnis sermo de rebus publicis institutus fuerit, priusquam finem scribendi faciam, unum subiiciam, quod vestrae reip. non mediocriter interest. Scis anno abhinc quarto decimo Hispanorum regum auspiciis ductu Christoferi Columbi repertum esse quodammodo novum mundum et in eo 600 insulas, potissimum Hispanam [48]), Joannam, Guadalupeam [49]), Coloeutam, quae sua sponte ferunt masticem, aloen, gingiberim et cinnama, Aethiopicis tamen non conferenda. Afferebat ea navigatio rei Venetae et civitati vestrae exitialem iacturam, Germanis vero inferis et Lipsensibus maximum emolumentum, propterea quod Sarmatae i. e. Poloni, Pannones et Boemi ea aromata commodius et leviori impensa Lipsi mercarentur quam ut antea Aegyptiaca Nurenbergae. Nunc audio Venetos se soldano vectigales fecisse, ut posthac illae merces non in Germania inferiori sed Venetiis exponantur. Quod si ita est, praeclare cum rep. vestra agitur: habebitis nedum pristinum commercium, verum etiam quia novas insulas peculiaribus vestris mercibus instruitis, magna fiet civitati vestrae accessio. Quae omnia ad te scribo, patrone observande, ut tibi gratum faciam, ut de te bene merear: quae si opinione tua tardius scribo, habebis me excusatum; nam ut reliquas occupationes meas omittam, consumpsi duos dies priusquam me potuerim pontificis pedibus advolvere. Iniuncta erat rectori et mihi provincia, ut universitatem illius beatitudini commendaremus, ad quod humanissime pontifex respondit, se brevi

[47]) Cod. inferre. — [48]) So Cod., Hispaniolam? — [49]) Cod.: Guadalupea.

curaturum, ut lectiones auspicaretur et Bononia supra cetera studia illustraretur. Itaque quam primum potui, haec ad te scripsi volanti calamo et ut quodque fere verbum in buccam venit. Tu vale. Expecto quottidie litteras tuas, quae me de omni statu certiorem reddant. Iterum vale et me sapientissimo fratri tuo commendatum effice. Bononiae decimo calend. Decembris 1506.

Nr. 24. (Zu derſelben Zeit.)

An Leonhard Vogel in Breslau.

Cod. 306 (362) fol. 343a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Leonardum Vogl.

S. p. d. — — — — — — — — Princeps meus Federicus obtulit mihi annuos 140 aureos, ut Bitenbergae publico iura doceam. Nihil deest mihi, quam sumptus doctorei, quos si mutuaveris, advolabo statim in Germaniam et eum me praestabo, in [50]) quem non poenitebit te officiosum fuisse, quippe beneficium accepit qui grato dedit. Vale, uxorem saluta.

Nr. 25. 23. December 1506.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 345b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Jucundissimo patrono suo d. Sixto Tuchero, divini et humani iuris doctori, Christophorus Schewrl eiusdem ordinis, licet non eiusdem eruditionis, se supplex commendat.

Tametsi, suavissime patrone, ex ipsa praefatione facile colligere possis, quid velim scribere, tamen ut omnem rem plane accipias scito, me hodierno die multorum laborum, vigiliarum, inediae, aestus, algoris annuente deo pulcherrimam mercedem accepisse, hoc est in pontificio et Caesareo iure doctoratum esse. Contulerunt mihi autem insignia consultissimi praeceptores mei Joannes Campegius et Ludovicus Bologninus, quam dignitatem Christus optimus maximus vertat imprimis ad sui gloriam, patriae decus, amicorum consolationem et tandem ad animae meae salutem. Dabis mihi autem veniam, me contra mandatum tuum eas infulas Bononiae suscepisse. Nam posteaquam Bononiae

[50]) Cod. et.

novem fere continuis annis litteris operam navavi, crevi, profeci, adolevi, magistratus pulcherrime gessi, et tu aliquando hoc eodem mense Bononiae insignia susceperis, id quod longe honorificentius est quam aliubi, praesertim hoc tempore praesente Romano pontifice praesentibus tot illustribus viris, visus mihi fuissem Bononiam iniuria afficere, si pro laurea aliam academiam accessissem, potissimum quum omne negotium quinquaginta ducatis, quibus re vera Ferrariae opus habuissem, honorificentissime assecutus fuerim: nam inanibus sumptibus, ut iusseras, prorsus abstinui. Laureatus tamen sum in conspectu Caesareae maiestatis et doctoris Staubitz, illustrissimi principis mei legatorum necnon universae nationis nostrae. Quodsi non tantam gloriam reportaverim, quantam tu aliquando in hoc almo collegio, fuerunt tamen qui me publice privatimque laudibus tollerent. Habui tandem orationem, cuius, ubi voles, copiam tibi faciam: dixi cum summa alacritate constantissime. Quod reliquum est, ——— abdicabo — me accessu paucorum dierum magistratu et, ut praecipis, volente deo recta ad principem proficiscar. Quod tu autem, doctissime vir, auctor mihi fueris Bononiam veniendi, tua auctoritate sumptus ministraveris, hoc postremo tempore alterum doctoratum donaveris, quod mihi formulam praescribis qualem me primum in aula principali gerere debeam, pro me sollicitus existis et ubique non modo avunculum aut amicum sed pientissimum parentem praestas, quibus verbis debeo tibi gratias agere, profecto si omnia membra mea in linguas verterentur et omnes artus humana voce resonarent, non possem quam mente concepi gratitudinem exprimere: ascribes itaque magnitudini beneficiorum tuorum potius quam ingratitudini meae. Quod vivo, quod incedo, quod doctor sum, hoc totum tibi acceptum refero: tu a me repetere potes vitam, eruditionem, doctoratum et tuo iure vendicare. Non habeo itaque quid tibi referam nisi ut eum me praestem, quem homines tua amicitia dignum existiment et posteri intelligant per te profecisse et a te amatum fuisse, te vero a me ut dominum cultum, ut patronum reveritum, ut suavissimum parentem vehementissime amatum fuisse. Vale itaque, domine, patrone et pater iucundissime; vale, mel meum, deliciae, refugium, spes et vita mea. Fratri tuo me commenda et matri filii doctoratum congratulare. Bononiae decimo calendas Januarias 1506.

Nr. 26. 3. Mai 1507.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 350a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

S. p. d. Serenissimus princeps meus quamquam non admiserit me Wimariae in colloquium suum, valitudinem excusans, sacrum tempus et pestis suspicionem, recepit tamen in numerum suorum familiarium, deputavit ad lecturam sexti et, quum praedecessores mei vix 60 aureos habuerint, intuitu cognationis meae octoginta mihi constituit. Itaque veni Bytenbergam, publicavi me lectiones auspicaturum. Nescio ego quae me famula praecesserit, coactus est universus senatus scholasticus: habui orationem, hortatus sum studiosam iuventutem ad litteras capessendas, ad continentiam, ad sobrietatem, detestatus sum vitia, venerem, crapulam et si qua sunt similia. In tantum opinionem de me conceptam confirmavi, ut calendis Maiis magno omnium assensu me uno discrepante praefectus sim coetui scholastico gymnasiarcha. Plerique magno honori mihi tribuunt, eam dignitatem mihi contigisse, priusquam fere Wittenberga me viderit, praesertim quum rector absentes principes repraesentet, praesentes antecedat, iurisdictionem habeat in praelatos, in praesenti principes adsint [51]), duodecim doctores et ex his celeberrimi et ducenti scholastici: quod etiam speramus hunc annum allaturum nobis magnum scholasticorum proventum, sicut et ante pestem ad quingentos affuisse perhibentur. Principes, qui tum forte aderant, eam dignitatem mihi congratulati sunt, adhibuerunt me prandio donaruntque carnes ferinas. In summa ego hucusque ignoravi, quantus esset discendi labor. In Italia studebam ad voluptatem: si quam nauseam leges attulerant, eam seculares litterae adimebant; eram praeterea in pulchra civitate, ubi compluris mihi iuncti erant familiaritate et amicitia, ubi etiam quod mihi placebat sobrie vivebatur. Hic omnia contraria: si quando sabbato aut dominico a lectionibus vacamus, audiendae sunt causae, assidendum, consulendum, iudicandum, aut officii causa convivandum; populus praeterea ebrius, rudis et crapulae deditus. Itaque inter labores vix respiro. Huc accedunt labores rectorei nec aliquid est, quod me voluptate afficiat, nisi discipuli, qui ad triginta et ex his viginti presbyteri et septem artium liberalium magistri docentis verba diligenter

[51]) So Cod, vielleicht adsunt duodecim.

excipiunt, et quod spero me visurum aliquando patriam de bonis litteris bene meritum. Quae quum ita sint, si umquam debui tibi, in praesenti multum debeo: bonum consilium dedisti mihi. Quod etsi intelligebam, nullam utiliorem me posse navare operam quam legere, quaerebam tamen contra commodum meum conditionem apud regem, quod sperabam me fore procuratorem reipublicae vestrae. Quare dedi ea de re litteras ad regem, quas reddidit affinis meus Iheronimus Haller asseritque regem eas cum voluptate legisse pollicitumque, modo aliquantulum differrem, honestam conditionem: gaudeo tamen principem meum vestrae reip. et potissimum vobis Tucheris non mediocriter affectum. Offer mihi aliquando occasionem rogo, ut omnes intelligant alumnum tuum bonum civem esse; spero me apud principem aliquid posse. Tu vero vale et rudi stilo et volantissimo calamo veniam praebe; da operam, ut mater aliquas vestes transmittat et operam det ut libri mei quam primum traducantur: nam quam aegre ex alienis studeo, quam vehementer illis opus habeo, facile intelligis, quem nihil fugit quod ad litteras pertinet. Commenda me matri, matrem vero meam et me, ut facis, commendatos habe [52]) cui me trado dedoque. Wittenbergae 3. Maii 1507.

Nr. 27. 12. Mai 1507.

An Sixt Tucher.

Cod. 306 (362) fol. 351a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Sixtum Tucherum.

S. p. d. Quantum, optime patrone, ex amicis colligere potui, principes mei apud vos futuri sunt in die corporis Christi; quoniam autem reip. vestrae unice affecti sunt, non dubito, quin eos exquisitissimis honoribus sitis excepturi. Quare ut instructiores essetis, volui tibi hoc significare, ut si meae dignitatis interesse putares, sapientissimus frater tuus nomine meo ad senatum referret; quum autem etiam nuper ad te scripserim, principem intuitu probissimi fratris tui amplius salarium mihi pollicitum, cures velim, ut ille gratias ei agat atque me commendet, non quod diffidam laboribus meis meme velle commendabilem reddere, sed ut saepe mihi affulgeat tanti viri splendor et tanti patroni auctoritas. Multi in bonam spem me erigunt, sed illud me delectat, quod quottidie scholastici frequentiores ad me au-

[52]) Cod. commendes habes.

diendum confluunt, quod quottidie familiaritatem contraho cum nobilibus praelatis doctissimis, qui de me non male videntur sentire, quin suam offerunt operam. Itaque quod auctor mihi fuisti Vitenbergam iter suscipiendi, fateor me nunquam satis dignam gratiam posse referre. — — — — — — — — Vittenbergae 12. Maii.

Nr. 28. 3. Juni 1507.

An Henlein, Prior zu Nürnberg.

Cod. 306 (362) fol. 353a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Henlein priorem Nurnbergensem.

S. p. d. Priusquam litteras tuas Pfeffingero nostro redderem, tu me ei coram commendasti, reverende pater, quare ago habeoque tibi immortalis gratias. Princeps suscepit me humanissime et honestissimo salario ad lecturam iuris pontificii deputavit. Profitentur hic complures doctores, in omni genere doctrinarum praestantes; viget gymnasium nostrum tantum, quantum finitimum nullum: in hoc brevi tempusculo rectoratus mei retuli in rationarium nostrum ad quinquaginta scholasticos; sumus erecti in bonam spem, res nostras in dies meliuscule sese habituras. Augustiniani construunt sibi domicilium; vellem ut hoc idem vos quoque factitaretis. Ubi aliqua auctoritate apud christianissimos principes polluero, praestabo me ei negotio fidum procuratorem: ab ineunte enim aetate, ut nosti, ordinis tui studiosus extiti. Interea tamen posses aliquos ex tuis ad nos tamquam ad mercatum ingenuarum disciplinarum transmittere, quibus non deerit mea opera. Quod superest, quoniam apud senatores nostros multum vales, si quando de me sermo orietur (oriturum scio, ubi tu voles), commenda me illis non vulgariter, assere nihil me malle quam occasionem mihi offerri de illis bene merendi: intelligerent enim me suae reip. studiosissimum. Tu vero vale et matrem commendatam habe: quicquid in eam officii contuleris, in me ipsum collatum arbitrabor, aliquando etiam referam gratiam; Barbaram vero materteram meam salute impertire. — — — Bitenbergae 3° nonas Junias.

Nr 29. (Zu derſelben Zeit.)

An Georg Schutz, Official in Coſtnitz.

Cod. 306 (362) fol. 353b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Georgium Schucz, i. u. d., officialem Constantiensem.

S. p. d. Longo tempore degi tecum Bononiae, excellens et reverende domine doctor, sed tanta te humanitate praeditum nunquam cognovi, quantam nuper Constantiae paucis diebus expertus sum. Ubi quum tu in officio et dignitate amplissima constitutus esses, venisti tamen ad me, peregrinum excepisti benigne officioscque et nullum in me honorando officii genus omisisti: unde in perpetuum corroborata est amicitia illa, quam aliquando ex studiorum similitudine et longi temporis condiscipulatu contraxeramus. — — — — — A te proficiscens veni Vitenbergam; serenissimus princeps honesto salario deputavit me ad lecturam sexti; statim ut profiteri coepi, academia me in suum rectorem delegit. Itaque lateo in hoc angulo Saxoniae, lateo tamen quod me sustentat apud libros meos. Quod superest, cura ut valeas et communes amicos, potissimum illustrem doctorem Wurm et patronam meam cum filiola nomine meo salute impertire; fratri vero meo si adest has litteras coram consigna, sin minus, discerpe. — — — Iterum vale.

Nr. 30. (13. Juni 1507.)

An Ulrich Kollin, Prior zu Ulm.

Cod. 306 (362) fol. 355a. Concept von Scheurl's eigner Hand. Das Datum iſt aus der Stellung im Codex zwiſchen zwei hier nicht mitgetheilten Briefen d. d. Vittenbergae Idibus Juniis 1507 geſchloſſen.

Ad Udalricum Kollin priorem Ulmensem.

S. p. d. Quatinus, reverende pater, occasionem habeas amicissimo tuo congratulandi, scribam ad te conditionem meam, quam quod bona est orationibus tuis ceterorumque amicorum acceptam refero. A te proficiscens magnis itineribus ut Vitenbergam perveni, serenissimus princeps meus humanissime me suscepit et annuo salario octoginta aureorum ad lecturam iuris pontificii deputavit. Statim ut profiteri coepi, factus est ad me audiendum magnus concursus, quin interiectis paucissimis diebus universa academia unanimi assensu me suum ducem delegit atque rectorem, quam dignitatem spero mihi scalam futuram ad maiores. Christophoro Blanco conterraneo tuo, quia tu mihi eum commendasti, in necessitate constituto mutuo dedi octo

aureos neque in aliqua re meam operam frustra implorat: est enim totus probus, pudicus, studiosus et bonus, quamquam multi asserant eum habere parum humanitatis, propterea quod continuo latitat, nunquam ad amicos in publicum prodeat. Si quid praeterea pro te aut tuis possum, scis ubi sum et qui sum, hoc est tui et omnium tuorum studiosissimus. Ubi reverendum magistrum nostrum redisse audiero, constituam me suum et suorum procuratorem atque advocatum; interea me ei commenda non vulgariter, fratrem [53]) vero et communes amicos et agnatam cum marito plurima salute impertire.

Nr. 31. 6. September 1507.

An einen Ungenannten.

Cod. 306 (362) fol. 363b. Concept von Scheurl's eigner Hand

S. p. d. Singulare decus gymnasii nostri, eximius magister noster Jodocus [54]) exposuit mihi, praestantissime vir, te et nescio quem amicum tuum in animo habere velle apud nos doctoratus insignia accipere, quare tibi gratum esset de singulis quae huiusce negotium concernunt aliquid praecipere. Ego igitur ut magistro nostro et tibi morem geram, quatenus meam in vos benivolentiam intelligatis, faciam te pancis voti compotem. Et primum consilium tuum vehementer laudo ac probo: nam studium nostrum, tametsi recens, est tamen Bononiensi et Patavino privilegiis aequiparatum, ita quod nonnulli clerici apud nos iuri civili et in illo promoveri libere queant, quemadmodum in privilegiis nostris quae apud me sunt aperte patet, quorum capita in praesenti scheda ad te transmitto. Quamquam autem approbatio doctorandi iure sex doctores requirat, quia tamen consuetudo est optima legum interpres et tacito consensu leges in desuetudinem abeunt, haec solennitas quandoque apud multos, apud nos nunquam servata est, maxime quia sacer imperator tribuit coetui nostro seu collegio facultatem promovendi. Quod collegium consistit apud tres, immo quandoque retinetur in uno: sumus tamen praeter praepositum quatuor collegiati, quorum tres quottidie profitemur, quibus causa examinis tantum unum superaddere difficile esset quasi de iure nostro dubitaremns, nisi forte is ex benivolentia collegio nostro adscriberetur ut membrum. Si itaque tu et amicus tuus post baccalaureatum trien-

[53]) Konrad Kollin? Vgl. Scheurl's Brief an Johann Ketzmann vom 24. Juni 1517. — [54]) Jodocus Trutvetter aus Eisenach.

nale studium in approbata universitate legitime edocueritis, de scientia et moribus constiterit, non dubito vos ambos minus centum aureis cum summa dignitate doctoratum adepturos. Nec interest, ut, quandocunque volueritis (continui enim sumus in studio), ad eam rem plures quam quindecim dies absumatis, nisi forsan diutius apud nos gymnasii et vestri honoris gratia commorari velitis. Reliqua accipies ex magistro nostro. Vinum habemus Francum: tu quanto dulcius attuleris, tanto suavius laudaberis. Quae cum ita sint, te magnopere hortor, ut quod modo [55]) concepisti exitu praestes: quemadmodum nos decorabis, ita ex gymnasio nostro magnum accipies ornamentum. Quodsi mihi nullam fidem adhiberes, — — poteris ad nos circiter sextum calendas Novembris iter suscipere, quando officialem Hallensem et pireto et uxore ornabimus. Spero te multa apud nos vel opinione tua praestantiora offensurum. — — — Interea vale. Vitenbergae 6. Septembris anno domini 1507.

Nr. 32. 12. Februar 1508.

An Simon Pistoris.

Cod. 306 (362) fol. 368a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Simonem Pistoris. [56])

S. p. d. Libellum, quem aliquando in laudem Germanorum et ducum Saxoniae edidi, librariis iterum tradidi formis excudendum [57]): quare quum sis vir eruditus et humanus, tua mihi opus est opera. Quare per amicitiam inter nos nuper in hoc gymnasio conciliatam te rogatum velim, ut ubi per otium licuerit tua vigilantia des operam, ne artifices ab archetypo aberrent: hoc mihi gratissimum erit, oblata occasione referam gratiam. Sbrullius [58]) noster tibi salutem adscribit, tu vero nomine meo doctorem Ketwichium avunculum salvere iube. 12. Februarii.

Nr. 33. 10. März 1508.

An Ernst von Schleynitz.

Cod. 306 (362) fol. 369b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Ernestum Schleynitz.

S. p. d. Communis amicus noster Joannes Blanckefeldus retulit mihi te et saepiuscule et amice rogasse, quonam in statu

[55]) Cod. non. — [56]) Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 20: Symon pistoris de Zcanis. — [57]) Vgl. v. Soden, Beiträge S. 15. — [58]) Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 21: Richardus Sbrulius Foro Juliensis italus Poeta.

essent res meae, voluisseque ad me scribere: ago habeoque tibi gratias immortales. Nil mihi iucundius accidere potest quam a tui similibus, id est ingenuis, doctis, officiosis, mutuo diligi. Summa itaque humanitas tua effecit, ut ea abuti velim. Ex Italia profectus sum culpa illius perfidi Mulbecki obaeratus [59]) simul et nonnullis negotiis implicitus, quae, ne tibi sim molestus, ad longum parenti meo Joanni Schafhuso perscripsi; sed quae tua est integritas apud mensam Fucherorum pecuniam ad te transmitto et supplex rogo, ut eam inter creditores meos distribuere et pro reliquo, quod Zanolino debuero, si illi contra opinionem meam fidem meam sequi noluerit, honoris mei gratia intercedere digneris. ——— Quod ad res novas attinet, fui nuper nomine senatus Vittenbergensis Neunburgi, ubi inter principes nostros iterum inaniter diaetatum est. Optimus pater tuus, ut est omnium Misnensium facundissimus, addo etiam sapientissimus, fuit dux vester; gavisus sum cum summa me delectatione audire Germanum Ciceronem. Sed illud me turbavit non modicum, quod erat moestus admodum et vestitus lugubribus ob mortem aviae tuae et quod dolenter tibi refero filiae suavissimae, sororis tuae, illius quae Tutenbergio nupta erat, quae nuper (proh dolor!) miserabiliter e partu mortua [60]) est magno, ut audio, apud suos de se relicto desiderio: erat enim amabilis et ut paucis absolvam dotibus muliebribus prae ceteris ornata. ———— Si quid praeterea acciderit novi (tale tamen omen summus deus avertat!) perscribam ad te, id quod te mutuo facturum pariter et me amaturum confido. Vale, vir eruditissime. 6 idus Martias.

Nr. 34. (April 1508.)

An Johann von Staupitz.

Cod. 306 (362) fol. 373a. Concept von Scheurl's eigner Hand. Der Brief ist unvollständig, der Inhalt dunkel; das Datum läßt sich nur ungefähr aus dem Schlusse entnehmen.

Ad doctorem Staubitz.

Salutem cum reverentia debita. Si quottidie, reverende pater, addo etiam praeceptor et patrone optime, reverendam paternitatem tuam per litteras rogarem, ut me divo principi nostro commendares, quatinus me in curiae iudicum ordinem cooptaret; forte possem tibi alioquin rebus publicis occupato mo-

[59]) Cod. oberratus. — [60]) mortua fehlt im Cod.

lestus esse et importunus iudicari. Itaque ex industria hoc praetermisso quo in statu sint res nostrae, decrevi te certiorem reddere. Et primum puto te non ignorare acta Brandenburgensia. Post longum verborum ornatum in hoc disceptatum est, an ante accusationem institutam contra procuratorium mandatum Remo Rabylo excipiendum esset, praeterea an corvi praestituto die non accusati absolvendi forent. Iudicavimus pro Rabilo et contra corvos. Ipsi replicarunt, iudicatum secundum ius commune et contra hereditaria pacta. Respondimus, secundum ius commune iudicasse et non contra pacta, hoc idem nos de cetero facturos. Quod ipsi non accipientes biduo inutiliter consumpto discesserunt. Interea venit antistes Brandenburgensis, ut ego interpretor in eorum auxilium, tametsi fingitur se longius ire. Quem ego quum propter familiaritatem nuper nescio an ex illa legatione an potius aequalibus poculis contractam officii causa adiissem, forte fortuito (ut est inter togatos et armatos naturale odium) quidam ex nostris cum suis rixam ineuntes eos ad domum usque lapidibus persecuti sunt. Quod quum animadverterem episcopum aegre ferre, quantum potui, eius molestiam lenivi et universitatem excusavi. Sequenti die quum rector et ego subconservatorem repeteremus, in quo vices suas usque ad revocationem delegaverat, iniuriam ad animum revocavit, graviter in nostros invehit: se amico suo Lubicensi qui de nobis minus ingenue sentiret saepe nos commendasse, verum credidisset se habere gymnasium Wittenb., ceterum quantum videret maiorem disciplinam in Cotten repertam; quid prodessent viri docti, si discipuli nullis essent moribus imbuti? At ego facta dicendi copia dixi, me minimum esse, verum Lubicensi suo, si nos vilipenderit, ne digitum quidem porrecturum, divum Federicum esse Maecenatem nostrum, patronum, deum terrenum et gymnasii fundatorem. Tum episcopus apud universitatem et civitatem litteris conquestus est, se causa nostri honorandi Vittenbergam venisse; quod nisi malefacientes sibi Chesiram mitterentur puniendi, se quatriduo exacto civitatem et omnem districtum interdicturum eiusque rei gratia se principis negotia intermissurum et domum reversurum. Post continuatos tamen haustus uni ex nostris non clerico huius rei arbitrium permisit, quod non est acceptatum sed potius totum negotium neglectum, nisi quod ego in senatu sententiam rogatus dixi, nos debere appellare, quia sicut interdictum per appellationem non suspenditur, ita appellans interdici non potest. Tandem contra omnium opinionem in dominica Laetare nescio an dicam con-

servator vel disservator noster ecclesiae Witenbergensi interdixit sacris [61]).

Nr. 35. 1. Auguſt 1508.

An Ernſt von Schleynitz.

Cod. 306 (362) fol. 376b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Ernestum de Schleynitz.

S. p. d. Sexto idus Martias litteris te rogavi, elegantissime vir, ut centum aureos inter creditores Mulbeckii distribueres, quae pecunia si propter itinerum discrimina nondum reddita est, dabo operam, ut in continenti reddatur. Interea mitto ad te ducatos triginta, quos Jacobo Hebraeo si ei nondum satisfactum est, alioquin Bartholomaeo Zanolino nomine meo exsolvas te rogo; quicquid praeterea debeo, faciam satis cum animi gratitudine et tibi pro virili morem geram. Nicolaus de Steig, quem vulgo Schwager cognominabamus, his diebus Francfordiae, ubi publice profitetur, celebrat nuptias. Invitati sunt doctores Ketwich et Smidwerg. Tu vero vale et me mutuo ama. Vittenbergae calendis Augusti.

Nr. 36. 13. Auguſt 1508.

An Paulus Huthenne.

Cod. 306 (362) fol. 381a. Nur die Ueberſchrift iſt von Scheurl's Hand.

Ad d. Paulum Huthenc. [62])

S. p. d. Archidiaconus [63]) noster, optimus praeceptor et summus amicus meus, imo tuus, imo utriusque nostrum, ut secum iter ad te susciperem Erfordiam, me verbis tuis rogavit simulque salutem adscripsit plurimam. Ago gratias, praestantissime vir, quod mei non es immemor, qui iamdudum tuus esse coepi, quippe de tua humanitate nullum unquam dubium mihi fuerit. [64]) Manemus Maecenates nostros quot diebus, unde eam profectionem in aliud tempus communicato consilio distulimus. Interea reperies Mogunciae doctores Jo. Kuhorn et Jo. Ridesel, viros humanos et litteratos, quibuscum ex studiorum similitudine, ut assolet, magna mihi est familiaritas. Vellem plurimum eos salvos esse; mitto hunc rotulum, misi etiam litteras superi-

[61]) Einiges zur Sache bietet Jürgens, Luther's Leben, Bd. 2 S. 207 f. — [62]) Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 25. — [63]) Jodocus Trutvetter. — [64]) Cod. forit.

oribus diebus, sed puto redditas non esse. Tu eis meam offer operam. Doctori Ridesel si in animo est ad nos concedere, nuntia me obsecro et sibi et omnibus bonis esse expositum; reverendo abbati nostro et Severiano decano, viris humanissimis, cupio me commendatum esse vehementer; tibi vero commendo gymnasium nostrum, ut illud non tantum tua incredibili ut facis eruditione illustres [65]), verum etiam promotione adiuves, unde magnam gloriam assequeris. Vale, vir egregie, et amicitiam [66]) mutuo cole. — Vittenbergae idibus Sextilibus anno a reconciliata gratia octavo.

Tuus Christoph. Schewrlus doctor.

Nr. 37. 5. Januar 1509.

An Wolfgang Pollich.

Cod. 306 (362) fol. 384a. Concept zuerst von Scheurl's eigner, zuletzt von anderer Hand.

Ad magistrum Wolfgangum Polychium. [67])

S. p. d. Redditae mihi sunt litterae tuae, litteratissime vir, addo etiam frater optime (sit enim haec tui praefatio verissima), quas tu die anastaseos dominicae Ingolstadii dedisti, quibus petis, ut luculentam illam orationem tuam, quam me ineunte magistratum dixisti, aeneis formis excudi curem, ita ut annotatiunculae illae Latiali more marginibus adscribantur. Qua de re non semel sed iterum atque saepius librarium conveni, sed nescio propter quas alias occupationes suas hucusque frustra conveni: dabo tamen operam, ut utriusque nostrum honoris gratia quam primum in lucem prodeat, ad te in Latium veniat et ut minime ab archetypo aberretur. Alterum petis, immo efflagitas, ut simul cum oratione ad te mittam ordinem in iure discendi, quo quasi manuducaris, quali et ego usus perhibear. Gererem quidem tibi morem, cui nihil negare possum, nisi istud esset quod vulgo dicitur: Sus Minervam, quandoquidem tu tam divino praeditus ingenio me potius uti potes discipulo quam praeceptore. Ne tamen incassum scripsisse videaris ad hominem amicissimum, edisseram paucula de studiis meis, non ut tibi praescribam quicquam, sed si aliquid ad stomachum fecerit id excerpas et denique per omnia utaris consilio tuo. Veni itaque

[65]) Cod. illustris. — [66]) Cod. amicicie. — [67]) Sohn des berühmten Martin Pollich von Mellerstadt. Vgl. Will's Nürnbergisches Gelehrten-Lexicon Th. III, S. 517.

Bononiam tamquam ad mercatum ingenuarum disciplinarum anno abhinc undecimo vix decem et septem annos natus, veni autem iuris civilis penitus expers, quippe quem haec nota ff. latuerit, unde propter rerum difficultatem undique ingruentium fere in desperationem adductus essem. Nam ut egregiae memoriae avunculus pientissimus meus doctor Sixtus Tucherus dictitare solebat, Italia non dat parvulis lac sed escam, hoc est in Italia fundamenta non discuntur: sed labor improbus omnia vicit. Audivi cum summa diligentia novem fere continuis annis, ita quod raro lectionem perderem, rarissime tardiuscule venirem; lectionem praevidi, praevisam ad amussim ex praeceptoris ore excerpsi, excerptam repetii domi, solum enim studium camerarium (mihi crede) hominem doctum efficit. O dulce studium, quod mihi fuit ab hora vicesima quarta usque ad tertiam! Diebus quibus ordinarie non legitur, qui multi sunt, cum ceteris studiosis condnxi praeceptorem privatum, qui privatim nobis aliquid profitebatur, et denique debui putare omne tempus perire, quod studiis non impenditur. Legi commentarios multos, legi minimum quemque versum et pontificii et Caesarci iuris: nam doctores plerumque magis ad aucupandam inanem gloriam quam scholasticorum utilitatem legunt, modernos referre dedignantur nisi ut reprehendant ——; sed consultius egissem, si solum textum egissem commendassemque. Trahuntur a conversantibus mores: cohabitavi autem continuo Italis, quorum consuetudo me doctum redderc posset. Passus sum et abstinui, usus sum cibo modico, immo modicissimo, puta herbis magnam partem: neque enim convivandi gratia Italiam petieram. Testis est stomachus meus, ex quo vides me quoad vita continget laboraturum, neque poenitet, quando Plinius [dicit]: Omnes studiosi perhibentur stomacho fuisse invalido. Nonnullorum Germanorum consortia declinavi penitus, quorum deus venter est, qui baccho, venere, alea dies noctesque continuant. Contulique me totum ad iuris civilis disciplinam, quae quasi Tarpeia arx urbe directa adhuc superest inviolata, sancta, ornata, aurea, unde etiam nonnihil humanarum litterarum hausi. Nam si 50 ff libros relegeris, cum quadam admiratione releges, quod nescias, utrum diligentiane an gravitas, prudentia an aequitas, scientia rerum an orationis dignitas praestet et maiori laudi danda esse videatur memoriae: plerumque enim Germani in subtilitatibus non versamur, sed vel opinione vel aequitate decidimus. Utcunque sit, tu apud nos maximam sustines expectationem. Contuli nuper praesentibus quatuor principibus in frequentissima illustrium doctissimo-

rumque hominum concione Udalrico Dinstadt [68]) et Casperi Schickero [69]) insignia doctoralia; tum publice professus sum te illustraturum Saxoniam [70]), sicut etiam in omnibus fere concionibus meis tibi plurimum tribuo, unde tibi die noctesque laborandum, sudandum, vigilandum censeo, ut fidem meam liberes, ut imiteris virtutem paternam. Turpissime enim foret, te a deo opt. max. tam egregio praeditum ingenio e parente tantas expectare facultates et non in omnium Saxonum longe doctissimum evadere. Eia igitur, frater mi carissime! cogita omne tempus perire, quod studiis non impenditur; stude, stude, quia solum studium facit ingenium et memoriam. — — Quod si verum fateri volueris, nunc primum coepisti vivere, quandoque etiam amplissimas gratias ages omnibus qui profectionem tuam in Italiam maturarunt. Apud nos dormiebas et, quod ridendum est, dormiens vigilabas: ita peribas miser, ut de te fere actum esset. Unde etiam quemadmodum rei et famae tuae consulueris, scimus qui te amamus et doleremus quidem, nisi quandoque adolescentem insanire prorsus malum non esset, sperantes quod in Italia longe cautius ages et nemini nisi quantum sat est te credis. Imprimis etiam tibi praecipio, si qua modo apud te auctoritate polleo, ut tamquam scopulum maris Jacobum Hebraeum fugias, quicum si contraxeris nunquam bene tibi erit; cave etiam ne pro quoquam fideiubeas, nusquam tuta fides. Quantum honesta conditio requiret, opportune habebis a parentibus et nunc suasu meo apud mensam Fucherorum patruus tuus tibi pecuniam transmittit. Quod si qua in re mea tibi opus erit opera, nunquam tibi deero perinde ac fratri meo suavissimo. Hortatu parentis nostri retulerunt me optimi principes nostri in senatum suum etsi immeritum, quin cooptarunt tribunali illi, quo..... [71]) modo Lipsi modo Altenbergii provincialibus suis ius reddunt, unde dante deo futurus sum crebro Lipsi et semper ad te scribam, qui in statu sint res nostrae et, ut nunc incipiam, optimus parens noster valet, unde et nos valemus omnes. Faciem reip. nostrae litterariae mutavimus more Bononiensis, omnem potestatem ad doctores reformatores redigentes; principes quoque tulerunt novas leges, quarum multa

---

[68]) Ulrich von Dinſtedt war 1507 Paſtor in Eisfeld und Cantor an der Allerheiligenkirche in Wittenberg, Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 21, 1517 aber Canonicus in Wittenberg. — [69]) Im eben angeführten Album wird wahrſcheinlich derſelbe Caspar Schicker als Rector der Univerſität im Sommer-Semeſter 1509 erwähnt. — [70]) Cod. Saxonia. — [71]) Cod. angarientim, wohl angariatim.

intelliges ex rotulo nostro, quem iam Schafusero mittimus, cui imprimis te commendavi. ——— Rogo te vehementer, ut me de novitatibus Italiae et potissimum Bononiensium nostrorum exactissime certiorem reddas. Audio nonnullos vitam laqueo finire coactos; vellem scire nomina et quid agant Bentivoli et si qua sunt similia, id quod mihi gratissimum erit. Collega noster doctor Hieronymus [72]) duxit uxorem Katherinam Domitsch: hos proximos dies celebrabit nuptias Torgae; Blasimephesin quoque nupsit nescio cui Gutterbocensi. Tu vero vale. ——— Vittebergae nonis Januariis anno domini 1509.

Frater tuus doctor Scheurlus.

Nr. 38. 17. März 1509.

An Leonhard Vogel.

Cod. 306 (362) fol. 389a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Leonardum Vogl.

S. p. d. Redditae mihi sunt amicissimae simul et suavissimae litterae tuae, optime praeceptor, quibus certior factus sum te senatorem Vratislaviensem creatum et invitum quidem eam provinciam subiisse. Deus faxit, ut haec dignitas tibi universoque senatui saluti sit, honori atque ornamento: gaudeo et reip. illi vehementer congratulor, quae te patrono uti poterit apud reverendum praesulem, apud quem tu auctoritate diceris posse omnia. ——————— Volo laborem tuum esse moderatum. Discretionem aiunt matrem virtutum: tolle hanc et auctore Bernardo virtus erit vitium. Unde quemadmodum optimus parens anno abhinc undecimo te praedixit senatorem, ita ego quoque futurum te iudico dictatorem vel, ut vos appellatis, capitaneum, quem magistratum avus quoque meus Albertus cognomento Pulcher gessisse memoratur. Quanto autem altius in dignitate tu ascendis, tanto magis nobis, quibus dulcissimos natos [73]) credidisti elaborandum est, ut filii ipsi sint non modo fortunae verum etiam virtutis paternae heredes imitatoresque ——————— Quod propter occupationes tuas nos adire non potes, verum optas meum ad vos adventum, argumentum est tuae ingenuae in me benivolentiae, qua sicut me a puero mutuo prosecutus es ita in praesenti se

[72]) Hieronymus Schurf. — [73]) Leonhard Vogel's Söhne Chriſtoph und Wilhelm ſtudirten ſeit dem Sommer 1508 in Wittenberg, ſ. Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 26.

quoque undique ostentat, et ut plane fatear, mi suavissime praeceptor, nescio quis teneatur alterius visendi maiori desiderio. Cupio ego vehementer videre praesulem nostrum, de quo tam multa praeclara praedicantur atque egregia; cupio non dico illius amicitiam (nam illud supra vires esset), sed familiaritati me insinuare; cupio videre Vratislaviam, ubi parens meus in hanc lucem susceptus est, et te illius senatorem, optimum praeceptorem meum, una cum pudicissima coniuge. Unde mecum ipse statui annuente deo et principe assentiente Margarithae, quo tempore lectionibus vacamus, ad vos iter suscipere ea conditione, ut vobiscum sim pauculis diebus laetus totus atque iucundus, de quo interea plura. Quod etiam dicis nativitatem meam chalcographo dedisse, ago gratias et ut res dili genter absolvatur plurimum obsecro. Princeps vellet me ducere uxorem et ut perpetuo me sibi redderem obnoxium obligatumque: quae si repudiavero prout repudiavi, non ita prospere mecum agitur. Unde tu quum sis astrorum quoque consultus et me scire docuisti, edoce quoque et consule secrete obsecro vivere, hoc est qua ratione vivendi formam mihi instituendam putes: ego enim tibi plurimum tribuo et vehementer amo, id quod malim coram quam calamo exponere. Uxorem cupio esse salvam et universam familiam; filii quoque valent, quo tempore haec scribebam studebant ut assolent, curabo ut scribant brevi, satis est quod valent et student diligenter. 17 Martii.

Nr. 39. 9. Mai 1509.

An Ulrich von Dinstedt.

Cod. 306 (362) fol. 392b. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Ad Udalricum de Dhinstet.

S. p. d. Utriusque nostrum amicissimus archidiaconus ille, clarissime domine doctor et amice suavissime, fecit mihi copiam binarum litterarum, quibus mihi salutem adscribis. Ago gratias, quod mutuam amicitiam nostram ex studiorum similitudine conciliatam colis et in amore ei respondes, a quo provocere; quod autem me certiorem reddidit te febribus laborare, dolco plurimum eamque aegritudinem communem mihi existimo. Verum oportet, ut memineris te virum; nunc venit tempus, ut experimentum tui caperes: non in mari tantum aut in proelio vir fortis apparet, exhibetur etiam in lecto virtus. — — — Illud etiam dolorem tuum levare debet, quod multi reditum tuum apud deum precamur, sine quo aedes sancta videtur quodammodo man-

ca. Veni obsecro et habebimus septem praelatos doctores et, ut nosti, omnes praestantes. Rector noster d. Schicker cooptatus est in scholasticum, licentiatus Pencko in syndicum qui crastino die doctor pronuntiabitur. Funck sortitus est decanatum in capella Beatae Virginis, princeps addidit 5 vicari[os], instituit oculum et succentorem, auxit capellanis et choralibus stipendium. Nil dubito, ecclesiam illam futuram illustrem, ita ut libenter apud nos futurus sis. Princeps struit collegium, quo absoluto domus quoque canonicales struet. Praepositus quoque aegre habuit, sed iam dei beneficio pristinae redditus valitudini. Tu vero vale. ——— Vittenbergae, nona Maii 1509.

Nr. 40. 19. December 1509.

An Andreas Bodenſtein (Carlſtadt).

Cod. 306 (362) fol. 395a.

Amico perinde ac fratri suavissimo Andreae Podenstaino canonico humanissimo atque undecunque [74]) eruditissimo doctor Scheurlus s. p. d.

Orationi meae [75]), si modo mea dicenda est quae ex multis auctoribus excerpta est, librarii tandem ultimam manum imposuerunt, unde et mutua nostra benivolentia, mi clarissime Carlstat, te oratum velim, ubi studiis tuis divinis fatigatus aliud nihil facere volueris, eam tui Schewrli amore brevi lectione non dedigneris. Ubi de canonicis scribo, incidi et transeunter in tui mentionem, attingo amplissimam virtutem tuam, quia eam explicare supra vires meas existit. Qui dat quod potest, satis dat; quidquid hoc est, tu magni amoris mei affectum agnosces persuadebisque me tui amantem esse [76]), nempe nihil magis opto, nihil optatius mihi contingere [77]) potest quam bonorum ac doctorum tui similium amicitiae me insinuare. Quid mali de me sentiant, ex quo mutare non possum, oportet ut aequo animo feram; pluris tamen facio iudicium tuum quam sexcentorum malorum litteratorum. Vale, mi Carlstat, et si tibi cum Cicerone parum hominis videtur non respondere in amore ei, a quo provocere, profecto me quoque non in ultimum locum rationarii

[74]) Cod. unicunque. — [75]) Cod. me. Gemeint iſt die Oratio attingens literarum praestantiam, nec non laudem Ecclesiae Collegiatae Vittenbergensis. hab. d. 16. Cal. Dec. 1508. Vgl. Corp. Ref. I. p. 72, wo auch die Stelle über Carlſtadt mitgetheilt iſt. — [76]) esse fehlt im Cod., ſcheint aber nur weggeſchnitten. [77]) — Cod. contin.. rit.

amicorum tuorum referes. Iterum vale. Wittenbergae 14. kalendas Januarias 1509.

Nr. 41. 11. Februar 1510.

An Georg Leimbach.

Cod. 306 (362) fol. 395b.

Philosophiae ac astrorum peritissimo consultissimoque domino Georgio Leimpach, domino ac amico suo honorando.

S. p. d. Miraris fortassis, astrorum consultissime ac amice honorande, quod ad te scribam, qui nondum me notitiae tuae insinuavi; fieri quidem potest, quod tibi nondum sim cognitus, quem tamen Halli aliquando transeunter salutasti. Egregia autem [78]) et celeberrima virtus tua effecit non modo me tibi amicissimum [79]), verum etiam ut auctoritati tuae plurimum tribuam ac ad te tamquam oraculum confugiam, et ut brevibus utar: Natus sum in hanc lucem anno 1481 ipso die Sancti Martini parum ante meridiem; dedi operam litteris Bononiae annis novem, donec 23. Decembris 1506 doctoratus sum; statura mihi est iusta, facies candida. Reliqua transeo, quod scio me ei verba facere [80]), qui ex paucis multa coniicere novit. Super hac re necnon unici fratris mei municeps meus ille Noricus duo iudicia compilavit, cui ego propter eruditionem hominis plurimum tribuo; non tamen ignarus sum id firmius esse, quod a multis approbatur. Unde ea iudicia ad te transmitto ac plurimum rogo, ut quid de utroque et potissimum meo sentias ad me transscribas, et si videbitur novum iudicium simul ac trium annorum revolutiones mihi conscribere et maxime diligenter enucleando, sitne mihi in Saxonia manendum an potius in patriam revertendum sitne mihi uxor ducenda quam ille adeo abhorret an potius amplectenda clericandi [81]) occasio, et denique quid fortunae exspectare habeam in itinere ad Italiam, cui me nunc [82]) accingo, quatinus meam fidem quam cum gravi iactura [83]) mea pro [84]) Johanne Mulbeck obstrinxi liberem. Si haec [85]) brevi fieri potuerunt, nuntius hic exspectabit; sin minus, ut ea ad me transmittas Lipsim ad quartam vel quintam feriam post Reminiscere cum [86]) proprio tabellario ad aedes Romani hospitis

[78]) Cod. aut. — [79]) Cod. amicissimam. — [80]) Cod. faceret. — [81]) Cod. clericando. — [82]) Cod. nec. — [83]) Cod. tacta. — [84]) Cod. et. — [85]) Cod. hic. — [86]) Cod. non.

in platea magna prope forum (ibi enim una cum ceteris consistorii assessoribus per cam septimanam futurus sum causa iuris reddendi nomine [87]) principum nostrorum), te quibus possum precibus oratum habeo. Non modo faciam tibi satis, verum ubicunque quidquam potero habebis me paratissimum et accepti beneficii non immemorem [88]); mitto et ad te duos libellos ex officina mea. Vale et amicitiam cole. Iterum vale. Wittenbergae ex aedibus nostris tertio idus Februarias anno natali Christiano decimo supra millesimum quingentesimumque.

Tuus, si suus est, D. Schewrlus.

Nr. 42. 27. Juni 1510.

An Ulrich von Pinstedt.

Cod. 306 (362) fol. 396b. Die Ueberschrift ist von Scheurl's Hand.

Ad Udalricum de Dhinsthet cantorem.

Si vales, egregie vir, gaudeo; si non vales, ut scribis, pro mutua nostra benivolentia non possum non dolere nisi quod spero, dei benignitate te iam pristinae valetudini restitutum, sin minus, repeto ea, quae aliquando super hac re publice ad .. [89]) perscripsi. Quod Schaumbergius de tutela nepotis sui me consulit, offerens se mihi benigne pro labore facturum satis, mitto ad te responsum meum, misissem [90]) citius, si tabellarii copia mihi fuisset. Haec ad te scribo cum Georgio nostro Kolero, cum quo et opto et desidero litteras tuas suavissimas de omni re me certiorem reddentes. Responsum meum si vobis satisfacit, laetor plurimum; si qua praeterea in re et tibi et Schaumbergo morem gerere possum, habetis me paratum. Defuncto optimo praeposito nostro nominavimus te unanimiter in successorem, partim ob incredibilem virtutem addo et integritatem tuam, partim ut tibi sufficeretur, ut debet, theologus aliquis et quod propter valitudinem saltim per substitutum legere poteras. Volebam tibi cam rem significare, quatinus tu subito te submitteres principi (quae enim secuta sunt, tanquam ex specula praevidebam), sed consilium meum mutavit, ne me tibi redderem suspectum, ne et viderer universitati contrarius. Placuerunt litterae tuae senatoribus et de te bene grati sunt, sed nos principi placuimus minime, qui et litteris et coram, hoc est per

[87]) Cod. nomine et. — [88]) Cod. memorem. — [89]) Der von ad abhängige Accusativ ist im Cod. ohne Lücke ausgelassen. — [90]) Cod. misisse.

oratores, indigne tulit praeter scitum suum nominatum esse, praeterea statuta nondum edita, in bulla multa mutari et postremum te propter corporis imbecillitatem non posse legere, velle autem praepositum legere ordinarie. Praeterea oratores de te habuerunt mentionem honorificam, quod esses vir bonus, cui princeps gratiosus esset et petenti beneficium quingentorum aureorum (his enim verbis utebantur) conferret. Itaque omnia sunt tecum acta honorificenter et cum laude, unde amicis tuis gaudendum puto. Nos excusavimus universitatem, sed excusatio ideo grata fuit atque accepta, quod et praeposituram [91]) et nos principis arbitrio summisimus, quare princeps nobis doctorem Henniggum [92]) designavit. Nos sequenti die praepositum nominavimus Henningum, quem tamen audivimus aegre habere, sed exspectamus adventum propediem. Ipse spopondit operam suam et universitati et ecclesiae et nobis insciis procuratores [93]) constituerat ad iurandum universitati et beneficia acceptanda. Reliqua apud nos se habent belle, nisi quod Erfordenses utriusque nostrum amicissimum archidiaconum designarunt canonicum Beatae Virginis, ubi nunc plusculis diebus residet, animo tamen redeundi, timeo tamen parvo tempore; sunt qui affirment sibi succcssurum capellanum ducalem. Cupio scire, quid agant Herfordenses; audio eos tumultuari. Cura, ut valeas: cupio enim vehementer, te cum universa familia et Schaumbergio nostro valere peroptime. Offerente se nuntio scribam plura, quod et tu facies, et his nostris incultis veniam dato. Schoserus cum suis cupit te esse salvum. Omnes amici tui speraverunt te praeposito triumphare, sed propterea non tristabimur. Deus bene vertat omnia pro salute animarum nostrarum! Iterum vale, amicorum optime. Vittnberghae quinto calendas Quintiles anno a reconciliata divinitate decimo supra millesimum quingentesimumque.

Tuus Christoferus Scheurlus, i. u. doctor,
civilis ordinarius Wittenb.

Nr. 43. 8. October 1510.

An Ulrich von Dinstedt.

Cod. 306 (362) fol. 400a.

Ad cantorem Denstadt.

Salve, mi praestantissime cantor, amicorum suavissime. Si vales, bene est, gaudeo; nos quoque non solum valemus, sed et

[91]) Cod. praepositam. — [92]) Henning Göde. — [93]) Cod. procuratos.

triumphamus. Doctor Christannus, de quo tibi proximo scripsi cum Madalena nuptias celebrabit die Lunae post Martini: si id tua interest, adhuc venire potes. Sub idem fere tempus nuptias pariter celebrabit Chilianus Reutherus sponsus; is [94]) et rector noster Conradus Konig post sex dies doctorabuntur. Itaque omnia sunt voluptate plena. Venit et praepositus noster et hodie coepit legere ordinarie; doctor Volphius leget pomeridiana hora secunda in ff veteri; doctor Reisenpuschius leget dominica titulum de actionibus. Veni et invenies multos doctores. In tanta rerum affluentia hoc unum perturbat nos, quod cum maxima iactura nostra amisimus virum optimum dominum archidiaconum, qui est singulare ornamentum et lumen fulgidum gymnasii nostri. Res autem tuae salvae sunt et ego curabo, ut salvae permaneant: si qua praeterea in re tibi mea opus est opera, scis me tibi deditum existere et te plane familiariter amare. Vale cum omnibus, quos diligis. Vittnbergae octavo idus Octobris anno 1510.

Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 44. 8. October 1510.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 400a.

Ad archidiaconum Eisenach. [95])

Salutem cum reverentia debita. Litterae tuae et elegantia et humanitate perpolitae [96]) non solum gratae mihi fuerunt sed etiam summa affecerunt voluptate eo quod tuam in me benivolentiam abunde [97]) testantur. Ago gratias, mi integerrime praeceptor, quod voti me compotem facere minime dedignaris: votum mihi semper fuit, me tuae amicitiae insinuare, quod non dubitavi, quin sanctissimi tui mores praestantiorem me redderent. Quoniam igitur cum gravi mea iactura atque calamitate simul vivere negatum est, te oratum velim, ut frequenter non solum de valitudine et statu tuo, quem quidem toto animo opto desideroque tibi pro voluntate contingere bellissimum, me certiorem reddas, sed etiam edoceas, instruas atque dirigas: ego

---

[94]) is fehlt im Cod. — [95]) Jodocus Trutvetter, aus Eisenach gebürtig, war einer der angesehensten Lehrer (1501 auch Rector) der Universität Erfurt, wo er auch Luther'n in der Weltweisheit unterrichtete; im J. 1507 folgte er einem Rufe nach Wittenberg und übernahm nach Scheurl das Rectorat, doch ging er schon 1510 wieder nach Erfurt zurück. — [96]) Cod. praepolite. — [97]) Cod. tua in me beniuolencia abeunde.

quoque nunquam tam occupatus ero, ut aliquem [98]) sinam ad te sine meis epistolis pervenire, quae te de minimis quibusque, quae apud nos aguntur, faciant certiorem. In hunc modum curabo eam molestiam, quam ex tua absentia contraxi [99]), atque desiderium tui levare. In praesenti vero intelliges ex litteris Ambstorphiis, principem profectioni tuae, quando diutius refragari non potuit, assensisse, nec te moveat assensionis formula, quippe excusatione dignum iudico gymnasii erectorem, si eum gymnasiarcham illubens atque invitus amittit, cuius similem olim timeo non recuperabit; nescit virtus opprimi, iam non timeo quin accessu temporis in pristinam gratiam rediturus sis: serviendum est tempori. Mittimus tibi sarcinulas tuas, deus faxit ut salvus [100]) accipias; dictaveram ego publicas litteras, ut ita tutius veherentur, sed audio signatas non esse, neque refert, annuente deo absque litteris pervenient ad te. Quod autem scribis de mandato procuratorio mittendo, nihil est equidem, quod tui causa subire recusem, sed puto mandato publico opus non esse tum propter negotiorum tuorum modicitatem tum propter invidiam declinandam: ex quo enim te cum maximo dispendio amittimus, non deessent qui iudicarent me abitionis tuae conscium fuisse, imo si fas est dicere consiliarium, quae res etsi longe aliter se habcat, non oportet tamen quem solum esse bonum nisi etiam suspicione mali careat. — — — Nos omnes debemus tibi, qui es recte vivendi et norma et exemplar, cuius integerrima conversatio nos recte vivere docuit, cuius doctrina nonnisi meliores reddi poteramus atque nunquam accedebamus, quin abiremus doctiores [101]). Sed video te tacite mussitantem: Bene scribis, o Christoff, sed nimia tua in me benivolentia fallit iudicium tuum, nimia observantia seducit calamum tuum; quomodo enim mihi debetis, qui modicum signum negastis, quod etiam unius diei studenti communicatis? Verum nunquam me movit unius aut alterius temeritas, qui per impudentiam omnia non dico regunt (regere enim non didicerunt) sed quod sciunt perturbant, stulti iudicandi, qui nocere volunt et non possunt. Sat superque bonis placuisse, malis semper laus summa fuit displicuisse: unde etiam supervacuum putavi, defectus aut negligentias tuas excusare, quippe qui nihil unquam neglexisti neque in aliquo defecisti. Econtra vero excusandi sumus nos, si te non ut pium parentem [102]), ut omnis eruditionis principem co-

---

[98]) Cod. aliquam. — [99]) Cod. contrahi. — [100]) Cod. salvos. — [101]) Cod. doctores. — [102]) Cod. parentum.

luimus et observavimus, nos inquam, sed non omnes, testor deum, ita ex animo iudico: magis lacrimantur quam adulantur; quotquot ex gymnasio nostro virtutem amant, te amant, tibi quantum homini unicuique eruditissimo addo etiam probissimo tribuunt; si qui virtutem non amant, neque digni sunt [103]) te amare. Rogo, obsecro, non te eorum moveant consilia [104]), miserere, veniam da stultitiae eorum, satis eos torquet livor et conscientia, modo quod scribis te aestate rediturum. Nisi tu redeas, veniam ego ad te possesque mihi pulcherrimam veniendi occasionem afferre, et rogo te, sit tibi commendatum monasterium Sanctae Clarae: debentur ei ducenti quinquaginta aurei singulis annis et ob non solutionem patitur miseriam; si quid habes consilii, utere, amicis rem et impertire, recipe mercedem a deo, nos quoque non erimus ingrati. Interea quod ad tuum venire attinet, celebrabunt principes nuptias Bavaricas Monaci ad festum Martini; si itaque adventum tuum maturares, fortasse non ageres inconsulte. In hunc modum responsum est litteris tuis; nunc [105]) venio ad res privatas et eas quidem absolvo paucis: timeo enim, ne tibi in gravioribus, immo divinis studiis occupato aliquam molestiam offerat incultus calamus noster, qui nihil praemeditatim, sed ut quodque verbum in buccam venit scribere non erubescit. Affuerunt principes ambo una cum patruele Henrico. Convocatis vicinis civitatibus data est opera rei sagittariae biduo: Federicus victor Lipsensibus sertum imposuit, hoc est proximum id genus spectaculum redixit edendum. Praepositus hoc die hora 6ta exorditus [106]) est titulum de constitutionibus, Volphius profitebitur, si certum petetur, ff pomeridiana hora secunda, Reisenpuschius extra ordinem titulum de actionibus instituet [107]), quin fertur esse datus coadiutor ei, de quo iam diximus. Doctor Christannus celebrabit nuptias ad diem Lunae post Martini, dominica autem sequenti invitabimus ad doctoratum rectoris et Chiliani Reuteri, eum [108]) dico, cui pridie publice desponsata est virago illa Balthasardhena; equitabit etiam facultatis iuridicae almi studii vestri decanus. Ita enim heri ex eius sermone collegi, dum apud Brandenburgensem, qui apud medicos nostros operam dedit valitudini, coenaremus. Promoti etiam sunt baccalaurei viginti septem, Magdeburgensis quoque licentiatus. Absolutis rebus novis concludam cum antiquis, antiquum est quod te amo, amo autem

---

[103]) Cod. sint. — [104]) Cod. iusticia oder inscicia. — [105]) Cod nec. — [106]) So Cod. — [107]) Cod. instituta. — [108]) cum fehlt im Cod.

te ab eo die quo cognovi doctum et bonum, cognovi autem bonum [109]) ut vidi. Tuum est me mutuo amare, et si quando apud reverendum antistitem nostrum Paulum, apud abbatem, apud decanum et Divi Severi mentio de me orietur (oriturum scio ubi tu voles), commendare me illis vehementer, curare etiam ut valeas. Vittenbergae octavo idus Octobris anno 1510.

Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 45. 1. Januar 1511.

An Spalatin.

Cod. 306 (362) fol. 405a. Die Adreſſe ergiebt ſich theils aus den Andeutungen im Briefe ſelbſt, theils aus dem Schreiben Nr. 52.

S. p. d. Fecit me certiorem Joannes Feilus, audisse te de libello meo quem in ducum Saxonum laudem compilavi cupereque te illius habere copiam. Ego vero, praestantissime vir, iamdudum audivi de egregia eruditione tua, quod non modo de secularibus litteris, sed etiam de Scaevolarum disciplina bene meritus es, unde ex multis optimo principi nostro delectus praeceptor peculiaris, quem saepe quaerebam. Gaudeo mihi oblatam [110]) esse ad te scribendi occasionem; magis gaudeo argumentum mihi datum esse constituendae tecum amicitiae: saepe enim fit, ut vel quos nunquam vidimus amare cogamur absentes propter incredibilem virtutem. Ceterum lucubrationes meae non tantum olent lucernae, ut a te legi mereantur, nisi cum Plinio iudices nullum librum esse adeo malum, quin aliquid boni contineat. Unde libellos quatuor, quos ex inscriptione cognosces, muneri tibi mitto; ubi aliud nihil agere voles, in his perlegendis utere consilio tuo: unum ego a te peto, ut in rationarium amicorum tuorum me adscribas. Quodsi qua apud me sunt, quae ad dignitatem vel utilitatem tuam pertinere putaveris, utere me ut tuo. Interea vale cum domino principe nostro. Datum Vittenbergae ex officina nostra litteraria calendis Januariis anno undecimo supra sesquimillesimum.

Doctor Schewrlus.

---

[109]) Cod. morum. — [110]) Cod. ablatum.

Nr. 46. (Anfang Januars 1511.)

An einen Ungenannten.

Cod. 306 (362) fol. 406a. Das Datum bestimmt sich ungefähr durch den Inhalt des Briefes und durch die Stellung im Codex.

S. p. d. In actis illis Munsterbergiis visa est mihi scheda una, qua Nurenbergenses quomodo ea in re agendum sit instituis. In eius calce animadverti te mihi salutem adscribere velleque habita opportunitate dare ad me litteras: ago gratias, doctissime vir. Iamdudum novi te incredibilem humanitatem cum egregia eruditione coniunxisse: testatur hoc libellus meus de laudibus Germaniae, ubi te pro singulari illius ornamento celebro. Verum ne officio tibi cedam, decrevi acta nostra ad plenum tibi exponere: quod dum in me sit, ne molestus sit calamus agrestis et mercatorius te oratum velim. Itaque ut primum ventum est Vratislaviam, princeps Carolus abiverat cum civibus in Marchiam ad Joachim causa mercatus transferendi. Ego inter eius absentiam [111]) concessi ad fratrem Albertum, quem etsi sciebam regimini inutilem, confidebam tamen me de Caroli reditu fieri posse certiorem, ut inde diiudicarem, expectaremne [112]) an potius irem obviam. Tandem ubi venit, praesentavi litteras publicas et facta dicendi potestate recitavi negotium totum oraviquc nomine principum meorum, vel ab actione desisteret vel ante [113]) omnia appellationem et [114]) sineret prosequi vel apud se cam [115]) causam tractaret amicabiliter vel saltim quo alio medio se cum vestris componeret. Carolus ut est homo prudens, gnavus et eloquens reiecta petitione in consultationem respondit: Se a teneris unguiculis egisse probum principem fovereque in praesenti causam iustissimam, petiisse Georgium Saxonem hoc ipsum, ut [116]) ei causam examinari liceret, dedisseque assensum, sed intelligere causam allatam esse citationem, unde ius suum prosequi necessum esset; sperare se propterea apud utrumque principem excusatum iri; verum quod ad amicabilem tractatum [117]) attineret, si qua media scirem, audiret lubens, adiudicatas sibi esse aurifodinas omnis et praeterea aureum nummum [118]) viginta milia, malle [119]) se illa amice quam iure consequi. Neque profuit, quod replicavimus [120]) gravamina quae tu pro sapientia tua appellationi inserueras [121]),

---

[111]) Cod. interea absentiam. — [112]) Cod. inde diuciorem exspectare ne. — [113]) Cod. an. — [114]) So Cod., non? — [115]) Cod. eos. — [116]) Cod. de. — [117]) Cod. amicabilis tractatus. — [118]) Cod. numerum. — [119]) Cod. mille. — [120]) Cod. replicabimus. — [121]) Cod inserueris.

quod mandatum Adlers non extenderet se nisi ad appellationem, quod metu coactus fuisset, quod ad dominica taxanda creditores [122]) citati non fuerant neque ipse probaverat, quod assessores [123]) fidelitate non soluti fuerant et praeterea quod si sententia valeret exsequi tamen non posset nisi contra creditores [124]) quorum nomine nos transigeremus, et si pro quota (quia esset in magnam familiaritatem ventum cum principe, dixi in aurem), praemissa tamen protestatione, quod ubicunque negotium hoc praedicaretur diceretur eum male agere, quod si quid extorqueret nullo titulo possideret, quum timere haberem ne [125]) cetera bona inficeret. Sed, ut praemisimus, haec et alia incassum afferebantur: ipse non secus ac..... [126]) sententiae inhaerebat, quod confisus, ubi haec iure agerentur posse revelli omnia. Communicato tandem consilio cooptati mihi sunt ex senatu suo duo, pariter et ex nostris Conradus Sawrman et Georgius Vilant, qui rem tractarent. Visum est imprimis etiam cum Starhult et Ruswurmin, qui duo milia et quingentos per sententiam obtinerent, transigere, ne actionem alteri duci cederent et esset transactio nostra diaeta Germanica hoc est mulier gravida. Post multos sermones ultro citroque habitos, quibus biduum consumpseramus, decrevit princeps ad tria milia, nos ad mille. Suadebat Sawrman et fideliter suadebat expedire vobis gratiam principis, principis dico pauperis et sagacis, cuius reditus in id genus extorquenda pecunia consisterent, qui paulo ante clementiam contra nescio quem Metzler instituisset, extorsisset quandoque milia et in praesenti vobis insidias multas struxisset; adducebat praeterea se ipsum extra, qui etsi [127]) proximis diebus contra Lignicensem obtinuisset victoriam, constaret tamen ea lis milia decem. Ergo [128]) etsi eius sententia per omnia subscribenda, maxime quod princeps iuraverat, nullum posthac tam [129]) modica pecunia transacturum, tamen ista patrem nihil movebat quod asserebat, non tantum iure communi fines mandati excedere non licere, sed et in spem iterum atque iterum mandat sibi esse mille ne transcenderem. Petivimus itaque diligenter causam ad principes Saxones examinandam remitti vel in aliquem non suspectum iudicem promitti vel saltim consulendi vos iudices.... [130]) dari, quod et

[122]) Cod. creditus. — [123]) Cod. assessos. — [124]) Cod. creditus. — [125]) Cod. me. — [126]) Hier ſteht ein Name, etwa: Bon. Caract. — [127]) Cod. quit si. — [128]) Cod. Ego. Der ganze Satz iſt noch dunkel. — [129]) Cod. tamen. — [130]) Im Cod. keine Lücke gelaſſen, aber es ſcheint ein Wort wie occasionem ausgefallen zu ſein.

confideremus accessu sesquimensis affuturum nuntium et pecunias. Ceterum haec omnia negata sunt. Ita dimissus est tractatus non absque animi mei molestia et iam desperata erant omnia, quum ecce tibi forte fortuitu adsit nuntius significans, placere Augustensibus, ut ab omnibus concilietur concordia et dari propterea genitori meo mandatum plenum [131]) unde Sawrman et ego ad multum noctis oblata [132]) occasione cum [133]) principe solo tractatum [134]) revidimus et tentamus primum de Welseris et Greuderis tantum, sed dividi negotium non [135]) volebat, unde ego eum tantis precibus fatigavi, ut me monachum appellitaret, donee transegerimus ad mille septingentos et vestem sericam. Vellem, audisses quanto labore! Modo [136]) iurabat [137]) se sententia non declinaturum et modo petebat 36 Polonos nomine aurei, ita subtilis ingenii ac si ab incunabulis mercator [138]) extitisset. — — — — — — — — Si qua praeterea in re tibi et tuis morem gerere possum, habes me paratissimum, cui me commendo cupioque me plurimum egregio socero tuo ac illius fratri qui nuper honorifice me honorarunt haberi commendatum.

Nr. 47. 12. Januar 1511.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 408a.

Ad doctorem Eysenach.

Salvus sis, mi suavissime praeceptor. — — — Scripsi nuper me peragrasse Silesiam: in causa erant mercatores Welseri contra quos princeps Munsterbergius litem instituerat, etsi nulla ratione tamen eorum bona molestabat; ego dexteritate rem transegi. Si quae in eo itinere a me visa sunt [139]) memoratu digna, semper te optavi, qui praestantissimus praestantissimarum rerum diligens es scrutator. Audisti, Vratisslaviae collegiatam ecclesiam iuxta cathedralem esse, quam ad Sanctam Crucem appellitant. Rationem sic accipito: Anno a natali Christiano octogesimo octavo supra duodecies centesimum Henricus cognomento Puer fidei causa victoriam reportavit a Cracoviensibus et Sarracenis, et quia ea victoria in die Divi Bartholomaci sibi contigerat, illius sacro nomini instituit ecclesiam construere. Iactis fundamentis inventa est crux, unde placuit aedem aedifi-

[131]) Cod. plenam. — [132]) Im Cod. noch est. — [133]) Cod. tamen. — [134]) Cod. tractatu. — [135]) Cod. cum. — [136]) Cod. modico. — [137]) Cod. iurabit. — [138]) Cod. mercature. — [139]) Cod. est.

care duplicem, hoc est unam super aliam, qualis est Francisci Asisiana, alteri Bartholomaei nomen indidit, Sanctae Crucis alteri. Crux autem est lignea non manu facta et ob id admiranda; longitudo non excedit palmam; pendet redemptor non ut nostri eum fingunt manibus in latum sed sursum tensis, eum in modum formata cruce: iuncto pede dextro super sinistro absque clavo forte vetustate consumpto, facie oblonga macilenta [140]), barba prolixa sed rara quae evulsa videri possit, capillis pausis, capite reclinato super brachio, pudibunda palam videntur utpote quae tecta non sunt, astat mater pientissima dolenti filio caput suffulciens manu dextra, astat et discipulus iunctis elevatisque manibus quemadmodum nos orare solemus. Perscribens haec ad te hominem Christianum putavi me facturum operae pretium et ut ita interpreteris obsecro. Veni etiam Frangfordium et tui gratia eo libentius veni. In animo erat convenire Utenbergium [141]) eo consilio, ut me ex tuis profiterer, ut ita mihi hominem conciliarem: si enim tibi probatur non potest esse nisi humanitate et probitate praeditus. Fuit aliquando Frangfordensibus viginti octo annos sacris interdictum, donec reconciliata gratia antistiti suo Lubicensi solverunt marchias argenti quadringentas. Verum quia plerumque mali mores occasionem dant bonis legibus, edita est decretalis Si de sent. excomm. li. 6 significans quemadmodum tempore interdicti celebrari debeant divina, hoc est quod ibi glossator dicit de quadam civitate Marchiae cuius homines triginta et quadraginta annorum sacra facientes derisui habebant, quippe ad tantam vesaniam ventum erat, ut lictor plebanus illis sacra ministraret. Decreveram etiam urbis situm et universitatem describere, sed ista intellexisti ex municipe; vides etiam chartam deficere. —— Interea me tibi commendo. Wittenbergae pridie idus Januarias 1511. Otto meus [142]) se tibi commendat. Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 48. 27. Februar 1511.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 413a.

Ad doctorem Eisenach.

S. p. d. Peculiaris tabellarius noster reddidit patribus simul ac amicis tuis a te litteras. Sequenti die quod longo tem-

[140]) Cod. nocilenta. — [141]) Siegfried Utenberger aus Erfurt, beider Rechte Doctor, 1510 Rector der Universität Frankfurt a. O., gestorben 1516 zu Berlin. — [142]) Otto Beckmann.

pore factum non est coactus fuit senatus universus, ob aliam tamen causam. Ubi de litteris tuis quae iam resignatae erant orta est mentio, illarum legendarum Schewrlus tuus curam sibi demandari fecit et plane visus est ita recitare, ut non modo verba sed etiam vox movere debuisset, si saltim in eo senatu fuissemus, ubi bonis locus esset et non omnia ad unius aut duorum libidinem ac petulantiam administrarentur. Quae tum acta sunt, etsi silentio mandata non sint, mallem tamen te ex alio intelligere. Praepositus compater noster et Reisenpuschius abiverant Neumburgium. Convcnerant praeterea ex senatoribus unus et viginti. Inter tot suffragia, quod dolenter refero, unum tantum visum mihi est liberum et ingenuum [143]), inter tot patres (duobus enim amicis tuis mandaveras [144]) ne cum iactura et incommodo suo quidquam agerent) unus tantum constanter intrepideque in haec verba dixit: Se aliter non intelligere quam Isnacho, viro litterato et sancto et de academia tantum merito quantum pauci, fieri summam iniuriam, quod indicta causa contra ius et fas meritum stipendium sequestraretur; consulere se Carlstadio, quicum aliquando fraternae amicitiae fundamenta iecerat, ut proposito abscederet, partim quod eo consilio totam universitatem et omnes bonos sibi inimicos redderet, partim quod etsi causa iure communi seu municipali aut etiam more aliarum ecclesiarum terminaretur, ipsum tamen cum gravi detrimento suo daturum manus. [145]) Ceterum Carlstadius morae impatiens ira accensus extra ordinem solemniter prostratus est de iniuria illata affirmans pertinacissime, se de [146]) iure suo muniendo plures textus et glossas allegaturum quam ille [147]), quippe unum aut alterum canonem audivit ex praeposito, cuius est quottidianus auditor, ut mihi persuasum habeam [148]) eum brevi canonica quoque [149]) insignia adepturum. — — Interea secuta erat tanta animorum alienatio quanta olim iacta erant fraternitatis fundamenta [150]), quando et delirus senex amplius personam ferre non potens temeritate hominis fulciens iudicavit, te nunquam ad nos fuisse id suscepturum nisi aurei centum numerati fuissent, tanquam illi cessissem loco fructuum anni praeteriti. O illepidum caput! o stultam insaniam! Sed haec facile enodata sunt, ita ut replicare non potuerit: neque enim ingenio pollet, nisi quod creditur minus favere his qui te, hoc est iustum et aequum, amplectimur. Ceterum in eius sententiam,

---

[143]) Cod. ingenium. — [144]) Cod. mandaveris. — [145]) Wechſel der Conſtruction. — [146]) Cod. et. — [147]) So Cod. — [148]) Cod. habeant. — [149]) Cod. quam. — [150]) Cod. rudimenta.

qui dicebat quod ad tuam dignitatem pertinere arbitrabatur, duo manibus et pedibus ivere, Simon Stenus [151]) et Feltkirchius [152]). Hic visus est contra proprium commodum dicere (nempe eodem iure uti posset), si modo [153]) commodum dicendum est et non furtum cum alienis laboribus locupletari velle. Ille addidit, animadvertisse se ex litteris tuis universitatem stipendium tuum arrestasse, nescire quod esset universitas, se gerere decanum et horum omnium esse ignarum, et cum progredi vellet, iussus est silere visaque causa in superiorem reiici, neque profuit dicere quod illius nomen et non universitatis insimulari debuisset. Ceteri ad unum omnes tepide dixere atque frigide, aliis casum non intelligentibus, aliis aliorum votis subscribentibus; multis placuit, unicuique tribui quod suum est. Tenenti extremis labiis animam visa est consultatio nostra (ita enim praecedenti nocte lectis litteris deliberaverat) in praepositi adventum reiicienda, quumque essent tot sententiae quot capita, dimissus est senatus absque decreto praevaluitque tyranni litterarii perversum iudicium, tanquam universitas absens esset et praeterea nostra iura novisset. Ita est summum ius summa iniuria. Post haec Iheronimo, cui doctor comes cohabitat verbis tuis uti iusseras salutem adscripsi petiitque de casu tuo reddi certior, Volphio etiam postridie quam redierat [154]) inter eundum dixit te ad eum scripsisse petereque, unicuique distribui quod suum esset, et ut id fieret mihi placere; et quamquam [155]) diceret se nullas litteras vidisse, constat tamen me peragrante Slesiam eum tui causa meruisse unius indignationem. Deploravi praeterea apud guardianum calamitatem tuam, si modo dicenda calamitas est viro iusto illata iniuria, et petii si quid consilii haberet nobiscum communicaret, si quid praeterea ad te scribere vellet, me uteretur internuncio. Respondit, litteras tuas responso non egere, causam tuam sollicitaturum (uti rogaveram) apud principem, timere se multa saepe promitti quorum magna pars in exitu oblivioni mandaretur. Rediit praepositus pridie, haerent lateri adversarii quibus facile convenit; audio in eam sententiam declinari ut successor ad te scribat, quum hoc sua intersit et non universitatis: sciunt enim, quod si haec absque falso agerentur communicato consilio se longe futuros inferiores, neque diffitentur [156]) bonis omnibus contrariari. Quid vis fieri,

---

[151]) S. Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 3. — [152]) S. ebend. p. 13. — [153]) Cod. non. — [154]) Cod. redigerat. — [155]) Cod. quitquam. — [156]) Cod. difficientur.

mi amabilissime doctor? In quorum manibus sit eversio academica, boni et aequi transgressio, divinorum humanorumque confusio, ipse scis, scit et ille qui nihil ignorat nos fere omnes dolere vicem tuam tamquam eius cui a condita universitate maior iniuria non est illata. Neque tamen adhuc convenimus quid consilium capiundum sit, quod timemus non privatos tantum sed et forte superiorem, ad quem recurrendum semper putavimus; interea tamen multum probamus, quod et tu quod tuum est obligasti contra te facere, ut quandoque latius enucleabitur. Nunc [157]) venio ad secundam epistolam tuam, quae oblata est praeter opinionem, dum mihi ipsi blandiebar te hominem tantae fidei, tantae integritatis constituisse debitorem duarum [158]) litterarum; verum ego nihil turpius ducens quam in amore vinci scribo ad te tam longam epistolam, ut non modo ex amoris affectu loco duarum sit, sed etiam propter ineptiam nauseam tibi afferre possit. Quod igitur me negotii tui arbitratorem constituis, arbitrium meum iam plane intellexisti, non inscius amicum mihi esse Platonem, amicum Socratem, magis amicam veritatem — —. Quod scribis de profectione tua honorata, omnis vita tua honorata et [159]) profectio tua. Voluissem tamen te ad nos reverti, colligere sarcinulas tuas, recipere labores tuos et monere debita tua; sed postquam ita casus tulit, facile acquiesco tibi qui prudentiam a bonitate nunquam seiungendam putasti, quod plorabimus animum praepositi, et si qua in re tibi prodesse poterimus, tam faciemus libenter quam qui maxime cupiant, modo obsecro te in universum nos omnes excusatos habeas. Canonici quippe boni sunt, sed capitulum nequam est, et ut nos alios taceam, neque decani neque reformatores de arcsto tuo nisi per litteras tuas quidquam sciverunt, neque ego scire volo quam fuerint falsarii illi nisi quod me pudet ista dici apud Ascalonitanum praesulem. Qui etsi mores hominum multorum viderit et urbes, excusabo tamen suo tempore academiam nostram. Interea nisi r. d. eius molestum esset, vellem ei fieri litterarum nostrarum copiam meque vehementer commendari: est enim gymnasii nostri non mediocris illustrator. — — — Super omnia mihi gratum est quod tam amice benigneque ad me scribis, quod me ardenter amas; crede mihi, id mutuo facis, amor tuus nunquam fuit nec erit sterilis, deus faxit ut animum meum quod tuo commodo fieri vellem quandoque tibi exponere possim. Ago gratias quas debeo, quod tam sedulo

---

[157]) Cod. Nec. — [158]) Cod. tuarum. — [159]) ut?

pro me et avia mea materna oras et ut id quandoque facias te rogatum velim: intellexisti tu materteram meam defunctam, potuit errare calamus; ita enim scribo ad te hominem amicissimum, ut iustum et aequum mihi videtur, ut quodque verbum in buccam venit, concordat calamus cum corde. Itaque ne perpetuis ineptiis te teneam, adiiciam paucula verba de rebus publicis et finem faciam scribendi: id enim etiam charta expostulat, si modo complicari debet. Volphius compater noster designatus est defensor civitatis, id est burgimagister, quod munus coactus subiit, quum diu restitissct. Ambstorphius abiit ad peragendas exequias parentis simul ac sororis nuptias celebrandas. Pronunciati philosophiae magistri undecim, sacerdos Pirmensis improbatus fuerat sed precibus restitutus, declaratus et baccalaureus iuris sacerdos Sarmata. Nos orationem habuimus de sacerdotum et rerum sacrarum laude [160]) apertissimis rationibus docentes, abstinendum esse a deo dicatis bonis, et quia omnia nostra pro [161]) ingenuitate tua probes, ut primum publico digna videbitur, mittam ad te et antistitem nostrum copiam: formatur in praesenti in officina nostra, cumulantur plura tam sacra quam gentilia exempla. Taedet nempe me turbulentae reip. et status mei, unde mihi vivo et Musis donec iuxta consilium tuum aliam conditionem amplector: sic quoque doctor Kunigk opera praepositi Braunswicensibus operas suas locavit. — — Contentiones et discordiae inter Franciscanos clericos videntur succrescere, praepositus cum Schotis minime sentit et fundator defendit acriter. Simon Fungk morae est patiens. Praeterea nomine tuo nihil mihi consignatum est neque audio quidquam, cui debeas; ubicunque de te mentio oritur, oritur autem saepe praesertim apud bonos, uno omnium ore praedicaris bonus, probus et doctus theologus, et quod scire cupis de coepulonibus, sumus novem et ex his conterranei mei duo. Quamquam [162]) autem proverbio dicatur: Septem convivium, novem convicium [163]), vivimus tamen cum hospite concorditer, nisi quod absente Eisenacho abest magna pars honestatis coram quo nemo etiam minus caste cogitare debebat. Vale igitur, mi dulcissime doctor, et me fratrem et filium tuum obsequentissimum crede et multiloquio veniam da; donec occurrente tabellione plura scribam, habui tecum Vasnacht: haec ad te

---

[160]) Vgl. v. Soden, Beiträge z. Geſch. d. Reformation. S. 21. — [161]) Cod. et. — [162]) Cod quitquam. — [163]) Cod. wieder conuiuium.

scripsi am vetten donnerstag. Vale iterum, praeceptor mi egregie. Wittenberghae 3° calendas Martias 1511.

Discipulus tuus Christofferus Schewrlus, i. u. doctor.

Nr. 49. 6. März 1511.

An Ulrich von Pinſtedt.

Cod. 306 (362) fol. 417a.

Ad doctorem Denstath.

Ex litteris doctoris nostri Isnachi simul et tabellione accepi te salvum esse una cum familia tua et gavisus sum cupioque eam salutem tibi ac tuis perpetuam fore; nos quoque dei benignitate recte valemus omnes. Doctor Volfgangus creatus est civitatis defensor quem vulgo burgimagistrum vocant. Principes in animo habent instituere, ut die in noctem vergente per quadragesimam Salve ca[ntetur], pariter et post pascha Regina caeli. Cetera in eo statu sunt quo erant te abeunte. Canonici cupiunt sibi transmitti divinum ordinem. Hospes nostra una cum compransoribus optant te valere plurimum, ex quorum numero ego quoque sum. Vittenberghae pridie nonas Martias anno domini 1511. Tu si quid novi habes, fac nos certiores.

Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 50. 7. März 1511.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 417a.

Ad doctorem Eisenach.

S. p. d.. Pridie calendas Martias scripsimus ad te longam epistolam, addo etiam confusam et illepidam — — —. Cum tabellione nostro mittimus tibi libros tris. — — Lupinus dispu[tatione] occupatus una cum hospite ac ceteris coepulonibus, in comm[une] omnibus toto animo cupiunt te perpetua animi et corporis gauderc incolumitate, ego hoc unum addo quod sanctissimis orationibus tuis me plurimum peto esse commendatum. Vale, vir praestantissime. Vittenberghae nonis Martiis anno 1511.

Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 51. 25. März 1511.

An Wilibald Pirckheymer.

Cod. 306 (362) fol. 418b.

Ad Vilibaldum Pirchamerum.

S. d. Iure optimo potes me accusare ingratitudinis utpote qui a te humane benigneque exceptus, addo etiam pluribus beneficiis affectus tamen per negligentiam nullas unquam ad te dederim litteras. Fateor, pudet me ignaviae meae neque satis video, quo modo tecum in gratiam redire liceat, in quam tam liberaliter me recepisti, qui summam humanitatem ab omnifaria eruditione nunquam seiunxisti, ita ut passim omnes qui ad vos veniunt, etiamsi mansuetiora studia extremis tantum labris degustarunt qualis ego sum, ad officinam tuam tanquam Nurenbergensium Maecenatem et Musarum antistitem tuto divertant, in quibus tu excipiendis nullum officiorum genus praetermittis. Dedit de ea re quasi iustos commentarios ad me his diebus Spalatinus ducalis noster paedagogus: dii boni quantum ingenii dotes celebrat! quam de bibliotheca tua et Latiis et Graecis libris refertissima ingenue sentit et magnifice loquitur! Dabis igitur veniam; quod bene fit, non fit tarde. Mitto tibi muneri libellum parvulum, quem ut ea benivolentia suscipias qua auctorem tractasti te oratum velim meque [164]) tibi deditissimum ac nominis tui celeberrimi studiosissimum persuadeas. Communes autem amicos Jeronimum Grunerum, Jacobum Muffel, Jeronimum Holtschuch et Albertum Thurerum qui omnes in me officiosissimi fuere cupio valere plurimum, quibus me commendo. Vittenbergae ad octavas calendas Aprilis anno mo 511.

Nr. 52. (6. April od. 8. Mai) 1511.

An Spalatin.

Cod. 306 (362) fol. 421a. Der Brief iſt nach dem vorigen geſchrieben, daher unten das Datum zu berichtigen.

Ad Spalatinum.

Si salvus es, mi amantiss., addo etiam undecumque eruditiss. humanissimeque Spalatine [165]) (sit enim haec tui praefatio verissima), gaudeo et pro mutua nostra benivolentia vehementer l[aetor]; ego quoque si unquam valui [166]) hoc tempore laetus

[164]) Cod. neque. — [165]) Cod. humanissimusque Splatine. — [166]) Cod. volui.

sum et valere plurimum, quippe animus gaudens floridam facit aetatem, mihi videor. Laetus sum et singulari afficior voluptate, quod tam levi argumento utpote munusculo chartaceo tuae amicitiae tam pulchre me insinuavi. Percrebuerat quidem apud nos fama incredibilis eruditionis tuae, ceterum de humanitate parum constabat. Unde ad verba Feili [167]) nostri dedi ei ad te litteras et multas quidem, quibus tu tanto [168]) verborum lepore, tanta sententiarum gravitate respondes, quod ego interea ad te scribere dubitavi partim ob paupertatem orationis meae partim quod sperabam te coram convenire. Verum quia hoc hucusque negatum est, decrevi satius esse elegantia vinci quam humanitate cedere aut in amore secundum esse, quippe eo sum ingenio, ut possim omnibus in rebus superari, in tui similes et qui humanitatem cum oratoria coniunxere adorando et colendo facile non possim. Quod igitur Pirchameros gentiles meos et universam patriam celebras, qua debui fronte relegi. Vilibaldo tui de se testimonii et grati et veri copiam feci, transmisissem etiam litteras, ni timuissem propriae laudis praeco diiudicari et buccinator: transeo quod ipsa epistola admodum mihi grata in archivis observatur, quoniam eam non legere sed discere videor, in qua me tamquam in speculo subinde intueor qualis esse debeam. Nam quod ingenium et lucubratiunculas meas dilaudas, plane intelligo tuam in me benivolentiam, quae iudicium tuum alioquin rectum et grave fallere facit: ago tamen gratias, quod officinam meam redolentia quantulacunque sunt legere non dedignaris, quod cum Plinio existimas nullum esse tam malum librum quim aliquid boni in se contineat. Libellus Hermanicas laudes attingens superiori anno apud Lipsenses formis iterum excusus [169]) addita et commutata multa circumfert. Quantum [170]) pro ingenioli imbecillitate, habui etiam proximis diebus ad senatum nostrum litterarium orationem qua diligenter et fideliter docui, laicis abstinendum esse rebus sacris non secus ac equo Seiano aut auro Tolosano: eam tibi muneri missam rogo ut pro singulari clementia tua humane benigneque suscipias. Neque me movet illud Apellis: Sutor ne supra crepidam! quando video tantas ingenii tui dotes, ut mihi persuadeam humanitate et benivolentia tua non facile posse abuti. Congratulor itaque optimo regulo nostro, tam praeclarum praeceptorem sibi contigisse, cuius industria

---

[167]) S. Nr. 45. — [168]) Cod. tacito. — [169]) Cod. excussus. — [170]) Cod. nam tum.

confido eum non nisi doctum et humanum evasurum. — — — Vale, octavo idus Martias [171]) anno a reconciliata gratia undecimo. Tuus doctor Schewrlus iuridicae facultatis decanus.

Nr. 53. 30. Mai 1511.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 422b.

Ad doctorem Eyssenach.

Amorem fraternum. De [172]) meritis causae tuae, mi suavissime doctor, amici satis superque disputarunt; quod ego semper consului, consului amice, non quod meae standum esset sententiae, sed quia rectius non saperem. Tu decretum tuum scribis me ex litteris ad senatum datis percepturum [173]), quae tamen litterae mihi non visae sunt. Audio principi placere, ut tibi solvatur pensio triennalis hoc est anni septimi, quo coepisti laborare, ea tamen conditione, ut illos octoginta ecclesia exigat a pensionario: quod si tu viginti adieceris, tum demum dissolutum sit aes alienum. Eius rei gratia rector noster Carlstadt una cum cantore interiectis forte quindecim diebus Orlemundam concedet. Disserui apud praepositum, tibi inter cetera defuturum corpus unius anni, qui iudicat tibi fas esse illud a praedecessore vel haeredibus exigere. Rector non dubitat Feltkirchium, si hoc iure uti volet, facile posse repelli, quod nemo commodum consequi debet ex eo quod iussus [174]) est impugnare. Praeterea quae tua est integritas offers te ratum habiturum si quid egi nomine tuo, quando pluris facis amicitiam meam quam aurum; velles etiam me causa tua neminem mihi facere inimicum: ego vero verbis tuis stipulatus sum nihil, tantum vero abest ut alicuius verear indignationem, ut sententia mea vel ab inimicis publice et ingenue dilaudata sit atque commendata. Si qua praetcrea in re tibi mea opus est opera, utere me liberaliter ut fratre tuo et tibi persuade me una cum communibus amicis hoc est omnibus bonis non mediocriter sollicitum esse de statu tuo, quem omnipotens deus dirigat ad salutem animac et corporis tui. Quod autem tam negligenter ad te scribo, in causa est quod nullus tabellarius occurrit. Pervenit ad nos tristis tamen nuncius asserens, se sepelivisse magistrum Volphium Mellerstadium Bononiae a Congermano occisum, unde

[171]) So Cod., Apriles oder Maias? — [172]) Cod. et. — [173]) Cod. praecepturum. — [174]) Cod. missus.

pater maerore conficitur: aliud autem nihil certi habet. Apportata est famula ordinarii nostri, Ambsdorff nihil solvit neque cupio nisi tui causa. Antistitem nostrum una cum d. Jacobo et dignitate tua cupio valere plurimum, me vero a te mutuo amari et in orationibus commendatum haberi. Vale. Vittenbergae postridie ascensionis anno a natali dominico undecimo.

Tuus doctor Schewrlus iuridicae facultatis decanus.

Nr. 54. (15. October) 1511.

An einen Ungenannten.

Cod. 306 (362) fol. 85a. Der Inhalt des Briefes erweist das Datum unten als falsch, wahrscheinlich ist im Monat geirrt. Adressat scheint Jodocus Trutvetter, vgl. Nr. 56.

Post salutem cum reverentia debita cupio, mi amabilissime doctor, te et omnes tuos salvere plurimum. Quatenus scribendi argumentum detur, cupio te scire principes nostros nepotulos suos ex sorore Ernestum et Ottonem Lunenbergenses studiorum gratia Vittenbergam addixisse [175]), ubi mutata familia ducaliter educantur et praepositum audient: eius rei gratia iura in arcis superiori aula enucleare coepimus. Doctor Stawpitz et ipse temporum pertaesus abeundi petiit consensum, celebravit [176]) tamen antea synodum, in qua sui ordinis quatuor [177]) theologiae professores declaravit et in his ipsum Hergoth priorem monasterii [178]): convenerant ad eam solennitatem ex suis doctores undecim, cum promotis aliorum forte sedecim, quippe nos Aldenburgen concesseramus. Functus praeterea sum cum paternitate sua pro principibus legatione ad Minoritanum conventum Perlinensem [179]). Artium baccalaurei creati aliquot triginta. Omnia dei laude satis competenter apud nos aguntur, quemadmodum ex magistro Pockenheim intelliges, cum quo cupio certior reddi de [180]) omni statu tuo. Quemadmodum etiam te coram rogavi, ita et per litteras peto, ut si fieri potest copiam chronicorum et actorum vestrorum nna cum nonnullis sanctorum reliquiis [181]) ab episcopo nostro et abbate et [182]) matertera mea sanctimoniali quae illas avido cxspectat ad me transmittas: scis

---

[175]) S. Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 38. — [176]) Cod. celebuit. — [177]) Cod. quatinos. Vgl. Liber decanorum facult. theol. acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 10., wonach die Feier den 16. September stattfand. — [178]) Cod. monastii. — [179]) Vgl. v. Soden, Beiträge zur Gesch. der Ref. S. 22 ff. Scheurl war mit Staupitz den 28. und 29. September in Berlin. — [180]) Cod. et. — [181]) Cod. reliquis. — [182]) So Cod., pro?

quod oblata occasione paratus sum gratiam referre. Quid, quod pro egregia probitate tua me tibi devotum et deditum multi Erphordianum nuncupant? neque eo infitias [183]) solum tui quem unice amo desiderium videndi Erphordiam traxisse, non quod alicui nocerem, quippe qui nec possem etiam si vellem, quamquam nunquam volui. Utcunque optimo antistiti nostro ac tibi ac ceteris viris bonis, qui me tuum [184]) hospitem ut tibi applauderent humane benigneque supra mea merita quae nulla sunt exceperunt, ago habeoque gratias immortales: deus faxit, ut gratiam referre possim quibus interea et potissimum iucundissimis compransoribus tuis cupio me commendare plurimum, tuque vale et vive fauste [185]) et me ama, quod mutuo facis. Iterum vale. Vittenberghae idibus Septembris anno undecimo.

Nr. 55. 21. October 1511.

An Spalatin.

Cod. 306 (362) fol. 86b.

Ihesus Ihesus.

S. p. d. Mihi sunt ante aliquot menses litterae tuae, ut assolent, et tersae et humanae, mi suavissime Spalatine, quibus hucusque parum respondi. In causa fuere quottidianae occupationes meae. ——— Taedet paupertate dicendi orationis tuae divitiis non posse respondere. Quid, quod plerique academici nostri ista studia quae hominem humanum efficiunt, unde etiam nomen sibi indidere, non honorant? libens dixisesm repudiant et aspernantur, perinde ac si cum alia disciplina coniungi non possent oratoria. Et ut apud te hominem amicum et prudentem de me loquar, educatus sum ego iurisperitorum scholis: non eo [186]) infitias audivi succisivis horis [187]) commentatorem Bononiensem, audivi et Ciceronem et Livium, redolebat Johannem Garzonem. Veni accepto doctrinae gradu anno abhinc quinto Vittenbergam non tam docendi quam addiscendi gratia: si qua in publico dicendi provincia mihi decreta fuit certe si fieri potuisset maluissem id temporis Tullium quam Bartolum aemulari. Quae sane res apud bonarum litterarum expertes non mediocrem invidiam mihi concitavit, ita ut si quando cogitationes meas publice emendandas in litteras retulerim sicut merebantur piperis [188]) subierint cucullos: alii in ca-

[183]) Cod. indicias. — [184]) Cod. tuam. — [185]) Cod. viuire faustite. — [186]) Cod. ego. — [187]) Cod. horas. — [188]) Cod. prosperis.

put meum coniurarunt, criminibus alii me palam obrucre coeperunt tanquam qui bene cleganterque diceret, populum per blandimenta seduceret deciperetque, et ut reliquos taceam, ipse tuus Phachius, quum nulla unquam iniuriola a me offensus esset, Iheronimo pronunciandam invectivam composuit. Quorum nullus unquam ad respondendum me movere potuit, quippe quos ego dissimulanter contempsi semper neque dignos iudicavi quorum in manu esset stomachum mihi movere, quod semper publicam causam privatae praetuli, non ignarus concordia parvas res crescere, discordia [189]) maximas dilabi; hoc uno contentus fui [190]), prout quisque auctoritate ac integritate polluit, ita me mutuo coluit et amavit. Factus tamen sum inde, ut verum fatear, ad politiorem litteraturam nonnihil segnior, unde mihi cum aliquis clientulis vivere coeperam. Tibi autem non parum me debere sentio, qui in cloquentiae arce constitutus tantum mihi tribuendum putas, quod officinam meam collaudas, qui libellum meum proxima etsi tumultuaria fetura apud me natum dei ministris tamquam enchiridion in manibus habendum censes, qui illum suavissima elegia exornandum putas, qui mihi non ut ultimus sed ut sacordotum columen, gemma, gloria gratias agis. Crede mihi, ea res non mediocrem mihi attulit voluptatem, quamquam non sim ignarus imbecillitatis meae, non me fugiat subinde decipi amantum iudicium: nam ut me certe amas aut mea qualiacunque sunt, tibi cuius gravissimam sententiam longe pluris facio quam sexcentorum maledicorum non omnino student. Utcunque sit, praeclare mecum [191]) agitur. Habeo gratias quod tibi cum Cicerone tuo nihil minus hominis videtur quam non respondere in amore ei a qui provocere. Persuadeas tibi velim Schewrlum cuicunque etiam mediocriter docto litteratura facile cedere; quod ad sanctas amicitias conciliandas, ad conciliatas firmiter custodiendas attinet, haudquaquam [192]) difficile manus dat Schewrlus. Quod igitur ex altera epistola tua subduco quodque [193]) etiam fama didici, te Luneburgensis praeceptorem designatum, posteaquam constat nostrum regulum tuae eruditionis per aetatem nondum capacem, gaudeo et vehementer laetor. Amicitiam nostram ex studiorum similitudine initam [194]) ut scribis arctiore familiaritate corroborabimus, coram commentabimur de bonis litteris, eris mihi amicus iucundissimus, conversatio tua gratissima erit: nam ut verum fatear, nihil me

---

[189]) Cod. discordias. — [190]) Cod. fuit. — [191]) Cod. meum. — [192]) Cod. hec quam. — [193]) Cod. quidque. — [194]) Cod. incitam.

Vittenberghae ita retinet ac tui similium eruditorum consuetudo. Invenies academiam supra humana consilia sola divina benignitate ita florentem, ut cum quavis vetustissima celebritate comparari queat, doctorum etiam si in pretio non essent frequentia excedat: deus faxit, ut olim ita floreat! Quod mei muneris est atque officii, si amicorum omnia sunt communia, offero tibi quandoquidem maximam humanitatem cum incredibili sapientia coniunxisti me et quae mea sunt, communico tibi snpellectilem meam chartaceam, bibliothecam dico, forte non contemnendam; spero te lustraturum omnibus passim non cognita, quicqnid hoc erit totum in tua potestate erit. Interea si longa et incompta epistola nauseam tibi attulit, dabis veniam negligentiam compensare volenti. Vitenberghae ad duodecimum calendas Novembris anno undecimo supra 1500.

Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 56. 28. October 1511.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 88a.

Ad doctorem Eysenach.

Cupio et toto animo affecto, mi amabilissime doctor, te et omnis tuos gandere perpetua animi et corporis incolumitate. Reddidit mihi his diebus Pokenheym noster a te litteras quae summa voluptate me affecere quaeque super mel favum, quod tu etiam de meis scribis, dulces mihi fuere. Quid enim praeclarius mihi contingere potest quam a tam sancto, probo ac undecunque integerrimo viro mutuo amari? Profecto si in academia nostra aliud consecutus non essem, sperandum mihi esset non omnino oleum aut operam perdidisse. Invehant in me alii, carpant, detrahant: benivolentiam tuam immaculatam pluris facio quam sexcentorum invidiam. — — Quid, qnod communes aemuli iactitant, me propter familiaritatem quam cum vestris contraxi esse Erphordianum? quid, quod mihi et inter hos pecnliaris sacerdos et confessor ducales publice constanterque praedicarunt, summa et incredibili indignatione commotum principem quod ad vos iter declinassem? Unde arrepto calamo perscripsi ego diligenter ad eum qui a secretis est, quemadmodum ea res gesta esset, quae mea negotia, quid mihi commercii Mogunciaci fuisset, quibuscum denunciabar plane familiariter prandisse; quumque interea coram mecum commentarctur, respondit, principem eo usque eius rei fuisse ignarum, qua intellecta mihi non

posse quicquam imputare, debuissem tamen immo mei fuisset muneris ab aliquorum consortio abstinere. — — — — — — — — Cedo tempori, vivo mihi et praeterea chartulis et optimis assectatoribus quanquam ne id quidem sine aemulatione. Solo praeposito prae ceteris omnibus utor plane familiariter, isque me audit, fovet ac diligit; dubitavi tamen de te verba facere, quod timui ne hominem exacerbarem, quippe aliquando mihi conquestus est, quod quum domus sua turbaretur supervenisse te cum antistite putasseque modicum iacturae illatum esse: quod etsi aliter interpretetur, scio tamen quae a vobis facta sunt facta esse sancte et innocenter. Curabo igitur ut quam primum commode fieri potest voluntati tuae, hoc est iusto et aequo accedatur. Merentur hoc tua in me benemerita, quippe quod apud suavissimum praesulem et abbatem sanctorum reliquias [195]) mihi expedisti. Dici non potest quam gratum [196]) mihi fecisti et quia per hominem peccatorem asservari non debent, muneri mittam carissimae materterae Apolloniae priori ad S. Claram, et quoniam libenter tecum loquor, te ut fratrem colo, illam ut sororem amo, paucula de illa subnectam. Quippe virgo [197]) undecim annos nata sua sponte clam parentibus, quamquam nec ipsi religionem abhorrerent, cupiit religionem divae Clarae profiteri timensque se ob aetatem tenellam pati repulsam, ut ita maiuscula videretur, calopodiata fratres accedebat, qui interea ei conversati sunt secretorumque conscii sperant eam nunquam peccasse mortaliter, quin audivi quandam ex sororibus defunctam per quietem exposuisse se in tormentis detineri, quod unum diem horas canonicas paulo negligentius absolvisset, eo modo liberari posse si ipsa sequentis diei orationes pro salute sua deo dicaret. Utcunque quid de nobis erit qui nescimus an odio an amore dei digni sumus, si sanctus vir Severinus ob negligentes orationes quatuordecim annos a caelesti gloria retardatus fuit. Illa sic me amat, ut cum sorore certet: nihil auribus illius iucundius, nil post divinum cultum suavius afferri potest quam nomen meum, praesertim si de me bene audit. Ingemiscente aliquando matre, quod propter me pauper sit facta, quod ipsa propter libros meos egeat, illa se obiicit fideiussorem, in bonam spem erigit, dicit exultare se ubi de me cogitat, quin praedicat et auguratur futurum ex me aliquid magnum, unde etiam diu noctuque pro me orat. — — Munera tua super aurum et argentum iucunda erunt: scribam de te et amicitia non minorem

[195]) Cod. reliquos. — [196]) Cod. quantum. — [197]) Cod. verum.

epistolam, rogabo ut pro [198]) te quoque intercedat. O quam laetabitur! O diem illi niveo lapillo signandum quo tanta munera accipiet, quo intelliget me tam sanctas amicitias colere! quippe de salute mea saepe sollicita hortatur et monet, ut iuxta Hebraei poetae carmen malorum societatem fugiam, quod putat a conversantibus mores trahi, quod nihil dubito [199]) orabit deum pro te; quid, quod totus conventus communem vestram salutem in communi quottidie deprecantur, unde suam [200]) quoque salutem pendere sciunt. Quantum autem communibus orationibus tribuendum sit, monet nos ille concivis meus magister Neider, quem apud te efflagito, quippe de meis orationibus nihil tibi polliceri possum. Sunt mihi tamen nonnulli sacerdotes quibus singulis diebus praeter ordinarium munus quartum librum decretalium summa fide, summa diligentia interpretor; si quid inde mercedis reportavero, volo tibi id esse [201]) commune. Interea de hospite nostra sic accipito. Sumus compransores [202]) decem et inter hos Sigesmundus Hastheinus [203]) baro bene eruditus, cantor et Ambsdorff decano accubant. Hospes itaque se bene habet, vivit ex hodierno, contemplatur, orat tota honesta, tota theologica, unde decani nostri consilium silentio involvi, de qui tamen per alios est certior reddita. Designatus est rector V. Reysenpusch, decanus communis amicus Feltkirchen; doctorabitur his diebus magister Udalricus conventor, decreti illi aurei quadraginta, alium medicum non habemus; commentarios legam solus. Quod tu ex omni parte bene de me mereris, ago gratias, et ut nomine meo gratias agas optimo antistiti et abbati meque illis ac decano Severino, omnibus compransoribus et hospiti tuis necnon communibus amicis nostris vehementer commendare velis te rogo atque obsecro, cui me commendo. Vittnberghae Simonis et Judae 1511. Doctor Schewrlus.

Nr. 57. 9. November 1511.

An Spalatin.

Cod. 306 (362) fol. 91a.

Spalatino Schewrlus salutem.

Formabam his diebus, mi suavissime Spalatine, in officina mea certos libellos, et ea lege formabam, ut ad praescriptam

---

[198]) Cod. et. — [199]) Cod. dubio. — [200]) Cod. sua. — [201]) Cod. est. — [202]) Cod. compransoribus. — [203]) Alb. acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 35: Nobilis et generosus Dns. Dominus Sigismundus de Lobkowitz Baro, Dns. in Hassensteyn.

horam differrentur [204]) ius dicenti, et tanto maiori cura et industria formabam quanto a doctoribus examinandi erant atque diiudicandi. Ut primum ea res absoluta est, binas tuas litteras interea mihi redditas iterum legere coepi, quae ut assolent non minorem mihi attulere voluptatem quam te libri mei afficiunt gaudio, quippe eas non legere sed discere videor. —— Gratum praeterea mihi fecisti de Carlstadio dubitans: ex hoc enim coniectura assequor, te principem rei litterariae tantum temporis perdere, ut aliquando nugas meas obeunter legere digneris, et mehercule si inter multa paucula quaedam displicent numquid de reliquis melius sperare licet, si modo amice, verecunde, modeste quaerere displicere est et non potius amici officium? Igitur [205]) cum non quaeras nodum in scirpo, non opus est excusatione; sum ego minime suspiciosus, confido omnis bonos eo in me esse animo quo ego sum. De tua vero amicitia penitus nihil dubito, quando tantam humanitatem cum tanta eruditione coniunxisti. Non sic mecum agerent de quibus bene meritus sum: propter hanc clausulam totum opus repudiatum est atque eliminatum. Carlstadium, de qui alioquin plura, amicum habetis familiaritate tua haud indignum; ad praesens si de me dubites, ipse censeas. Petis Dionis imperium et ego tibi Dionis regnum transmisi quippe non oratoris paupertatem sed divitias tibi venditas, unde meo arbitrio non modo imperio sed etiam regno ingenuarum litterarum dignissimus existis. Libros meos in ordinem hucusque non redegi, propterea quod in singulos dies magnam copiam adhuc exspecto: conscribam tamen eos Spalatini amore et, ut primum per occupationes licebit et non modo indicem sed quodcunque et quotienscunque Spalatino gratum sensero, libenti animo transmittam: nihil enim apud me vel amicos meos est quod si ad honorem vel commodum tuum pertinere putavero, cuius tibi non sum facturus copiam tam libenter quam qui maxime desideret. Interea vive felix, mi suavissime Spalatine. Ad quintum idus Novembris anno 11.

Doctor Schewrlus.

Nr. 58. 4. Februar 1512.

An Richard Sbrullius.

Cod. 306 (362) fol. 97b.

Richardo Sbrullio Foroiuliano, poctae, oratori, philosopho nobilissimo et undecunque eruditissimo, domino, praeceptori et amico suavissimo revcrendissimoquc.

[204]) Cod. differentur. — [205]) Im Cod. ſteht hier noch et.

S. p. d. Egregia et praeclara ingenii tui monumenta necnon qui celebris nominis tui studiosi existunt, Sbrulli vir disertissime, Georgium illum Spalatinum, peculiarem amicum meum nunquam a me sine honoris praefatione nominandum, certiorem reddiderunt te cum [206]) singulari virtute et natalium splendore coniunxisse incredibilem eruditionem atque prudentiam, cumque ea sit virtutis ratio ut vel absentes quos nunquam vidimus amare cogamur, apud Laertium autem proditum sit neminem amicum conciliandum, priusquam percuncteris quo pacto se gesserit erga priscos amicos, quod credibile sit erga te huiusmodi futurum cuiusmodi erga illos fuit, Spalatinus quae [207]) sua est gnavia, dexteritas, providentia de tuis moribus diligenter rogitavit, accepitque te in academia nostra gessisse virum bonum, docuisse fideliter et citra [208]) aemulum, et ob id ut assolet Musam Sbrulliam nonnullis forte minus ingenue institutis minusque liberaliter educatis haud mediocriter fuisse invisam, —— Sbrullium autem amicitias bonorum reverenter observasse, diligenter coluisse et propterea a bonis omnibus cum admiratione fuisse adoratum, ab Otthone vero et Schewrlo ita peculiariter dilectum, ut eum etiam in deliciis habuerint, ut sine Theseo id est Sbrullio nihil illis suave, nihil iucundum, nihil delectabile. Unde Spalatinus e vestigio nobis quam pridie misimus ad te dedit epistolam, officii plenam, maiestate vero orationis, ubertate sententiarum, copia optimorum verborum animum tuum mirum in modum demulcentem. Quare, mi Sbrulli, iudico tibi eum diem, quo tanti viri amicitiae insinuare datum, niveo signandum lapillo et inter festos [209]) referendum. ———————— Ceterum quia eam perhibent iucundissimam esse amicitiam quam similitudo morum coniugavit tanquam nihil copulatius quam morum similitudo bonorum, quis Spalatinus noster sit et quam Sbrullii simillimus [210]), institui paucis explicare. Iste contra morem multorum qui vocabula nec diis nec hominibus cognita sibi indunt et excogitant nomen [211]) patrium retinuit [212]), quippe Spala, civitas apud nostros Francos illustrissima, hoc tanto cive longe illustrior reddita est. Homo staturae mediocris qualis Beroaldus et Codrus erant, capillo flavo,, facie candida quam verecundus rubor condecorat, gratior est pulchro veniens in corpore virtus, — utcunque iste benignus, humanus, faciei co-

---

[206]) Cod. mi. — [207]) Cod. qui. — [208]) Cod. circa. — [209]) Cod. fastos. — [210]) Cod. Spalatinus non sit et quam Sbrullii similiimus. — [211]) Cod. nomine. — [212]) Cod. retinent.

mis, probus, sanctus ultra quam aut dicere aut credere quisquam possit, — — — alienae industriae laudator nec nimis parcus nec nimis immodicus: cum nullo simultatem exerceat, maximis [213]) iuxta gratus ac infimis; si quis in gymnasio nostro in secularibus studiis paulo eminet, benivolentia eum fovet singulari, scribit ad eum ut assolet docte, erudite, lepide, et si licet inter olores grues cantare nos quoque ab illo quottidie litteras suscipimus ad politiora studia. Etenim studia mea propter civiles occupationes fatiscerent paene ac veluti arescerent, nisi iste veluti faces [214]) quasdam [215]) refrigerato ingenio admoveret. Ipse nempe totos dies sine intermissione et plerumque noctis magnam partem lucubrat, studet, orat, utpote sacris initiatus [216]), ut saepe ego sicut Sbrullium meum Ovidio ita hunc Baptistae Mantuano comparare soleam. — — Habes itaque, disertissime vir, qualis sit Spalatinus, cui incredibilis virtus tua te facit amicum: unde in tam pulcra rerum occasione non velis tibi ipsi turpe deesse, nihil tibi minus hominis videatur quam non respondere in amore ei, a qui provocere. — — — — Vale et vive, Musarum decus, eloquentiae domicilium, poetarum singulare atque praecipuum ornamentum. Iterum vale. Wittnburgi ex officina nostra litteraria pridie nonas Februarias anno a reconciliata divinitate duodecimo supra sesquimillesimum

Tuus Christofferus Schewrlus, iurium doctor, legum ordinarius.

Nr. 59. 27. April 1512.

An Richard Sbrullius.

Cod. 306 (362) fol 107a.

Salve, mi suavissime Sbrulli et frater honorande. De calamitate Brixiana non dubito te accepisse. Interea in dominica paschatis in pratis Ravennatum Gallus et Hispanus memorabilem ediderunt pugnam. Coegerat hic duodecim milia, ille duodeviginti, ex quibus ceciderunt milia quatuordecim, forte victoria apud Gallum existente, sed minime inerventa, amissis duobus milibus Germanorum et qui hos ducebant magni nominis Jacobo de Emps et Philippo Friburgio, amissis praeterea magno magistro Mediolani scilicet monsignor de Foys, monsignor de Alegro, monsignor de Lotro, lo groto Molardo, Bardasano. Ex Hispanis vulnerati et capti sunt cardinalis de Medices, princeps Fabricius, Petrus Novariensis, marchio de Bedonte, dominus

[213]) Cod. maximas. — [214]) Cod. fasces — [215]) Cod. quosdam. — [216]) Cod. minatus.

Joannes de Cardona; sed vicerex Neapolitanus cum 3bus milibus per Ravennam abiit, quae multorum opinione in praedam cessit victori. Quae deinceps agentur, perscribam ad te officiose, modo intelligam id tibi non fore iniucundum. Interea haec Otthoni nostro significabis cum mei commendatione, quin hominem obiurgabis quod hucusque nullas ad me dedit. Causam tuam egissem libenter, sed munus oratoriae docendae dedit senatus ludi magistris et ob id stipendia auxit. — Sunt multi Itali apud nos quibus utor familiariter, cupio te vel saltim litteras tuas, cui me commendo. Nurmberghae quinto calendas Maias anno a reconciliata divinitate 1512.

Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 60. 12. Mai 1512.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 112a.

Ad doctorem Eissenach.

Salutem et devotionem filialem, mi reverende patrone et praeceptor suavissime. Postremas dedi ad te ex Nurmberge quibus de itinere meo in patriam certiorem te feci: confido te eas accepisse, nam tabellarius stipulabatur se eo die redditurum. Quum autem Bambergam ventum esset, forte conveni Georgium Behem municipem meum, sacrae tuae professionis licentiatum, Mogunciacensem canonicum ad gradus nescio cuius Sancti, hominem integrae vitae, singularis eruditionis et suavissimorum morum, quem in multis probo theologo hoc est meo amicissimo companium iudico. Commentatus sum cum eo plurima de te et quae virtutis est ratio visus est nihil sibi gratius accidere posse quam tuae familiaritati insinuare, quam vigilias et monumenta tua legere, quam esse in rationario amicorum tuorum: qua de re dixit ad te scripturum. — — — Nunc de rebus publicis, quas ego ad te compendiose scribam et summarie. Quemadmodum ex mercatoribus colligere potui, coegerunt pontifex et Hispanus ad duodecim milia armatorum, econtra Gallus duodeviginti et ex his quinque ex Germano milite. Hi duo exercitus congressi sunt ad Ravennam cognomento veterem undecimo Aprilis quo die sacrum pascha celebravimus. Pugnatur tam acriter, tam hostiliter, tam pertinaciter, quantum memoria hominum putant pugnatum non esse, quod et eventus docuit. Passim omnes affirmant, cecidisse eo die hominum viginti mĩlia, remansitque

victoria apud Gallum ita cruentissima, ut dubium, victo an vincenti similior esset, amissis imperatore de Foys, Mediolani praeside, tribus principibus Jacobo de Emps qui Germanum ducebat cum duobus fratribus, Philippo Friburgio, Truschlero et fere omnibus ducibus. Capti sunt ex fugitivis legatus pontificius cardinalis Mediceus, vicerex Neapolis, Fabricius Columnius et alii plerique qui paulo ante barbaros debellarunt, quodque pontificis dolorem augere potuit, eius nepos princeps Urbinas quod etiam nefas est scribere relictis sociis Gallo se adiunxit et ex insidiis fugitivum quemque miserabiliter interemit. Edita tam horribili et calamitosa caede Ravenna et quasi tota dicio Romanae ecclesiae in Galli potestatem venit tanquam futuri pontificis vicarii et procuratoris. Sunt qui scribant ipsum Julium in latebras abiisse relicta Roma tota factiosa et expectante principem novum. Qui ex Hispanis superfuere, tuentur regnum Siciliae. Venetis interclusi sunt prope omnes aditus et portae maris, ita ut ipsi passim praedicent videre se deum omnipotentem, omnes sanctos, omnia firmamenta suae reip. prorsus contravenire; constituerunt tamen non modicam, libens dixissem extremam, spem in confoederatos quos Suiceros [217]) dicunt: illi putantur ad hodiernum diem bellum movere contra Lombardiam et forte Burgundiam. Satis practerea constat, regem Angliae atque Hispaniarum terra marique ipso [218]) die Sancti Georgii coepisse bellum gerere contra hostes ecclesiae quibus pontifex Romanus inter cetera iubilaeum stipulatus est. Vides quo in statu sit prope universa Europa: quid futurum sit, perscribam ad te (sum enim in emporio rerum novarum), modo intelligam tibi gratificaturum. ——— Vester vicarius patrem apud nos habet, qui subinde ad vos scribit; propterea eum exspectavi, alioquin dudum scripsissem: scribam tamen saepius, nam valere te et gaudere aeternum toto animo cupio ac desidero. Unde etiam me tuis sanctiss. omnibus commendo, tibi vero dedo me, offero polliceorque. Iterum vale et vive felix. Nurnberghae ad quartum idus Maias anno dominico duodecimo.

Tuae excellentiae deditus Christofferus Schewrlus,
iurium doctor.

---

[217]) Cod. sincerus. — [218]) Cod. ipse.

Nr. 61. 8. Juni 1512.

An Otto Beckmann.

Cod. 306 (362) fol. 118b.

Ad Otthonem magistrum de Wartenbergk [219]).

S. p. d. Quidam ex vestris reddidit mihi a te litteras, quas ego, amice praestantissime addo etiam dulcissime, non legi aut relegi sed plane iterum atque iterum deosculatus sum, quibus imprimis intelligo optare te meas longissimas quae tibi plus voluptatis quam aurum et id genus metalli quod animos avaros oblectat afferant, unde me rogas, ne duae horae in scribendo molestae sint quae mihi amicissimos amiciores reddere possunt. Gratum est, mi Otto, quod nostras ineptias tanti facias. Perscribam igitur ad te non duas horas sed duos dies et donec redeat tuus tabellarius et quotiens scribendi dabitur commoditas ita ut vel prius epistola nauseam legendi tibi afferre queat, qua tamen in animo est respondere ad singula ad amussim [220]) et diligenter eo ordine, ut initio [221]) res privatas absolvamus, ad publicas dein nos convertamus [222]). Quod doctor Iheronimus [223]) de amico amice loquitur et sentit, lubens audio: forte pro humanitate sua parum hominis sibi videtur non respondere in amore ei a qui fere [224]) semper provocatus est. Ubi cum tranquillo animo cognoveris, reddes ei litteras nostras quibus extinctum infantulum deploro, qui mihi occasiunculam dedit nonnihil revertendi ad seculares codices quos iam quasi perpetuo anno intermiseram. Cooptavit senatus collegio nostro doctorem adolescentem Marsilium Prenninger, d. Wolfgango [225]) agnitum, et satis quidem honesta conditione; non dubito Iheronimum si eruditionem respicias principem locum inter nos tenuisse. Sed venio ad principem pictorum: stipulatus is erat operas suas ad pentecosten, quas si contra opinionem minus praestitit velim

---

[219]) Otto Beckmann, gebürtig aus Warburg im Paderbornischen, Canonicus in Wittenberg und Professor der Beredsamkeit daselbst, wurde wegen seiner Gelehrsamkeit von Luther und Melanchthon so sehr geschätzt, daß ihm letzterer seine Rede de studiis adolescentiae corrigendis 1518 zuschrieb, verließ aber in Folge der Reformation Wittenberg, ging nach Münster, wurde Propst am dortigen Aegidienstift, blieb ein eifriger Vertheidiger des Papstthums und wurde vom Bischof zu Osnabrück (Erich II. Herzog von Braunschweig) 1530 auf den Reichstag nach Augsburg geschickt. Rotermund, Gesch. des z. Augsburg 1530 übergebenen Glaubensbek., S. 327. Vgl. Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 23. — [220]) Cod. amissum. — [221]) Cod. mitto. — [222]) Cod. conuertemus. — [223]) Hieronymus Schurf. — [224]) Cod. ferem. — [225]) Cod. Wolgango.

Apellem tarditatem exactissima diligentia compensare atque resarcire. Iheronimo Walthero nihil debeo, sed Henricus Scherl mihi credidit aureos tris et praeterea ad quindecim grossos, cui nomen [226]) tuum obligavi quod cupio liberatum iri. Quidquid praeter 13 grossos qui tibi superfluunt et quod Alman et ceteri debent erogaveris, restituam grato animo. Exsolverunt patres pro his pauculis diebus quibus abfui a vobis aureos unum et triginta rogantes, aeque susciperem; cesserunt etiam de assessoratu aurei septem qui fere in accomodatas vestes absumpti sunt: nam quod amplius est, multi sibi persuaserunt, posse me habere triplum eius quod studiorum gratia expendimus et praeterea egregias aedes, quae tamen nostri parvi faciunt sperantes duplum de qua re quandoque longior ero. — — — Ego saepiuscule ad te scripsi, maxime de mercibus quae apud vos detentae erant, quibus litteris praepositus et praefectus respondere, quin dedi quasi ad omnes amicos litteras; vellem scire nihilne respondeant? abiecerintne omnem nostri memoriam? abscesseritne cum praesentia tota in me [227]) benevolentia? Mehercle [228]) etsi mihi conciliem in hoc virorum emporio quottidie novos amicos, fateor, propterea non veteres negligo: sum enim apud vos educatus et institutus liberaliter, lubens dixissem quod illi appellant depositus. Utcunque lubens fui Vittenberghae et adhuc me appello civem vestrum sufficiatque mihi unus Otto pro multis qui me negligunt: nam apud Iheronimum, Ambstorff et nonnullos alios, nisi fallor, scio me prorsus non negligi. Quas [229]) autem dicis dedisse sacerdoti Baioario, addo etiam scholastico Franconi, plane desideravi sed non accepi; rectius fecisses, si Engentino [230]) commisisses qui apud me fuit, sed nihil retulit nisi velle te abire, quod molestum esset quamquam opto te crescere et certo sciam amicitiam nostram ubicunque locorum fore perpetuam. Fuit etiam apud me Quitolte Frawe cum uxore limina apostoli visitans, utinam gaudenter sicut et me vidit cum animi alacritate! Neque eo infitias, gaudeo et ego videre Vittenbergios a quibus bona accepi, inter quos connumerare licet magistrum Johannem Fabrum cui operam meam offer et dede: si qua in re sibi prodesse possum, tam faciam lubens quam qui maxime cupiat. Fratri Alberto in locum parentis tuis verbis salutem adscripsi, qui et ipse te salvum et

---

[226]) Cod. nomine. — [227]) Cod. ne ſtatt in me. — [228]) Cod. In te hercle. — [229]) Näml. litteras; Cod. quos. — [230]) Philipp Engelbrecht, vgl. Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 28.

incolumem peroptat, quippe parens secessit in balnea in confinibus confoederatorum (ipsi Pfeffers dicunt) ob oculorum caliginem; exspecto ut res novas afferat, quas ad te scribam. — — — De summa imperii sic accipe. Caesar etsi foedus cum Gallo ictum nostri principes reprobarent, voluit tamen sanctum et inviolatum custodiri, donec ipse Gallus contra pacta et foederis conditiones Flaminiam occupavit, Felsinae praesidio fuit et Sicambrum per fas et nefas iuvit: quam perfidiam [231]) multi non dubitant pulcherrimam fuisse occasionem dissuendae societatis. Ipse Caesar pervenit ante paucis diebus Brussellam ubi digno honore susceptus est. In itinere oratores Franci conquesti sunt confoederatorum transitum in Gallias per ditionem Austriam quid hoc sibi vellet; quibus responsum scio: kayſerliche Maieſtat wer der aidgenoſſen eben ßo mechtig alß konig von frangreich der gelriſchen. Pulcra siquidem et lepida responsio, etiam si Apollinis oraculum consuluisset impius rex cuius ultima laus praemonente nostro vate sub aquila [232]) volabit. Asserunt tamen ipsum regem expediisse Caesari centum milia scutorum his nundinis Lugdunensibus interpretanturque ob eam rem se Germanos [233]) prohibere accessu ad Gallias. Quid haec sibi velint et protendant, nemo satis intelligit, brevi tamen exitus monstrabit. Caesar omnia prudenter, caute et libenter agit et molitur quid maximum. Principes seculares reversi sunt domum ea lege, ut mox revertantur ..... [234]) ubi ecclesiastici domini manent subito redeuntem. De Anglo satis admirari non possumus, quod nihil accipimus praeter interceptas aliquas naves; paravit tamen ingentem exercitum quem iamdudum traiiciendi causa mari exposuit. Vidi binas litteras quibus scribitur pontificem Bononiam, Romandiolam et omnem ditionem ecclesiasticam recepisse, alii arbitrantur ex pacto, alii quod Galli viribus suis diffidentes eos certos sponte reliquerint. Satis constat Gallos universas copias, omnem equitatum et peditatum contraxisse Mediolanum, eo loci ubi cum Veneto pugna commissa est, ubi transire necesse est qui Mediolanum petere volunt: ibi fossas fodiunt, ibi sepulcrum parant, ibi castra metati sunt. Satis constat sex milia ex Graenpunderis in vallem Tellinam irruisse; quot autem milia sociorum Italiam petant, dubium: alii ad viginti milia connumerant, alii triginta colligunt. Satis exploratum habemus confoederatos cum impedimentis et bombar-

[231]) Cod. perfidam. — [232]) Cod. aliqua — [233]) Cod ne geramus. — [234]) Cod. Creuecum. Vielf. Treuiros?

dis Tridentinis per Athesim et Tridentum venisse Veronam die vigesima tertia Maii, quo dic Galli qui citatellam Veronensem tenebant audito tam potentis manus adventu tamquam fulgore correpti ad unum omnes excesserunt Mediolanum versus turpi fuga vitae prospicientes. Sunt qui praedicant filium Ludovici Sphorciae qui nostro Carolo militat itineri accinctum, quod indubitate confoederati cum in paternas sedes restituere decrevernnt. Veneti Vincentiae erant qui cum pontificiis dicuntur coniungere se confoederatis et nostris Germanis quibus ut audio perinde ac fratribus iam eonvenit. Pugnabit igitur tanquam arbiter Germanus de summa Italiae; modo oremus deum, nobis ut omnino spero victoriam largiatur, et actum est cum irrisione de lilio quod ex omni parte conculcabitur. De toga inconsutili dudum rescivi, sed quia is nuncius parum firmus erat nihil significavi: vellem onim litteras nostras ea apud to pollere auctoritate, ut quae nunciarent verissima agnosceres; quae inania sunt et futilia, aliis dimittamus, nos imperium et romp. Christianam curemus, ut hucusque singulari fide ac diligentia effecimus. Tamen posteaquam certo mihi renunciatum est de sanctissima veste, dedi commentarios ad Lipsenses bibliopolas ea lege ut quamprimum licentiato Ambstorff et tibi copiam facerent. Ex quo summus rerum conditor in inventione crucis et tantarum reliquiarum [235]) Constantino et Helenae parem fecit MaxEmilianum, ita quoque gratiam dabit, ut quemadmodum Pontius hac toga indutus offendi aut vinci non potuit sic noster Caesar victurus sit hostes Christi, et ea auctoritate totus orbis Christum adorabit cuius rei pulcherrimum fundamentum iecit Polonus. Ceterum tam pretiosum donum praeter Caesarem nemini visum. Gurcensis expectatus est multis diebus Augustae ad pontificem orator, forte ut inter cetera antistites primi ordinis reducat, qui sanctissimum spectaculum Christiano edant, de qua re perscribam ad te. Interea rumusculi non moveant nec dubita, habemus pontificem et Caesarem sanctos quibus undique convenit, qui reipub. catholicae diligenter consulent. Sunt qui praedicant Veneto pactam esse temporariam pacem; ego tamen litteras vidi quibus sperat assecuturum se inducias [236]) ab imperatore. Quemadmodum autem significas vestratium motus, ita et nos minime quieti sumus. Rediit Casimirus et mox iubet militem esse in armis, dant et nostri nomina: sunt omnia suspecta nec quidquam nobis tutum extra moenia urbis. Consti-

[235]) Cod. reliquarum. — [236]) Cod. Indutos.

tuimus non modicam spem in foedus Suevium; tentatur iam tertium ut recuperetur [237]), hucusque [238]) forte per vestros et nescio quos alios impeditum, nunciatur [239]) tamen firmata esse societas in annos decem: conditiones accipies postea. Alioquin patres ad Caesarem neminem miserunt, neque hoc tempore me missuri, undique mature [240]) et consulto agentes, qui inter septem conductos [241]) doctores auctoritate, consilio et eruditione minimus sum et adhuc periculum nullum feci: non deerunt tamen quandoque legationes. Noster praepositus S. Sebaldi inopinata morte periit forte veneno, quam secuti sunt Calarini legati, qui uno prandio adhibiti fuerunt. Alioquin non audivimus actum in crucem quidquam [242]), tametsi Coloniensem plerique perfidiae insimulent. Bamberg suffecit in demortui locum suum agnatum, nos ad preces imperatoris substituimus Melchiorem Phfinczing oheim; pontifex causam discernet [243]): relinquere certa et dubio eventui se exponere, haud satis tutum. Qui ex nostris contra ius gentium furtim abducti sunt, ignorantur; quidam tamen se data pecunia redemerunt. Audio quindecim milia Anglorum traiecisse in Hispaniam, ut etiam ex ea parte Gallias invadant. Ego utor coniunctissimis Welseris et ceteris mercatoribus, quorum merces et Europam et Indiam pervadant [244]): si quid novi habent, mecum communicant. Sed hoc die alia [245]) scribere non potui: ita incerta et dubia sunt omnia; quidquid acciderit scribam ad te. His incultis litteris dabis veniam; quae placent significabis praeposito, decano, Iheronimo, Ambstorphio, Gercio, Tildheno et communibus amicis. Mitto ad te quae de concilio scribuntur et multa communia; si videbitur emendata trades nostris librariis. Si qua in re tibi possum gerere morem, memineris quia tuus sum. Tu vive felix, faustus et incolumis per infinita secula, amen. Ex Nurnbergo die octava Junii anno 1512. Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 62. 18. Auguſt 1512.

An Nicolaus von Amsdorff.

Cod. 306 (362) fol. 131b.

Domino Nicolao de Ambsdorff, licentiato et canonico Wittenburgio, domino ac fratri observando dulcissimoque.

---

[237]) Cod. recuperatur. — [238]) Cod. eiusque. — [239]) Cod. nunciantur. — [240]) Cod. nature. — [241]) Cod. conduccios. — [242]) Cod. quamquam. — [243]) Cod. discernent. — [244]) Cod. peruagant. — [245]) Cod. alta.

Amorem fraternum et amicitiam sinceram. Ante aliquot dies misit ad me Spalatinus litteras quas tu illi dederas calendis Junii, quibus intelligo dolere te et moleste ferre meam absentiam: quod equidem arbitror te facere pro iure nostrae amicitiae; scis enim quod multo tempore te et Otthonem et familiariter et unice dilexi et vobis multa secreta communicavi. Ego quoque vestri saepe sum memor vellemque ita vitam instituisse, ut omnibus fecissem satis, displicuissem nemini: hoc unum in praesenti iucundum esset absenti. Deinde dubitas, superbiae an irae tribuendum putes, quod tuis non respondeam: ego vero post profectionem meam ternas a te accepi et quidem desideranter, respondi autem saepiuscule; semper enim studui et officio et amore tibi non cedere. Unde etiam hoc tempore dedi Martino librario nescio quas novitates tibi communicandas ea lege, ut Spalatino et Beckmanno copiam facias. Tertium te angit, quod dum coepulonibus salutem adscriberem te praeterivi; ceterum hoc sic accipe. Eas litteras dedi idibus [246]) Maiis quo tempore verissime mihi persuaseram, conventum Colonienscm nequaquam te absente celebrari posse, quippe accersitus equum emeras et iam [247]) totus itineri accinctus eras; alioquin non te salutassem sed litteras scripsissem. Quare mihi non imputabis, sed principi qui tua auctoritate in ordinando divino cultu nequaquam carere potuit; vel forte reservasti te mihi, ut invitatus quandoque ex stipulatu ad me venires, quod si factum fuerit coram respondebo his quae calamo committenda non putavi. Interea vale et ut facis me dilige. Dolui apud Iheronimum filiolum extinctum; scripsi Carlstadio, Thiloni Dheno et aliis, sed responsum non accepi: nihilominus eis ac imprimis domino praeposito, decano, probo Feltkirchio et in commune omnibus amicis me plurimum commenda. Audio doctorem Planckenfelt Wormaciae ac Johannem Breittenbach, discipulum d. Iheronimi, Papiae caede occisos esse. Deus omnibus nobis propitius esto, te vero cupio valere perpetuum et certior reddi qui in statu sit Vittenherga: hoc facile efficies si litteras Iheronimo Walther aut Martino Herbipolensi dederis. Cura ut Lucas tabulam meam ad montem Wellersberg conficiat utque sciam valitudinem Otthonis. Datum in vigilia nostri antistitis Sancti Scbaldi, patroni et tutelaris dei, 18. Augusti 1512.

Tuus Schewrlus.

---

[246]) Cod. illis. — [247]) Cod. tam.

Nr. 63. 19. Auguſt 1512.

An Spalatin.

Cod. 306 (362) fol. 133b.

S. p. d. Si istud est verum amatorium: Si vis amari ama, recte tu quidem facis et pro ingenua bonitate tua, mi optime Spalatine, qui amicitiam colis, qui officiose ad me scribis, quippe his litteris quas mihi reddidit frater tuus quid suavius, quid dulcius, addo etiam elegantius dici aut excogitari potest? quibus tamen [248]) interea parum respondi, quod designatus eram orator ad principem Georgium, unde putabam non absque animi voluptate coram tecum et cum meo Otthone commentari: nollem etenim, quod saepe professus sum etiam amore et officio tibi cedere quemadmodum nostris doctis iam persuasum est. Benedictus Chelidonius una cum suis legit epistolas tuas, credo numero sedecim: tanti te facit ut vehementer cupiat se tuae amicitiae insinuare. Quid dicam de [249]) abbate nostra? quam grato animo tuas legerit, intelliges ex scriptis suis, addo etiam munusculis, quorum rogo aliqua Otthoni et sanctimonialibus in Coswick communices. Noster Pirchamerus causam reipublicae agit apud Caesarem, sed Holtzschuer pluries te commendavi, quin hesterna coena pollicitus est ad te scribere: quod si hoc tempore non fiet et quod ego brevior sum, tribues occupationibus nostris; scribam tamen aliquando ad te longissimam epistolam. Scis quam [250]) tui sim studiosus quamque [251]) paratus tui causa scribere omnia, unde etiam fratri tuo qui nudius tertius ad me perscripserit operam meam exposui: tam libens vellem ei prodesse quam qui maxime cupiat. Celebrasti mihi saepe poetam quendam Caesareum Utenensem, cura me eius familiaritati insinuem; cura intelligam quid agat Otto, quam belle valeat Otto, quid Sbrulius, pereatne aeternum suam Sneidericiam? cura intelligam quid faciat tota Vittenberga? Nam quod ad amicos te refers, nihil hi ad me scribunt, sunt desides, mei memoriam abiecere: dabis autem litteras Iheronimo Walthero aut Martino librario Herbipolensi. Domino Laurencio Thuchero, iurium doctori, Sancti Laurenti praeposito et ecclesiae Ratisponensis canonico, custodi et episcopi vicario generali cupio quam primum ex officina tua incisum [252]) epitaphium pro rostris ponere litteris [253]) et more antiquorum oratione soluta vel etiam versu,

---

[248]) Cod. cum. — [249]) Cod. te. — [250]) Cod. enim. — [251]) Cod. quamquam. — [252]) Cod. Incidis. — [253]) Cod. litteras.

necnon Erasmo Doplero, i. u. doctori, praeposito Sancti Sebaldi, sedis apostolicae protonotario, senatori Caesareo etc. Vilibaldi pia soror antistes [254]) et matertera mea Appolonia Thuchera te salutant in domino, legunt cum dulcedine litteras tuas omnes quas mihi perscripsisti; posses quandoque exemplo tui Iheronimi ad eas scribere et celebrare natalicia Sanctorum: mirum dictu ipsa Charitas quam egregie intelligat. Vides chartam deficere, sed non deficit amor nec scribendi voluptas; perscripsi tamen haec ante diem 19 Augusti quem nostro tutelari deo et patrono unico Sebaldo [255]) utinam nobiscum sacrum [256]) faceres!

Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 64. (Ende October 1512.)

An Otto Beckmann.

Cod. 306 (362) fol. 144b. Das Datum ergiebt sich ungefähr aus dem Briefe selbst.

Ad Otthonem.

Amorem fraternum. Ad decimum sextum calendas Novembris reddiderunt mihi a te binas litteras, optime amice, mei Welseriani, quarum tu alteras potuisti dare Waltero duodecima Septembris, alteras vero 10. Octobris Ditlevo, quem tamen ego non vidi, forte ad amicos vestros retrogradum. Fuerunt autem litterae tuae mihi maximae voluptati utpote locupletissimae testes amicitiae Otthonianae, qui de mea salute, de mea fama semper fuisti sollicitus: unde etiam quaecunque scribis non possum nisi in optimam partem interpretari. Recte facis, qui de singulis me admones: nosti enim, quod apud Vittenbergenses amicos sine controversia primum semper locum obtinuisti neque ego ulli unquam te postposui. Quod autem his proximis diebus aliquos, ut tuis verbis utar, frequentibus litteris obrui, quibus tamen plus oneris quam voluptatis attulerunt, tibi vero pauculis [257]) verbis salutem adscripsi, sic accipe. Significaveras te ad nos iter suscepturum, unde te exspectabam desideranter, quumque ego in hoc Europae emporio positus essem quo undique tabellarii advolant, a te vero tanto tempore contra tuam consuetudinem nihil acciperem, dubitabam de salute tua: unde amicos ragavi, certiorem me facerent ubinam ageres, neque ad te scribendum putavi nisi scirent litterae ubi te offenderent. Dabis [258])

---

[254]) Charitas Pirckheymer. — [255]) Cod. Sebaldi. — [256]) Cod. sacrorum. — [257]) Cod. paucibus. — [258]) Cod. Dabas.

igitur veniam, si erravi [259]); posthac si placet obtundam tibi caput creberrimis scriptis meis. Ceterum quod iubes salvum esse syndicum nostrum Johannem Polras verbis avunculi tui domini Conradi Wichardi, is est de quo ad te perscripsi ad undevigesimum diem Augusti, in cuius locum utpote senio confectum patres alium surrogare volent. — — Reliqua reservo adventui tuo, quem cupio esse salvissimum: tunc etiam commentabimur de doctore Seufrido Plagal, cuius adhuc apud nos vigent clara monumenta et perpetua memoria, potissimum apud Egidianos ubi quiescit; eius nomen nonnulli honorati cives referunt ex sacro [260]) fonte suscepti [261]) qui eum praedicant virum bonum, doctum, catholicum. Quod autem proponis in Italiam concedere, laudo institutum tuum: pauci hoc temporis magnopere celebres habentur, nisi quod Lacium viderint, quamquam non sufficit Iherosolimis fuisse sed Iherosolimis bene vixisse laudabile censetur. Nec te moveant scholasticae seditiones quae nullae sunt, in multis nimis credulus es; scio apud Ticinensis non duodecim sed unum Breitenbach periisse, quemadmodum ex Simone Pistoris et eius socio, quodam doctore Kalb, intelligere potes: neque de gymnasiorum selectu hoc tempore disputes, ubique dabitur occasio studendi, modo ut facis omne tempus perire existimes quod studiis non impenditur. In foro disces mercari, cumque ad nos perveneris, singula ex nostris mercatoribus poteris rimari; spondeo me tibi praesto futurum aureis viginti quinque: quod si quid amplius potero erunt omnia tibi coram neque decerunt, apud quos auctoritate [262]) valeo, in assequendis precibus imperatoriis et aliis, modo instituas iter tuum biennio vel triennio. Interea singula explorabo et ad te perscribam. Epitaphia grato animo suscepi, sed perierunt duo Tucheri, Laurencius [263]) et Sixtus, uterque doctor, uterque Sancti Laurencii praepositus. Miror quod de Iheronimo nihil scribitur, item etiam de Luca, Apelle nostro; maximopere cupio tabulam meam statui ot proponi. Sic de fratribus Almann [264]) siles: maiori natu mandavi ut d. Mulbeck in Prusia conveniret, sed nihil audio. Utrique parenti adscripsi salutem verbis tuis, exposui etiam te in Italiam concessurum, ad quod laetabundus parens: Ergo ad nos veniet [265]) magister Otto? est enim nominis tui supra quam dicere possum studiosissimus teque rogat, ut ad neminem nisi ad

[259]) Cod. erram. — [260]) Cod. sacra. — [261]) Cod. suscepi. — [262]) Cod. auctore. — [263]) Cod. Laurencii. — [264]) Cod. Amann. Gemeint ſind Georg und Stephan Almann, vgl. Album acad. Viteberg ed. Foerstemann p. 32. — [265]) Im Cod. ſteht hier noch ut.

nos divertas: tam te habituri sumus multissimis [266]) diebus libenter quam qui vehementer te desiderant. Mittit tibi res novas manu sua mercatoria conscriptas: igitur si minus legere potes, ego ad longum explanabo omnia. Arbitror te non fugere cardinalem et Julianum fratres de [267]) Medicibus [268]) opera Julii pontificis [269]) in patriam Florenciam restitutos: in ea restitutione Hispanus contiguum oppidum Pratam spoliavit ablata magna vi auri et argenti. Ipse pontifex sub publica fide Estensem ad se accersivit, sed contra ius gentium insidias struxit, quibus opera Fabricii Colunni quem nuper in pugna Ravennati ceperat vix evasit: unde in praesenti contra Ferrariam bellum molitur et nisi aliquis deus ipsum Alphonsum iuverit verendum, ne de rebus suis actum sit; cardinalis tamen frater strennue se defendit. Antistes Gurzensis per Italiam imperatoris vicarium [270]) agit, pontificem adiit causa componendae pacis cum Veneto qui in ipsum et Hispaniarum regem arbitrati [271]) esse dicuntur. Gallus adhuc alias [272]) arces apud Insubres occupat et ipsos confoederatos una cum toto orbe quod mirum est dictu ambit, mirum in modum colit et honorat, et ipse Julius confoederatum titulo protectorum ecclesiae perpetuis temporibus insignivit non absque aliorum gravi ignominia, qui iam mittit Maximilianum Sphorciam in patrium ducatum restituere acceptis trecentis milibus aureorum et in singulos annos quadraginta milibus et nonnullis comitatibus. Addo etiam quod Mediolanenses stipulati sunt, ubi et quam diu opus fuerit se praesto futuros suis expensis sexcentis equis gravis armaturae; pollicentur tamen Gallus multo maiora et forte universum ducatum et Caesar et Hispanus, ut suum nepotem ducem proclament: quae omnia hucusque reiecta sunt. Adeo crescunt res confoederatorum, ut qui socii dici possunt se arbitrentur victores. In Germania inferiori parum celebre agitur quod scribi dignum sit, nisi quod miles propter non solitum stipendium mercatorem spoliat. Longe felicius pugnant Anglus et Hispanus: congressi sunt hi ante paucis diebus cum Gallo et navali et terrestri proelio et utrobique victoriam reportarunt quod verissime scribitur. Ceciderunt ex Gallis supra viginti quinque milia et ex his multi principes: tantam stragem secuta est deditio Baionae, amplissimae urbis [273]), addo etiam Bordeus; multi certissimum arbitrantur

---

[266]) So Cod. — [267]) Cod. et. — [268]) So Cod. — [269]) Cod. pontificiis. — [270]) Cod. vicariam. — [271]) Cod. arbitratum. — [272]) Cod aliis. — [273]) Cod. verbis.

amissam esse universam Guasconiam; vastatur et ipsa Britannia. In hunc modum inclinantur res Gallicae, quae tanto tempore tam felici cursu in summam potentiam se erexerant, ut plane omnibus constet summum deum, non hominem pugnare, qui nos peccatores flagellat, castigat, emendat. Dicuntur etiam ex Hispanis et Anglis periisse ad decem milia. Ipse Anglus nostro Caesari obtulit ducenta milia aureum nummum, quatinus Gallo bellum indicat, et satis constat eum bellum moliri contra Burgundiam et Lugdunum, et quod aliter non scio Gallus anathemate percussus et regnorum titulis privatus existit, ita quod sibi opus est sola divina gratia. Venio nunc in patriam. Quaerimus una cum antistite vindictam contra eos qui nostros contra ius et aequum spoliarunt: multis nobilibus iudex camerae diem dixit ut se purgent aut videant rebelles declarari; decreti episcopo per imperium auxiliares equites centum. Ipsi quoque Schwevi foedus suum repercusserunt, capti ex illis quidam Mundelhaimenses, deducti in arcem natura et arte munitissimam in [274]) Hegow sitam, Hehencre nuncupatam; confoederati illam tribus milibus constituerunt expugnare ad quintum diem Novembris, nobis imperati pedites ducenti et viginti tres equites: vereor tamen ne receptatores saluti consulentes captos dimittant [275]) pacemque componant. Statueram nunc finem facere scribendi: nam quemadmodum Scipio Africanus quum eum parum quidam pugnatorem dicerent respondisse ferunt, imperatorem se matrem, non bellatorem peperisse, ita me mater iniuriarum contemptorem peperit, non vindicem. Itaque volebam silentio involvere quae aemuli obiiciunt nisi tui honorandi gratia sententiam mutassem et, ut brevibus agam, scripsi Reisenbusch Italiam petere, nos hic manere, propterea eum contemnere. Ista etiam violenta et invida interpretatio: Andreas Tucherus patriae imperator et dux in Eisfeldt habet officinam argentariam, ab eo prineeps extorquet tributum quod nunquam antea pependit. Scripsimus saepe et sub adventum Monacensis litterae debebant reddi; rogavi pro iure amicitiae nostrae quae magna intercesserat, oblata occasione causam habero [276]) commendatam: qui vero Tucheros non novit, apud nos nihil novit. Postremo tentatum est matrimonium nomine cuiusdam puellae habentis sex milia in pecunia numerata, sed amici mei eam [277]) rem una meeum [278]) parum curarunt unde etiam in nihilum abiit; puellam tamen potui homini

[274]) Cod. munitissimi für munitissi. in. — [275]) Cod. dimittent. — [276]) Cod. haberem. — [277]) Cod. ea. — [278]) Cod. meum.

indicare, non quod eam perirem aut ipsa me, sed quia ipse a teneris unguiculis usque in decrepitam aetatem id genus hominum minime abhorrebat, cui tamen gravissimis monitis et institutione sancta curabo in dies rebus meis cautius prospicere atque consulere. Interea spero me per has [279]) incultas et longas negligentiae apud te excusatum iri, quod si scivissem ubinam esses longe alacrius ad te quam alios perscripsissem qui te semper ut fratrem dilexi, amavi, colui, semper amabo, colam, diligam: nihil enim dubito, quin id facturus sim mutuiter. Volo autem te scire me in quottidiano labore esse acquirendi pelles honorificas, peropportune igitur meministi birreti, longe opportunius et gratius mihi efficies si Iheronimo Walthero scripseris ut quamprimum per aliquem tabellarium diligenter custoditum ad me transmittat; habeo enim opus: sed non cupio gratis, fideliter recompensabo. Uterque parens toto animo te cupit salvissimum, te exspectat gaudenter ad se divertentem, duobus mensibus indicabo tibi patriam meam. Vale et vive felicissimus, mi amabilissime Otto; Thilodenum cum uxore et filiis, Cristannum cum uxore Magdalena, magistrum Petrum, magistrum Johannem et si qui sunt mei nominis studiosissimi hos omnes cupio valere perpetuum, cupio scire quid agant omnes.

Tuus Cristofferus Scheurl.

Nr. 65. (Ende October 1512.)

An Otto Beckmann.

Cod. 306 (362) fol. 155a. Das Datum ergiebt sich ungefähr aus dem Briefe selbst.

Ad magistrum Ottonem.

Salve, mi amabilissime Otto, amice et frater suavissime; ego quoque salvus essem, modo liceret tecum sacratissimum festum celebrare et limina sancta deosculari. Novisti me eius templi devotum, igitur non mireris [280]) si hoc unum in praesenti exopto et toto animo desidero; sed quia id negatum est, non potui me continere, quin per litteras te convenirem quatinus tu coram nomine meo aram sanctam circumires et sanctis offerres [281]). Hoc facto descendamus ad nostra. Accepi ante aliquot diebus binas a te per meos Welseros, quibus non modo copiose respondi sed et fasciculum litterarum transmisi Eisfeldam nostro cantori, tibi et communibus amicis praesentandum.

---

[279]) Cod. hac. — [280]) Cod. miraris. — [281]) Cod. offeres.

Interea venerunt ad nos patronus gymnasiasticus magnus doctor Staupitz, Monacensis et noster Theothelivius cum aliis tuis quas [282]) pellegi solita voluptate, et certe iam pridem acceperam acerbissimum casum optimi rectoris nostri [283]), quem sane pro eo ac debui aegre et moleste tuli, tum [284]) propter academiam quae gravem iacturam perpessa est tum hominem ipsum de litteris bene meritum qui meo iudicio inter vestros oratores quasi principem locum sibi vendicabat: huc adde multas et praeclaras ingenii dotes quibus in ordine suo eminebat. Qui etsi ignorantibus visus sit aliquando mihi adversari, ipse tamen testis es me non modo iniuriarum penitus esse immemorem verum etiam nihil animo curare, unde propter litteras non secus dolui quam amici alicuius fortunam; magis doluissem nisi scirem semel decretum esse omnibus nobis moriendum fore. — — — Precemur igitur summum deum ut nostri rectoris manibus aeternam beatitatem praebeat. Istud opinor nostri officii esse, ad vestros vero senatores spectare ut diligentius quam hucusque fecerunt gubernent. Intervenio ad nostra. Doctor Staupitz his duobus diebus concionatur ad populum magna auditorum stipatus caterva: miror vos homines doctos et gnavos tam parvi facere. Et inter prandendum et cocnandum tui meminit utpote viri candidi, sinceri, integri; frequens etiam sermo incidit de nostro Iheronimo et Ambstorphio. Excepi patrem Lucedo ponderante quatuordecim libras, et si compater meus pater prior, Schurphius, Nicolaus et tu quemadmodum optabamus affuissetis, communicassemus novum vinum dulce et id genus ad stomachum facientia. Sed hoc ideo significo quia de Theotelivio nihil volo significare. Cum mercatoribus Francfordianis, item etiam Cristanno poteris scribere anne cantor nostras tibi reddiderit; sin minus, cura ut reddantur et birrethum ad me mittatur. Exponis domum compatris esse salvam a qui mea salus non [285]) dependet; gaudeo amicos meos esse salvos sed a solo deo dependet mea salus: hunc si amarem, huic si servirem, salvus essem. Speras tibi fortunam meam communem tamquam maximam vini auri expectem; scio quid velis, sic [286]) accipe. Puella multis animi dotibus et sex milibus dotata fere totius familiae assensu thalamos meos videbatur non prorsus aspernari quemadmodum neque nos illius. Eo res deducta erat ut parentes responderent, obli-

---

[282]) So nach dem Cod., als epistolae viventes, oder quos zu lesen? — [283]) Ulrich Erbar, s. über die Sache Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 42. — [284]) Cod. tamen. — [285]) Im Cod. fehlt non. — [286]) Cod. si.

gaturos se certa praedia pro mille aureis nomine donationis propter nuptias: sed duobus consanguineis impedientibus, agnatione vero mea minime curante utpote qui eius rei gratia nisi interpellati nullum unquam verbum fecceramus, puella alteri locata est si divitias demas nobis non undecunque praestanti, ego vero ita liber permansi ut non dubitem me multo diutius [287]) libertate fruiturum. Utcunque igitur mea tibi erunt communia pro mutua et fraterna nostra benivolentia. Sed renunciatis Martinum Polichium ducturum filiam Regiam, tu igitur Annae ocellos absterge et iube eam verbis meis cum tota domo salvam, maxime patrem Gleitzman et Johannem Kuchenstreuer. — — Tu eis renuncia, me utantur ut suo amico. Dabis veniam non scripisse cum Engentino et aliis nescienti ubinam ageres. De conventu Vormaciaco et Argentino nihil scimus, neque ego mittendus essem: habemus in collegio nostro septem doctores et quadraginta duos senatores et auctoritate et prudentia mihi praestantes. Adhuc latrunculi sibi magis quam nobis obfuerunt. Puto me brevi daturum ad te commentariolos quemadmodum ea res geratur. Ad quintum diem Novembris conveniunt confoederati Suevi in Cellis. In Hegow arx est a situ Hoenkre vocitata: quodsi bombardae Maximilianae quae ex Athesi eo traducuntur eam ex caelis detrahent, — res est prius non audita, es ſein funffbundert Centener puluers dohin verordent ſol man In 8 tagen verſchiffen. Ipsam Italiam etsi dispendiosum sit ingredi propter pestem saevientem et tumultus bellicos, tamen amicus noster cum decano concessit Monocen oo traiecturus, utinam felicibus auspiciis! Dedi ei [288]) litteras commendatorias ad amicos, scripsi regimen quibus institutionibus si obtemperaverit benc secum agetur. Caelum Felsinense semper probavi, unde non putavi referre ubi studeat sed quid studeat providendum fore. Semper integrum erit senatus petere, sed in foro discetis mercari. Super omnia illi Otthonem commendavi, stipulatus est se daturum equum aut 40 aureos et etiam maiora quemadmodum intelliges ox litteris quibus [289]) dicit vello mittere ex Monaco. Homo est probus et pudicus: spero me de eo non male meritum, volui enim benefacere. Interea vive et vale, perpetuo, hospitem meam saluta die mariſchcpulin ot nostrum doctorem Lupum; domino Sebastiano rectori [290]), praeposito, decano, Mellerstadio cum fortuna filii Wolgango [291]), Iheronimo, domino

[287]) Cod. diuicius. — [288]) Cod. et. — [289]) So Cod. — [290]) Sebaſtian Küchenmeiſter, ſ. Album acad. Viteberg. ed Foerstemann p. 43. — [291]) So Cod., Wolfgangi?

Ambsdorff, Feltkirch et communibus amicis die salutem et mei commendationem; Cristanno [292]) dole socrum defunctam. Cura, rogo te, tabula mea statuatur in Wallersberg.

Nr. 66. 5. November 1512.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 159a.

Ad doctorem Eissenach.

Amorem mutuum et sincerum. Litteris, quas in aedibus pontificiis coepisti [293]) et tandem abeunte illo ex tuis dedisti ad quartum idus Septembris, quatuor significat praestantia tua, de fructibus tibi debitis, de uxore ducenda, de apologia theologiae, addo etiam de licentiato Behemo: ego tamen institui in praesenti duobus tantum postremis respondere, non quod alia duo alii nuncio reservare velim (nam ad te scribendi nunquam mihi argumentum deest, etiam quot dies sese tabellarius offerret) sed quod mallem hoc die animum remittere quam scribendo amplius fatigare et profecto nisi ad te dulcissimum amicum scribere summam offerret voluptatem, nollem defessis digitis calamum attingere. Quod igitur non parum te oblectaret vidisse saerae tuae professionis apologiam, sic accipe. Eum librum nostri librarii superiori anno temere ediderunt, utpote revidentibus his qui potius grammaticam attenderant quam eâm disciplinam quam Eysnachus ex maternis uberibus suxisse vulgo creditur. Monstrante igitur et indignanter quidem Magdeburgio aberrata [294]) mox senatus consulto ad unum omnes qui comprehendi poterant in publica archiva conieeti [295]) quottidie ignem exspectant; noster tamen concionator Divi Sebaldi unius mihi copiam feeit quam ad te do ea lege, ut reposcente domino restituere non pigeat: quumque ab antiquo magna ingenia magnis quoque [296]) vitiis comitata fuerint et apud Plinium nullus liber adeo malus sit, quin in se aliquid boni contineat, audio [297]) in hoc multa egregia et praeclara inserta esse. Quodsi igitur tu errores expungeres, forte de sacra rep. non male mereris [298]). Interea venio ad nostrum Behemum. Is nudius tertius renuneiavit litteris tuis respondisse, quumque in tui mentionem incideret, sic ait: Accepi dudum doctissimi viri, theologi maximi Jodoci Truttfetter

---

[292]) Cod. Cristannum. — [293]) Cod. capisti. — [294]) Cod. ab errato. — [295]) Cod. connecti. — [296]) Cod. quam. — [297]) Cod. Audeo. — [298]) So Cod. wohl merereris.

opusculum quod in rationali philosophia ob adolescentulorum profectum edidit, quod quantum mihi gratum extitit ego mihi ipse conscius sum, in eo namque et ingenium et laborem zelumque in ingenuos adolescentes quo facilius proficerent prorsus agnovi; ei denique cum gratitudine respondi monuique, si quid simile edidisset [299]) id manus meas non aufugerit et si quando vices rependere possem quam humanissime implerem. Ecce testimonium amplissimi viri propter quod te vigiliarum minus pigere debet: etenim quantum intelligo ipse Georgius homo est bonus, probus, integer, apertus, humanus, eruditus, totus theologus, humana utpote fragilia et caduca despiciens, solum deo devotus, qualem ego te, suavissime praeceptor, iam sextum [300]) annum vere agnovi atque probavi. Itaque non dubitavi tam probatissimorum morum atque studiorum tantam similitudinem vestrae amicitiae pulchrae fore conciliatricem speravique me egregiam navaturum operam, si sancta amicitia [301]) me interprete qui vestra vestigia adoro iungeretur. Quodsi hoc ipsum tibi videtur, nosti quid sit officii tui qui nihil unquam minus didicisti quam amore vinci aut humanitate superari. Institueram de his tantum ut praefatus sum scribere, testis est charta scissa, sed illud probatione non indiget quod cum animi recreatione ad te scribo: igitur tertium quoque absolvam. Stipulatus sum aliquando tibi mei amantissimo propter gravissimum consilium tuum non ducturum uxorem, quumque viderentur thalami mei expeti, memini fidei [302]) praestitae. Etsi [303]) res in nihilum rediit tamen tibi gratus sum: iuxta monita tua semper deum ante oculos ponam qui me creavit, qui me redemit, qui paratus [304]) est me tecum salvum facere. Sed priusquam garriendi finem facio, unum addam. Confoederati ex quibusque finibus honoratissimam legationem pontifici mittunt qui eos ecclesiae protectores declaravit, neque Gallum audire volunt nisi universa Insubria decedat, et iam Germanus atque Hispanus fortissimas arces sibi vendicarunt [305]) ut credam brevi actum fore de Gallo. Quantum res Italas attinet, ipse etiam pontifex [306]) universae Galliae ob conciliabulum eo translatum sacris interdixit, quia civitatem Gebbenensem (vulgo Genf dicunt) nundinis Lugdunensibus donat. Sed fuit apud nos d. Staupitz qui et ipse Vittenberga se abdicavit; audisti quod crudeliter rector trucidatus

---

[299]) Im Cod. ſteht hier noch et. — [300]) Cod. sexum. — [301]) Cod. amiccie. — [302]) Cod. fideli. — [303]) Cod. si. — [304]) Hier ſteht im Cod. noch sum. — [305]) Cod. vendicarent. — [306]) Cod. ponunt.

sit. Si nostro Ambsdorff scripseris, commenda me illi non vulgariter. Circumferunt apud nos disputationem [307]) D. Jhohannis Reuclin, sintne Judaeorum libri flammis committendi, quam si lectione dignam iudicaveris mittam ad te. Sanctum nostrum antistitem Paulum, decanum Severinum, hospitem et coepulones tuos cupio esse salvissimos. Vellem facultatem mihi offerri vobis omnibus morem gerendi quibus me et mea committo et ut quandoque ex altissimo pro me intercedere digneris te oratum velim. Datum Nurembergae in festo Divi Leonhardi patroni mei anno salutis 1512.

Tuus devotus Cristoff Schewrlus,
iuris utriusque doctor, patriae advocatus.

Nr. 67. 6. Dezember 1512.

An Spalatin.

Cod. 306 (362) fol. 164a.

Ad Spalatinum.

S. d. Ego plane admiratus sum, mi amabilissime Spalatine, tu qui ad praesentem quottidie scribebas, quod ad absentem non semel sed iterum provocatus nihil scribas, quum tamen scribendi hoc beneficium potius absentum quam praesentum gratia adiumentum sit. Auxit admirationem meam quod neque ad deo dicatam virginem quidquam scribis, apud quam lepidissimas [308]) litteras et puto munuscula quaedam tibi expedivi fideliter. Non possum certe mihi persuadere te tuorum Nurenbergensium penitus esse immemorem qui nihil minus oblivisci soles quam amicitiae sancte riteque contractae. Sed dubitantem certiorem fecit noster Pfeffingerus, esse te praefectum bibliothecae ducali, conquirere te undique libros et inter sudores vix respirare, quin iussit ad te mitti indicem librorum Johannis de Monte Regio, astronomorum principis, quod libens facio, si forte principi persuadere posses, ut tam pretiosissimam supellectilem emere vellet pro qua aliquando obtulit aureos mille et eos quidem Hungaros. Tuum itaque erit consulere principi, quippe tibi multum tribuit quem novit rem litterariam callere ad unguem. Neque ego adduci possum tantum thesaurum astronomicum facile reperiri. Ipse etiam Pfeffinger copiam fecit epitaphiorum quae illi formasti. Legi aliquando quid Leonhardus Aretinus quadam epistola de ea re sentiat: Monumenta quae

[307]) Cod. disputacio. — [308]) Cod. lepidissime.

vetustate oblitterantur curamus et multi facimus, sed quae aeternitatem praebent litteras et doctos professores negligimus, contemnimus, explodimus. Sed et in festivitate Martiniana tui memor fui, repetii dulces illos versiculos quibus superiori anno Thuronicum celebrasti fuitque ea res voluptati. Tu quoque vale et vive mei memor. Commendo tibi meos Ambstorff, Ottonem et Sbrullium qui subinde ad me scriptitant. Datae Nurembergae ad VIII idus Decembris anno a reconciliata divinitate 12 supra sesquimillesimum. Cristofferus Schewrlus.

Nr. 68. 8. Dezember 1512.

An Nicolaus von Amsdorff und Otto Beckmann.

Cod. 306 (362) fol. 165a.

Nicolao de Ambsdorff et Ottoni Beckman theol. et iurisconsultis, fratribus honorandis dulcissimisque.

Amorem fraternum. Accepi a vobis, fratres optumi, binas litteras, quarum alterae [309]) Wittenberg nostro cantori, alterae Halberstadii nescio cui scholastico datae erant: hoc scio quod omnia pellegi cum voluptate [310]), si hoc unum demas quod in Wittenburgianis mentio fiebat de quibusdam aliis quas ego plane non adcepi. Miror quod incaute committitis litteras vestras quas ego ita desideranter exspecto et tam fideliter observo. Pfeffingerus qui in patriam abiit condormiturus, ut aiunt, filiae praefecti in Lantzhut multa mecum conversatus est, usus verbis supra quam dicere possum mellifluis, dulcissimis et plane eucharinis, adhibuit me collationi ac prandio tractavitque perhumaniter. Mitto Spalatino illius iussu indicem librorum magistri Johannis de Monte Regio, si forte princeps tam nobilissima ac pretiosa supellectili suam bibliothecam illustrare vellet pro qua aliquando obtulit se soluturum Hungaros aureos mille. Sed et cantori scribo, ut intersit festivitati Sanctae Trinitatis qua 120 aurei distribuentur. Movit mihi etiam stomachum quisquis est qui arbitratur iurisperitum non posse habere conscientiam mundam, puto hoc verbum inconsultum persuadeoque mihi, virum iureperitum qui iuste iudicat pauperi et diviti et per omnia officium suum probe impertitur non minus mereri quam aliquando dantur sacra. Audio [311]) Venetum nolle assentiri magno foederi, sed ipsi aidgnossen regi Gallorum tandem gratiam fecerunt quod volunt eius legationem audire ea lege, ea conditione,

[309]) Cod. quorum alter. — [310]) Cod. cui voluptatem. — [311]) Cod. Audeo.

das der frantzos vmb ein gnedige Verhor Jden orth Tausent Chronen zu vher betzal Vnd entRichte. Multi suspicantur ne Gallus multa permittat et tandem [312]) cum confoederato et Veneto aliquid moliatur, Gurcensis continuum biduum solus fuit cum pontifice. Cardinalis Estensis habitu Germanico hoc est auff Teutsch welgeruft adiit Caesarem [313]), ut ferunt oblaturus principatum Ferrariensem [314]). Ungarus totis viribus molitur bellum contra Turcum: quidam comes Joannes affinis Poloni ducit viginti milia solus. Caesar agit apud Vangiones. Fuit apud nos praepositus Magdeburgius, familiariter mecum interlocutus ad sesquihoram. Vestri oratores obtulerunt pontifici [315]) octingentos ut perpetuis temporibus liceat butyro vesci. Valete et me amate quod mutuo facietis. Cupio scire vitam et conditionem Sbrullianam eumque salvum esse; — — cupio vos mei esse memores in Wallerspergio. Tandem etiam, frater Nicolae, ago gratias quod pro me sacrificasti: audio te principibus multum placuisse, quando egregie de omnibus sanctis praedicasti; utrumque ut saepe facias te oratum velim, erit hoc tua gloria, quandoque latius commentabimur. Interea valete. Nurembergae in die conceptionis [316]) 1512.

Frater vester Cristofferus Schewrlein, i. u. doctor.

Nr. 69. 70. (Anfang Februar 1513.)

An Otto Beckmann.

Cod. 306 (362) fol. 172b. Die beiden hier mitgetheilten Briefe gehören eng zusammen.

Ad magistrum Ottonem.

Otto mi amicissime, opto et toto animo desidero te ita vivere, ut perpetuo vivas, ut omnia ex sententia succedant et tandem vita beata frui liceat. Ex litteris tuis amicissime et ad amussim kalendis [317]) Januariis scriptitatis pleraque voluptate me affecerunt, quamquam pro iure nostrae amicitiae optimi avunculi tui casum doleam potissimum quod erepta tibi sunt sacerdotia: sed quae tua est inclita virtus quottidie novos concilias amicos, deus etiam tibi redditus amplos suppeditabit neque te deseret qui virtutem a puero coluisti. Quod ad me attinet quoniam tantum in me confidis omnem meam fortunam tibi communem dedico. Praeterea quod me pellibus mardcrinis iam-

[312]) Cod. eundem. — [313]) Cod. Cesar. — [314]) Cod. fertaruensem. — [315]) Cod. pontificii. — [316]) Näml. Mariae. — [317]) Cod. kalendas.

diu cum incommodo exspectatis donasti et Heinrico Scherl cui Lipsim, ut arbitror, fecisti satis et quod omnium maximum est semper ad morum gravitatem [318]) et vitae sanctimoniam me imbuisti, educasti, docuisti, oblata occasione pulcherrimam gratiam tibi polliceor relaturum; nam verbis velle satisdare plane stultissimum esset. Audio etiam dolenter intestina vestra odia, perniciem reip. vestrae litterariae, semper enim favi Vittenburgiis: deficitis in rectoribus et si quos habetis non auditis. Vellem melius agi cum litteris vestris, quamquam ista vestra periclitatio absentiam meam leniat, qui consuevi otio, quiete et pace frui, neque Theothelivius quicquam perscripsit quum tamen indies scribendi occasionem habeat, unde de suo nihil significare possum. Sed si tu adveneris, adnuncies [319]) parentibus de instituendo studio tuo. Nosti opinor diverticulum: sub arce posita est domus Schewrlina, Maximiliani hospitium. Exspecto tuum Gallum et Pavonem; mitto item Ambstorphio alios commentatores, ut si forte iterum abesses redeunti communicet. Ut Apelles tabulam nostram tandem proponat atque ingenio tarditatem compenset, te oratum velim: in hoc gratissimum mihi efficies. —— Quod tabellionem meum non excepisti, tribuo tuae absentiae; sed quod curialibus vina donasti, ago gratias. Confido Udalrico pecuniam litteris inclusam esse redditam. Captivitatem et flagitia Sbrulliana dolenter intelligo, sed quoniam neminem audit abeat in malam [320]) crucem cum sua Suede ricia, quam plurimorum litterae referunt apud Vittenburgios castam meretricem agere et honestum scortum, Missenensibus vero passim pro frusto panis prostitui. Miser homo et infelix servus qui ingenio alioquin nobili abutitur, fabula populi, ludibrium doctorum, ignominia patriae, dedecus amicorum: tandemne vult resipiscere et cum litteris et amicis in gratiam redire? Tu quoque deo rationem reddes si lenonem receptas, si ruffiano ad summergendas Musas hospitium praebes qui et hominibus te exosum reddis: nam et iurisconsultus pessimum genus appellat receptatorum sine quibus adulteri diu nequitiam suam exercere non possunt. Quodsi ut verissime audio porrecta sunt paula amatoria, mittatur communis meretrix [321]) in Albim ad pisces quaeritandos, ut tandem ex tenebris in lucem resurgat Sbrullius noster, alioquin facilis, doctus et ingeniosus poeta. Asseris etiam doctorem Iheronimum saepe polliceri ad me

---

[318]) Cod. grauitate. — [319]) Cod. aduenies. — [320]) Cod malum. — [321]) Cod. meretricorum.

scripturum litteras, ad quem ego ternas dedi postquam abii: sum quoque saepiuscule occupatus sed ad amicos perscribere dulce solatium est; testes sunt hae litterae quarum [322]) exitum, mi amabilissime Otthо, nihil est quod adhuc exspectes. Iam enim tuis respondi sigillatim; reliquum est ut ad rempublicam veniamus, quam dum paucis absolvo ut me solita clementia audias te oratum velim. [323])

Ad Otthonem [324]).

S. Adgredior modo resp. Julius pontifex posteaquam Ferrariam cognomento Novam sacris interdixit ipsumque Alphonsum ad se accersitum contra pontificiam et patrum publicam fidem capite plectere voluit, nisi praesto affuisset Fabricius Columnius qui credulum interemptis custodibus porta noctu eduxit, pulchram gratiam rependens ei cui et [325]) ipse vitam suam in pugna Ravennati acceptam referebat: ipse Hippolitus Estensis, Romanae ecclesiae cardinalis diaconus tituli S. Luciae in silice, ne contra pastorem cum dispendio sacerdotii [326]) fratri faveret, instituit in Hermaniam secedere ubi a MaxEmiliano perbenigne acceptus. Qui et ipse officiorum memor quae sibi in castris Patavinis pulcherrime impenderat magnam vim auri obtulit, rarum munificentiae genus, quo tamen antistes apud Maximilianum ingenue abstinuit. Sed celeberrimae urbis nostrae fama pellectus decrevit illam inviscre. Mox ex senatus consulto Georgius Futterer, affinis et senator, et doctor tuus Schewrlus cum sexaginta equitibus ad secundum lapidem praesuli fiunt obvii habetque Schewrlus orationem tempori et loco accomodam. Video te subridere quod sexaginta comitum feci mentionem, sed magis me movebat quod voluissem adesse ipsum pontificem cum universo senatu apostolico: ita me ad alacriter dicendum animaverat benignus cardinalis aspectus. Itur in urbem, fit concursus populi. Mox pro more atque instituto nostro offerimus donaria atque iterum dicendi provincia mihi decernitur, unde videndi alii, alii audiendi gratia confluunt. Tum primum Noricis loquentia Felsinea gustata. Respondet cardinalis ipse et latine et humane respondet. Fuit is dies Anthonio sacer quo forte soror mea amitina Helena Tuchera ingenio, forma et quinque milibus dotata nubebat. Voluit antistes illustrare prae-

---

[322]) Cod. quorum. — [323]) Dies ſcheint in dem Folgenden geſchehen zu ſein, obgleich es der Form nach ein beſonderes Schreiben iſt. — [324]) Die Ueberſchrift von Scheurl's eigener Hand. — [325]) Cod. est. — [326]) Cod. sacerdoti.

sentia sua choream nocturnam. Mox ego colligo duos et triginta cives socios, qui nobis matronas et puellas prout quaeque insigni forma in urbe eminebat cooptamus. Ad diem praestitutum convenimus in aedes pontificis, adhibemus [327]) suam paternitatem coenae: qua peracta cum magna voluptate spectavit tripudiantes, quos [328]) biduum spectasset si licuisset; gaudebant et patricii sui quibus mulieres placidae et viri Italum callentes iungebantur. Si octoginta vasa aurea, si tibicines, si omnia consideres, luxum [329]) dices principalem atque munificentissimum: expensi aurei numi quinquaginta sex. Neque antistes quidquam prius habuit quam ut nos rogitaret, iuberemus coenantes quorum cum servitoribus sedecim mensae erant postera die suis expensis redire: quod nos tamen tertium renuimus, non ignari invidiae contractae quod mulierculae quaedam ob formam, quaedam ob famam neglectae erant et quod in id genus panchetis durum est omnibus facere satis. Quum tamen ego summo studio studeam aurae populari vellemque placere omnibus, displicere ne uni quidem, patres ipsi etsi quoscunque ad se divertentes soleant humane et honorifice excipere, instinctu tamen eorum qui Italis favent utpote ab eis beneficiis adiuti, quamquam apud senatum populumque Noricum auctoritate, gratia, benivolentia valent et pollent, huic principi regios honores impenderunt et quales memoria hominum [330]) nulli principi impensi, quamquam ne hi quidem impensi quos merebatur homo eruditus, humanus, prudens, ingeniosissimus qui si princeps natus non erat tamen egregia atque praeclara virtute principatum comparaturus erat. Quodsi Caesarianus non essem, ausim dicere plus Hippolitum sua manu attulisse incommodi Veneto quam Germanum, qui his uno die ducentas bombardas abstulit cum plurimis signis, quos aliquando terrestri, saepe navali praelio vicit, fudit, fugavit, qui Caesar et Germani (vera loquor) novam formulam mutarunt tormentorum. Spectavit armarium nostrum cum magna aviditate, tametsi nihil novi spectavit cum omnia habeat excellentiora, unde etiam excellentius de [331]) singulis iudicavit quam aliquis nostrum, ut Hannibalem putares, ut Julium Caesarem. Inter reliquias [332]) post crucem domini et lanceam miratus est spadam Carolo desuper missam, similiter et illum ensem quem vestro Mauricio praedicant angelum attulisse: manu accepit homo bellicosus et ad arma natus. Donavimus panem ex siligine centum

---

[327]) Cod. adhibebimus. — [328]) Cod. quum. — [329]) Cod. luxui. — [330]) Cod. homini. — [331]) Cod. et. — [332]) Cod. reliquas.

octoginta annorum, monstravimus granaria sedecim unde populus amplius biennio saturari posset; consideravit turres, valla, fossas; deduximus hominem vicatim, si quid celebre aut ingeniosum erat fecimus copiam. Modo Apellem, modo architectum, modo sculptorem, modo fictorem diiudicares, ita ad singula aptum et pulchrum habet ingenium, ut nonnisi [333]) illi arti studuisse putes. Quum tamen nihil praeclarum ignoret, ego inter eundum [334]) recitavi familiarum [335]) ornamenta; — — — multa etiam de domus Estensis antiquitate, de bellis, factionibus et rebus Italicis commemorata, ita ut de homine germano miraretur praeses vehementer; quin et ipse de statu pontificis, Caesaris et principum multa mecum commentatus est, et omnia familiariter et humanissime supra quam dicere possum. Perorantem nunquam audire voluit nisi sedentem, loquentem vero tecto capite tantum. Visus etiam est toti urbi me complecti pientissime, benignissime, ita ut in hodiernum diem nonnisi meus cardinalis cognominetur. De sex diebus quibus apud nos mansit ultimos quatuor sine tuo Schewrlo neque prandere neque coenare voluit, proximus semper accubui, alioquin aut praecessi aut lateri haesi, multas consultationes, instituta, itinera in meum arbitrium reiecit: ego omnia cram. Si exules in patriam restituti, si civitas commendata, si patribus gratiae habitae, si populi favor qui magnus erat in hunc declaratus, si indulgentiae concessae, si Norici civitate Ferraria donati, si quid egregium actum est: hoc totum tuo amico interprete actum est. Neque ego per hos dies nisi cardinali operam navavi visusque sum in mediam Italiam rediisse: ita mihi cum homine principe — — convenit. — — Tandem proficiscentem comitantes audire noluit neque dexteram iungere nisi equos reassaltaremus; ipse vero commendata civitate in haec verba prorupit: Plurima se audisse de urbe Norica, ampliora longe invenisse, se debere patribus multum, beneficiorum in perpetuum non fore immemorem, oblata occasione singulis Noricis gratiam relaturum amplissimam. Me vero gratiose complexus patentibus litteris in rationarium suorum familiarium domesticorum et coepulonum cooptavit commemorans officia et industriam celebrans, tribuens privilegia, commendatum me faciens principibus quibus gratiam repensurus erat. Fecerunt hoc ipsum patricii Ferrarienses optantes ut quandoque tamquam e specula in hoc exilium vicum quendam Noricum animi gratia lustrare contingeret, et nisi fallor patronus

[333]) Cod. nisi. — [334]) Cod. eundem. — [335]) Cod. familiarius.

longe alacrior, hilarior, immo contentissimus abiit. Crede mihi, Otto, ita mutatus sum in hominem, ita coepi diligere atque revereri, ut iam amplius non foveam [336]) partes pontificias, ut nihil minus velim audire quam periclitatam Ferrariam. Quae si ut opto pacabitur, tu meus amicissimus assequeris facile doctrinae gradum parvo aut nullo pretio: iam enim mihi spes proposita est ampla non modo a principe sed et ab uno doctore. Utemur praeterea maiestate tanti patricii in quibuscunque aliis, nam divitias et potentiam cum virtute coniunxit et ingeniis favet indulgentissime. Affinis Mathias eum penes se educavit tenerum, contulitque archiepiscopatum Strigoniensem qui in singulos annos ministrabat ad quadraginta octo milia ducatorum, quem decedente rege cum Agrariensi permutavit quo nunc confugit; gaudet praeterea et fruitur archiepiscopatu Mediolanensi, Capuano, Ferrariensi et Mutinensi, taceo reliqua sacerdotia, ita ut cardinalium sicut dignissimus ita et opulentissimus censeatur. Nunc de Italia. Veneti societatem Romanorum principum hucusque aspernantur, nuper per traditionem iterum tentarunt Veronam capere, Veronenses praevisa fraude hosti obviarunt sed viribus diffidentes militem in urbem reduxere multis graviter sauciatis et maxime quodam Goldecker. Pontifex uni Ferrariae inhiat; Alphonsus ad portas usque rebus amissis obsidionem expectat animo forti, iam biennio nil clamitans praeterquam [337]) iustitiam sibi ministrari proximis comitiis, id est angaria. Gurtzensis [338]) Ro. ecclesiae cardinalis designatus est tituli Sancti Angeli tulitque suffragium in amplissimo ordine, dispensante tamen pontifice quantum ad habitus delationem attinet qui etiam reditus quattuor milium aureorum in archiepiscopatu Moguntiaco assignavit necnon una cum imperatore refragante capitulo Saltzburgensi coadiutorem dedit. Ipse [339]) praeterea cardinalis totum imperatorem apud Italos agit: tantum crevit homo qui Tubingo abiit ob passam repulsam quippe candidatus conventuram enixe petebat. Tandem Suiceri gratiam fecerunt Gallo, ut eius legationem cum centum quinquaginta equis Friburgi audire dignati fuerint. Defecerat etiam ab ipso Gallo superiori anno regnum Novariae ad Hispanum, unde nuper civitatem principem Pampilonam expugnare conatus est sed amissis mille quingentis peditibus in stativa exercitum reduxit. Sicamber duodecim naves igni absumpsit in portu Antwerpiano. Caesarem

---

[336]) Cod. voueam. — [337]) Cod. praeterque. — [338]) Cod. hurtzensis. Matthäus Lang. — [339]) Cod. ipsi.

ferunt ultimam voluntatem in codicillos redigere [340]), nescio ubi sit. De conventu nihil habemus: nostri tamen Suevi confoederati diaetant Augustae eo consilio, ut opitulatum [341]) decernant contra Francos raptores, ex quibus decem et septem aqua et igni interdictum est quia suspecti fuerunt in nostris Lipsi redeuntibus ius gentium violasse et eam suspicionem iureiurando non purgarunt. Quodsi Caesar in sententia perstiterit et non persuasus fuerit per haec latrocinia civitates in obedientia posse contineri, sumetur brevi de pacis violatoribus acerrimum supplicium qui iam rebus suis timent et partim poenas dederunt. Nos ad bellum necessaria instruimus et centum quinquaginta equitibus quos ordinarie et absque incommodo tenemus quottidie excursantibus omnia infesta reddimus et suspecta, ut perfidis non satis tutum sit proximum vicum invisere. Nuper etiam una cum Bamberg socio arcem munitam Frawenstayn quam vester Selbitz emerat et multas villas funditus evertimus. Confido Francos egregiam navasse operam quum nostros contra ius gentium ita depraedarunt. Palatinus Rhein., Wirtenbergensis, Badenses iunctis forte Franconibus novum foedus roborarunt allicientes vestrum electorem, cuius rei gratia dicitur ad vos accessisse Wirtenbergen qui etiam paulo ante abbatem Zwifaldensem ob negatum mutuum maximis [342]) pecuniis spoliatum in carcerem coniecit, unde Caesari triginta milia aureorum exsolvit propter confirmationem novi telonii quod aureum cognominant: singula enim plaustra vini singulos aureos transitus nomine debent exsolvere, id vectigal existimant ad annua octoginta milia ascendere, rem vicinis et subiectis populis perniciosam admodum. Omnia ista initia futurorum malorum, ni deus aliquis provideat. Audisti etiam tumultum Coloniensem: sub initio anni urbis porta offensa est aperta, unde plebi patres suspecti ne cum Sicambris sentirent. Quod nisi eam seditionem composuissent patricii duo bene meriti, tota civitas periclitabatur: tandem ex optimatibus septem capite puniti, multi adhuc in custodia observantur. Fertur tale quid de Aquisgrano; possem tibi communicare duodecim plebes quae hoc biennio contra senatum et patres rebellarunt. Ipsi quoque Augustenses sartorem unum Zunftmeister propter furtum furcis suspendere deliberarunt. Tanta est calamitas temporum nostrorum neque aliquem finem optare possumus, quum incertum sit, an haec mala adhuc

---

[340]) Cod. redegere. — [341]) Cod.: vnd oritpolio. — [342]) Cod. maximos.

initium sumpserint: propterea volumus confugere ad deum et huic soli credere atque committere.

Nr. 71. 17. März 1513.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 185b.

Ad doctorem Eysenach.

Quod salvus es tu, suavissime amice, quod salvi sunt communes patroni et fautores, gaudeo plurimum: deus optimus maximusque faxit ut animae perpetua felicitate frui liceat. — — — — — — — — Qui in statu periclitetur respublica litteraria apud Vittenb., puto te non ignorare. Duos libellos a te exspecto amicis donandos, mei autem apud nos iterum divulgati sed mox ad unum omnes distracti quippe qui in emporio Hermaniae agimus, quum apud nos sit frequentia sacerdotum [343]) quibus ab ineunte aetate semper favi. Omnino vellem eos apud vos quoque edi, modo tuo consilio et librarii commodo fieri posset. Confido tibi licentiatum Behem in amore respondere, qui de te scribit quemadmodum par est. Mitto ad te foedus inter pontificem et Caesarem ictum, mitto etiam honores Langio Gurtzensi cardinali Sancti Angeli exhibitos quos ex Italo et Latino in patrium idioma verti, mitto etiam tres quinterniones ex urbe allatos ea lege, ut doctori Iheronimo cuius sunt Vittenbergam destines mittendos [344]). Quamquam haec foedera iam ad exitum perducta sunt, quippe kalendis Martiis accepimus pontificem ad vigesimum primum diem Februarii vitam cum morte commutasse. Cardinales urbem praesidiis tenent [345]) mox electuri in decedentis [346]) locum, de qua re si quid accepero perscribam ad te. In praesenti oportet me reddere ius civibus meis, eumque haec raptim scriberem, transibat praepositus Magdeburgii ex urbe rediens; venit etiam ad nos Federicus marchio Brandenb. civitatem filio Casimiro conciliaturus. — — Valc ad 16 kalend. Aprilis. Curabo ut sorores Claritanae pro te quoque rogitent. Anno 1513.

Tuus Cristofferus Schewrlus, i. u. doctor.

---

[343]) Scheurl meint seinen libellus de sacerdotum ac rerum ecclesiasticarum praestantia. — [344]) Im Cod. etwas undeutlich. — [345]) Cod. tenet. — [346]) Cod. decentis.

Nr. 72. 1. April 1513.

An Otto Beckmann.

Cod. 306 (362) fol. 187 b.

Ad magistrum Otthonem Beckman.

Salvus sis, mi amabilissime Otto. Ego etsi continuis laboribus defatigatus sum, tamen volens ad te perscribere de pontifice Leone decrevi altius repetendum, quando ea tecum necessitudo mihi intercessit ut tu mea omnia pellegas lubens, ego vero ubi ad te scribendum est mihi videor omnem oculorum lippitudinem longe repudiare. Floruit apud populum Florentinum familia Medicea multo tempore atque in curia primas semper partes sibi vendicavit. Sed Cosmas a Baldesare Costa qui occupato pontificatu Johannis vicesimi quarti nomen sibi indidit plane familiariter dilectus fuit, ita ut credatur omnem illius thesaurum quum apud Constantiacos [347]) apostolatus abrogaretur apud se retinuisse. Genuit is ex Petro filio Laurencium Mediceum ad quem Picus, Hermolaus, Ficinus, Policianus Mantuanus et ceteri clarissimi viri multa perscripsere. Procreavit is ex Clarice Ursina Petrum, Johannem, Julianum et tris filias fuitque causa Magdalena, quam Francisco, Innocencii octavi filio, locavit, ut Johannes roseo pileo donaretur. Ceterum anno 94. dum Carolus Neapolim invaderet et Petrus Gallicanis armis plus aequo faveret, fremente curia, populo saeviente agitur cum fratribus in exilium, publicatis prius bonis atque partim direptis quae forte equum Seianum [348]) redolebant, et ut calamitas calamitatem provocat paulo post apud Capuam aquis summersus est. Interea vidimus cardinalem S. Mariae in dominica Julio ob singularem gratiam publicitus peculiariter ministrantem tantaeque auctoritatis, ut pro illo exercitum ductaverit, argumento eius quod anno superiori in die paschatis [349]) commissa illa omnium crudelissima pugna Ravennati captus et abductus fuerit, quum Gallus tantae praedae indignus officere non potuerit quin opera agrestium aufugerit. Paulo post Julius edita prius strage ad Pratum (distat hoc paucis lapidibus a Fluencia) Mediceos in patriam restituit. Quum Julius per ornatissimam orationem patribus cum summa laude Maximilianum commendasset atque thesaurum, ut aiunt, sexcenta milia aureum numum non propinquis sed successori iudicasset et in haec verba ad vigesimum primum diem Februarii animam efflasset, hic

[347]) Cod. Constancticos. — [348]) Cod. Seranum. — [349]) Cod. paschalis.

noster inter diaconos primus magno omnium assensu decima Martii in demortui locum sufficitur publicaturque sequenti die hora 3a decima Leo Decimus vel quod Fluentini hoc animal peculiariter amant et semper nutriunt vel quod leo rex est. Homo grandiusculus, fortis, oculis grossis, probus, humanus et qui hereditario quodam iure doctos amat, sed quod mireris, mi Otto, nondum natus tres annos supra quadraginta. Quod sic colligere soleo civibus meis: Auctor est Mirandulus in prologo heptapli [350]) eum in supremum ordinem tam tenella aetate relatum fuisse quam nullum unquam, sed Matheus Boscus canonicus regularis in epistola antepenultima scribit relatum esse dum ageret quintum decimum annum sed ea [351]) lege, ut ob dignitatem collegii habitu abstineret donec decimum octavum aetatis annum implesset, quo die advcniente se ipsum sabato in Marcio investisse ..... Constat autem Innocencium lectum pontificem idibus Augusti anno octogesimo quarto: tantum ergo abest Leo noster a quadraginta quatuor annis quanto eum Innocencius post initum apostolatum cooptavit inter roseos antistites, quod plane scire non possum. Fuit autem Leo nonus ab imperatore nostro Sancto Heinrico Anno 1049 Romam missus ad dignitatem suscipiendam, homo et ipse Germanus utpote episcopus Tublensis [352]). De communi nostro patrono nihil habeo, sed spero eum electi loco protodiaconum [353]) cardinalem esse ad quem [354]) ex more spectat vota patrum cogere, spero autem eum habiturum benissime: nam dignus est omni dignitate. Heu si praevidissem tantam fortunam, non ita a nobis dimisissem hominem. Habes, mi humanissime Otto, quae ad te omnium carissimum volui paucis perstringere de pontifice benigne magis quam eleganter, unde scio te veniam daturum: ego enim istis studiis secularibus et humanioribus nihil omnino possum navare opellae nisi quantum memini me eis quum adhuc per aetatem et graviora studia liceret summopere, vehementer et mirum in modum oblectatum fuisse. Sed tu paucis accipe [355]) de Caesare. Venit is decimo octavo die Martii Augustam dimisso nepote Vilhelmo Bavario, Casimiro Brandenburgio et Federico Palatino fratre. Causam existimant, ut dissuat foedus inter Bavaros, Virtenbergium [356]) et Francos in perniciem imperii, Suevorum atque totius iustitiae percussum quemadmodum

---

[350]) Cod. Heptali. — [351]) Cod. a. — [352]) Biſchof von Toul. — [353]) Cod. prothodiaconem. — [354]) Cod. quam. — [355]) Cod. Incipe. — [356]) Cod. Vittenbergium.

Paulus Lichtenstainus probissimus apud Caesarem publicitus nuper peroravit: et quod omnium foedissimum est, Vilhelmus pulcherrimorum beneficiorum immemor cum his sentit, quae res nobis occasionem distulit hucusque sumendi de latronibus supplicium. Sunt qui credant Casimirum adducturum Augustam causa nobiscum transigendi: quod si certum haberem, te quoque optat sacpissime; interea se tibi commendat. Spalatinum iube esse salvum cuius litteras exspecto. Nurenb. kal. Aprilis 1513.

Tuus Cristofferus Schewrlus, i. u. d.

Nr. 73. 8. April 1513.

An Otto Beckmann.

Cod. 306 (362) fol. 190b.

Ad magistrum Otthonem.

— — — — — — — — Scripsimus nuper de Leone pontifice. Interea vidi apud illius paedagogum [357]) Pollicianum IIII. epistolarum volumine, ubi parentis Laurencii mortem deplorat anno 92. quod scribit tum Joannem cardinalem duo tantum de viginti annorum esse; adde viginti unum qui interea effluxerunt et habebis pontificem undequadraginta annorum. Caesar ad se accersit Augustam principes Schuevi foederis ad 18 diem Aprilis, unde erecti sumus in speculam aliquam [358]) quod Vilhelmus promissis stabit et occasio dabitur de latronibus supplicium sumendi: alioquin ipse viderit. Sunt qui recitent litteras, confoederatos tractare unionem cum suo Gallo. — — Uterque parens te non modo salvum optat sed adventum tuum quasi conviciis expostulare videtur. Ex Nurembergo die Veneris post Quasimodogeniti, qui dies ex ritu nobis solemnis est propter editionem reliquiarum, quippe agi dicitur annus 89 quo hanc urbem feliciter illustravit.

Tuus Schewrlus.

Nr. 74. 13. April 1513.

An Johann Heß.

Cod. 306 (362) fol. 193a.

Ad magistrum Johannem Hessen. [359])

S. Quod scribam Udalrico Pindaro nihil est: ipse in emungendis Bartolis qua usus sim benevolentia vidisti, quam coram

---

[357]) Cod. pedagum. — [358]) Cod. aliamque. — [359]) Ueber Johann Heß s. Will's Nürnberg. Gel.-Lex. II, S. 99.

verbis meis explicare poteris; mitto autem litteras, uti petisti, Vratislaviam transportandas. Amicos saluta, inprimis Valentini Schewrli filiam quae nuper nupsit Erasmo Floko, quod matrimonium cupio foelix faustumque esse: miror quod creberrimis litteris provocata ne ullum unquam verbulum mihi responderit. Matri quoque viduae, Alberto Schewrlo necnon praedicatori Norico qui paucis ante mensibus eo concessit, salutem dicito; sed et amicis Vittenburg., uti in foro te rogabam, me commenda, inprimis effice rogo ut Lucas meam tabulam quandoque statuat. Vale. Nurembergbae idibus Aprilis 1513.

Tuus doctor Schewrlus.

Nr. 75. 22. Mai 1513.

An Johann von Staupitz.

Cod. 306 (362) fol. 203a.

Ad doctorem Staupitz.

Obsequia paratissima. Ubi exspectavi reverendam paternitatem tuam ad nos divertentem, factus sum certior te per Saltzpurgense [360]) Romam iter suscepisse, quod opto fieri cum omnium commodo, salute ac dignitate excellentiae tuae. Si mihi licuisset, praebuissem me tibi, reverende pater, comitem, hoc est familiarem, servulum, ab epistolis, praecursorem, interpretem, expenditorem [361]), hoc est praebuissem me tibi qualis semper fui atque ero deditissimum obsequentissimumque. Cupio atque exopto te redire salvum incolumemque. Interea pater Cristofferus Schewrll, mater Helena, frater Albertus et ego reverentiam tuam oratam habemus, quatinus nobis expedire dignetur eas indulgentias quas vulgo confessionale dicunt, maxime ut pro arbitrio in qualibet ecclesia communicare liceat nec pigeat huiusce laboris: faciemus satis atque gratiam referemus facultate oblata. Doctor Caspar Schicker vitam cum morte commutavit, substitutus in decedentis locum doctor Konig. Noster Ambstorff gymnasiarcha designatus est. Caesar agit Augustae, conventus Vormaciensis dissolutus Augusta indictus est. Ego me tibi cupio esse commendatissimum, cui me dedo. Valeat r. p. t. Ex Nurenb. 22 Maii 1513.

Tuae r. p. devotus Cristofferus Schewrlus.

---

[360]) Cod. saltzpurgensi. — [361]) So Cod., wohl expeditorem.

Nr. 76. 5. Juni 1513.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 205a.

Ad doctorem Eysenach.

S. Ex litteris tuis acceepi te et communis amicos valere, quod gaudeo, et ut hoc vestrum valere perpetuum sit opto. Mitto ad te capitula inter cardinales inita [362]) nuper traducta ex Italico. Pontifex, Caesar, Anglus et Hispanus pacem sanxerunt; aeque Gallus et Venetus foedus pereusserunt qui magnis viribus bellum moliuntur, hic Veronae quam obsidet, ille Insubribus: nihil est quod exspectemus praeter pugnam atrocissimam. Quod ad patriam attinet, Caesar prope Augustam agit, nihil agit: igitur nostris cum hostibus, exceptis eis qui superiori anno mercatores nostros Lipsi redeuntes contra ius gentium spoliarunt, consiliati sumus, ea lege, ut patres captivum unum, non tamen nobilem praedonem dimitterent, aeque ipsi nostris pro damnis acceptis exsolverent aureum numum duo milia. —— Benc igitur nobiscum agitur dei opt. max. beneficio. — Audio et vestros exules tandem temporum pertaesos data magna vi auri domum reverti: vellem ego res vestras agi in tranquillissimo portu qui a vobis honoribus auctus sum et beneficiis adiutus. —— De libellis tuis scribam alias. Valeat interea paternitas tua, reverende patrone. Ex Nurenb. nonis Juniis 1513.

Tuus Cristofferus Schewrll, i. u. doctor.

Nr. 77. 13. Juli 1513.

An Nicolaus von Amsdorff, Andreas Bodenstein (Carlstadt), Christian Bayer, Johann Dolt, Georg Spalatin und Otto Beckmann.

Cod. 306 (362) fol. 208b.

Ingenuis et claris viris, bonarum disciplinarum professoribus, dominis Nicolao de Ambstorff rectori, D. Bodenstaino Carlstadio, Cristanno Bayario burgimagistro, Johan Doltsch Feltkirchen, Georgio Spalatino, Ottoni Beckman, amicis suavissimis dulcissimisque.

Obsequia parata. Bilibaldus Pirchamcir, communis meus amicus, homo et Gracce et Latine eruditus, Plutarchum de his

[362]) Cod. Inicia.

qui tarde a numine corripiuntur nuper latinitate donavit voluitque, ut id operis doctis amicis communicarem. Quum igitur vos de ingenuis disciplinis, philosophia et dicendi arte prae multis aliis egregie meriti sitis tantumque in vos deus sine qui nulla scientia congesserit virtutis, ut inde complusculi celebres reddi potuissent, ut ceterae [363]) toti academiae ornamento sitis, addo etiam benivolentiam quae multis annis vobiscum mihi intercessit: haud iniuria vos delegi quos lucubrationum Birchameriarum dignos iudicarem. Nequaquam diffidemus curaturos [364]) vos, ut auctor intelligat vestrum iudicium meque misisse munera sua viris eruditis et de disciplinis praeclare merentibus. Quod ad eum attinet, coniunxit cum litteris omnifariis humanitatem atque bonitatem neque sinet vestras litteras inanes aut amicitiam sterilem fore; tibi vero, Spalatine, cum duplicato libello etiam salutem plurimam adscribit, tuas quoque litteras subito Hoffman curavi reddi. — — De munere mihi misso ago gratias, quandoque gratiam referam. Res publicas intelligetis ex principe academico, quibus me commendo. Ex Nurenb. ad tertium idus Julias anno dominico 1513.

Cristofferus Schewrlus.

Nr. 78. 22. Juli 1513.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. 306 (362) fol. 209b.

Ad doctorem Eysenach.

Salutem dicit plurimam. Exordiar a rebus publicis, tandem privatas perstringam. — — Romanus pontifex, Caesar, Anglus [365]), Hispanus, Mediolanensis, Florentinus, Ferrariensis, Mantuanus in Galli et Veneti perniciem novum foedus percusserunt. Pontifex Venetum monuit, quod nisi quam primum cum Caesare conveniant se eum bello, maledictis, execrationibus persecuturum. Venetus praeter urbem Patavium et Tervisum in Italia nihil possidet: reliqua post pugnam nuper editam ad imperium defecerunt. Ingentes copiae Hermanae atque Hispanae prope Vincentiam, urbem ferme [366]) desolatam, considunt et [367]) Patavio atque Tarvisio insidiantur, unde cives suas fortunas Venetias deportant, ubi multa tumultuaria, ut verum putetur vaticinium illud: Non erit annus tertius decimus quod Veneti solam urbem

[363]) Cod. ceteri. — [364]) Cod. curatores. — [365]) Cod. anglius. — [366]) Cod. ferem. — [367]) Cod. vt.

Venetam contenti erunt retinere. Gallus universa Italia foede explosus est praeter arces Mediolanensem et Genuensem. Rex Angliae ad triginta milia armatorum mare traiecit et in Picardia oppidum insigne circumsidet. Maximilianus Franckfordio movit in Germaniam inferiorem eo consilio, ut cum Anglo [368]) coram conveniat. Tota Boemia in armis est: barones cum civitatibus dissident, exspectatur pugna atrox. Nunc aliam epistolae [369]) partem absolvo. Praeclari ingenii tui monumenta ut coniicere potes nostri non gustant: unus Johannes Cocleus cuius litteras tibi mitto epitomen [370]) dialectices se professurum offert ea lege quam intelliges; quod igitur tibi faciundum erit significabis, ego nihilominus curabo ne alii apud me latitent. Praeterea Bilibaldus Pirchameir Plutarchum de his qui tarde a numine corripiuntur Latinum fecit, quem duplicatum tibi do, ut alterum nomine meo retineas qui haec praeclara studia a vera philosophia nunquam sciunxisti, altero ut amicum aliquem vel si placet magistrum illum qui concinna oratione publice me honoravit dones. Vellem tamen autorem ex donatario illo quicunque erit intelligere, quidnam de operis suis sentiat: est enim Bilibaldus homo dignus et haudquaquam inofficiosus. Nostro praesuli, decano, hospiti et compransoribus vellem me commendatum iri, tuis autem orationibus me vehementer commendo. Vale et vive felix, mi amicissime praestantissimeque vir. Ex Nuremberg ad XI calendas Augusti 1513.

Tuus Cristofferus Schewrlus, i. u. doctor.

Nr. 79. 3. August 1513.

An Johann Scheurl.

Cod. 306 (362) fol. 212b.

Ad doctorem Johannem Schewrlum, canonicum Vratislaviensem [371]).

S. p. d. Quod tua praestantia, clarissime vir, Johannem Hessum commendatum habet et pasquillum muneri [372]) mihi misit, ago [373]) gratias; quod autem pristinae libertati restitutus iam ibi vivere et voluptatis gratia studere potes, mirum in modum tibi congratulor, quod omnem fortunam tuam pro nostra necessitudine communem [374]) mihi existimo. Libellus

[368]) Cod. anglio. — [369]) Cod. epistolam. — [370]) Cod. Epithome. — [371]) Cod. Canonico Vratislauiensi. Vgl. über Johann Scheurl v. Soden's Beiträge S. 2. — [372]) Cod. munere. — [373]) Cod. ego. — [374]) Cod. rationem.

quem de sacerdotum praestantia singulari affectu tuo celeberrimo nomini [375]) dicavi, iam tertium apud nos excusus [376]) est: divulgatur passim per Germaniam et nisi fallor plerumque excipitur plausibiliter, quod ego suo magis patrono quam auctori adscribendum duco quippe tu auctoritate polles et gratia. Ego labores manuum mearum manduco, vigilo, studeo, laboro. Ceterum ut cupis accipe res novas Pontifex, Caesar, Anglus, Hispanus, Mediolanensis, Ferrariensis, Mantuanus, Florentinus et cetera Italia foedus sanxerunt. Gallus amissa pugna ad sextum diem Junii universa Italia, si arces Mediolanensem et Januensem demas, explosus est: ceciderant quippe in illa pugna confoederatorum virtute, ut reliquos taceam, ad quatuor milia Germanorum. Imperator quidquid ad [377]) imperium pertinet sua sponte recepit. Veneti praeter Patavium et Tarvisium nil obtinent in Italia et quod constat quam nosti prope Venetias ipsa Lucifusina [378]) solo aequata est. Veneti consternati sunt nec habent quo confugiant. Hodie allatae sunt litterae Germanum et Hispanum copiosissimis exercitibus [379]) obsedisse Paduam et tormentis bellicis muros esse concussos et quod imperator nobilem urbem militi [380]) concessit in praedam diripiendam atque solo aequandam. Reliqui potentatus [381]), pontifex, Ferrariensis, Mantuanus, praesto sunt atque Venetum commeatu prohibent. Ipsi cardinales Sanctae Crucis et Severinas qui nuper dignitate privati erant per pontificem et patres ordini restituti sunt atquo benedicti renitentibus octo tantum cardinalibus. Haec in Italia. Ipse rex Angliae quadraginta milibus armatorum transfretavit mare pervenitque in Picardiam, ubi iamdudum obsedit potentem civitatem (Toruonam vocant) quam etiam nostra opinione iam cepit. Imperator eo concessit, ut coram conveniat Anglum [382]) qui praedicatur rebus bellicis supra quam dici potest instructus esse [383]) et multa milia aureorum attulisse, de quibus iam exposuit nonaginta milia chronorum, quatinus ea pecunia Caesar viginti milia Suicerorum quos ego confoederatos soleo dicere in Burgundiam conducat: sicque confoederati se militiae iam accingunt, tumultuantur tamen domi nonnihil, praesertim agrestis, capite punierunt nonnullos magnates quibus secreto accepta magna vi auri cum Gallo conveniebat. In hunc modum undique petuntur Veneti atque Gallus, ut verendum sit ne eorum res peri-

---

[375]) Cod. nomine. — [376]) Cod. excussus. — [377]) Cod. ob. — [378]) lucifuscina. — [379]) Cod. exercentib. — [380]) Cod. Incliti. — [381]) Cod. potentus. — [382]) Cod. Anglium. — [383]) Instructissimis.

clitentur profundissime [384]). Quidquid futurum erit perscribam ad te diligenter: te enim ut caput, decus et ornamentum nostrae familiae observo, colo, amo et ut par est veneror. Interea vale, dignissime domine aguate, et communi amico domino Bartholomaeo Tempelfelt nomine meo salutem die et harum litterarum copiam facito. — — Uterque quoque parens te, Albertum cum uxore et Ihcronimum Flocken cum sororc patruele una mecum cupiunt valere plurimum. Ex Nurenborgho ad tertium nonas Sextilis anno dominico 1513.

Tuus Cristofferus Scheurlus, iuris utriusque doctor.

Nr. 80. 12. Auguſt 1513.

An Lic. Zurzach, Mag. Johann Heß, Mag. Melchior und andere Lehrer der Freiburger Univerſität.

Cod. 306 (362) fol. 79a.

Egregiis et undecunque doctiss. philosophis d. licentiato Zurzach supromo, Johanni Hes et Melchiori magistris, conventoribus et iu commune omnibus sectatoribus familiae modernorum realis studii Friburgensis Brisguadiae, dominis, praeceptoribus et amicis honorandis iucundissimisque.

Obsequia parata. Subit forte paternitates vestras admiratio, viri doctissimi praestantissimique, quod ego ad vos scribam, quem nec facie nec nomine quidem novistis: sed ut hoc facerem, movit me devotio illa qua ab ineunte aetate omnis doctos et bonos qualem Jodocum Truttfotterum modernorum principem novi et praestantias vestras esse audio [385]) colui, suspexi, adoravi. Tabellarius vester Johannes Curcius apud nos divertens et fortuito certior factus mihi uni esse lucubrationes illas Eysenachias, quarum causa missus esset Erfhordiam [386]), me rogavit ut vobis earum copiam facerem, propterea quod vos qui sectam illam modernam amplectimini, fovetis, nutritis, stipendia instituitis, auctorem ipsum ut par est instar magni numinis cum veneratione adoretis et quidquid ex officina eius prodiit hoc sacrosanctum habeatis. Unde gavisus sum et plurimum sane laetatus exhilaratusque, huius theologi tempestate nostra longe eruditissimi integerrimique famam ad vos penetrasse: ita enim confido studiosae iuventuti vestrae bellissime consultum iri, quae ammodo dialecticam non per ambages, non per circumitiones, non per nodosas quaestiones sicut vobis contigit, sed praeceptore

[384]) Cod. perfundissime. — [385]) Cod. audeo. — [386]) Cod. Epthordiam.

Eysenachio qui unus posteritati consulens pro multis laboravit, vigilavit, sudavit succincte, compendiose et absque labore addisceet, unde nobis congratulandum esse tempori et gratias puto agendas deo cuius beneficio in hunc unum congesta sunt quae hucusque attingere nemo potuit. Quid dicam de hominis integritate? profecto videretis virum bonum, virum continentem, virum plane sanctum. Anno abhinc tertio professi sumus etsi dispari gradu in academia Wittenburgia: ipse ecclesiae omnium sanctorum primus archidiaconus viam modernam instituens sine intermissione legebat, studebat, docebat, praedicabat, orabat, omnia supra quam aetas ferre posse videbatur, utpote nondum quadraginta annos natus. Praeclare cum Vittenburgensibus actum foret, si sacrosanctas vigilias gustassent Fuimus coepulones quippe et mensa amicitiarum parens censetur, et illius sanctiss. lateri haerere dulce semper solamen et litterarum eruditio et institutio morum fuit, intercessitque inter nos amor plane ingenuus et amicitia peculiaris et in hodiernum diem inter praecipuos amicos principem sibi locum vendicat noster Eysenachius qui nec unquam visus est me aspernari prorsus, quando cum eloquentia summam coniunxit humanitatem. Testes quottidianae litterae. Iterum igitur laetor et puto hunc diem niveo mihi signandum lapillo quo de dignitate vestra et meo patrono amicissimo suavissimoque data est ut spero bene merendi occasio. Quapropter ut maiori argumento dialecticum, oratorem et theologum opt. max. observetis meque illius gratia in familiaritatem vestram recipiatis, mitto vobis muneri tria illius volumina, veteris scilicet artis expositionem, summulam totius logices [387]) quod ipse opus maius nominat, necnon epitomen [388]) seu breviarium dialecticcs, missurus subito et quartum librum quem scribit propediem ex officina illa luculenta depromendum: quae omnia ut grato animo [389]) suscipiatis vos oratos [390]) velim. — — — Valeant dominationes vestrae. Nurembergae pridie idus Sextiles anno a natali Christiano tertio decimo supra sesquimillesimum.

Et quamquam turpissimum sit in furto deprehendi, ingenuum vero fateri per quos profeceris, audio tamen quendam magistrum Johannem Gebwiler apud Basileam Parvulum philosophiae corrupisse et suppresso Eysenacensis nomine sibi falso adscripsisse: igitur et quemadmodum se ea res habeat, quatinus

---

[387]) Cod. logicen. — [388]) Cod. epithome — [389]) Im Cod. ſteht hier noch quod. — [390]) Cod. oratum

honorem et vigilias nostras vendicare liceat, rogo me certiorem faciatis.

Cristofferus Schewrlus, i. u. doctor, patriae advocatus.

Nr. 81. 25. Auguſt 1513.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. K. fol. 126 (163)a.

Epistola doct. Scheurls ad d. Jodocum Isnacum Trutfetter.

Salutem cum reverentia debita. Ante paucis diebus ad nos venit, clarissime vir et patrone observande, Johannes Curcius librarius et certior factus me tuum esse familiarem, habere etiam tua monumenta, siguificavit nomen tuum apud multa gymnasia, Friburgense scilicet, Basilcense, Haidelbergense, Ingolstadense et Tubingense famigeratum esse, celebre atque illustre, tua etiam opera haberi in pretio cum mira veneratione quorum causa a Friburgo missus esset Erphordiam, quare me rogaret, obsecraretque illorum sibi copiam facerem. Quo nuntio accepto pro mutua nostra benivolentia sum tibi quem semper amavi congratulatus plurimum. Unde arrepto calamo putavi mei esse officii subito scribendum fore modernis Friburgensibus, dedique litteras quarum [391]) exemplum tibi mitto: malis [392]) tuis devotis lucubrationes sanctas dare muneri quam duobus aureis divendere quos ille afferebat. Gestiunt viri boni et desideranter anhelant quidquid ex tua sanctissima officina manavit, metaphysicam et physicam expetunt. Ego praeter veteris artis expositionem et summulam totius logices [393]), tua opera maiora scilicet, epitomen dialectices [394]), commentarios in novam logicam conducibiles nihil transmittere potui. Ad nonas Martii scripsisti ad me dedisse duobus nunciis tractatulos quatuor ad licentiatum Behaim; similiter et in litteris tuis die Mercurii post Ambrosii polliceris quartum librum quam primum absolutus fuerit ad me transmissurum: sed quod illi inditum sit nomen comprehendere nequeo. Hoc video externas gentes lucubrationes tuas habere sanctas, Basilienses etiam instituisse quid Eysenachium ad se penetraverit formis excusūros [395]), quosdam etiam subtracto nomine tuo publice furti accusari decernere. Igitur apud te quid me facere velis: ego enim vellem amantissimi praeceptoris mei gloriam vendicare atque labores. Praeterea sitne tibi conduci-

[391]) Cod. quorum. — [392]) Cod. maluis. — [393]) Cod. logicen. — [394]) Cod. epithome dialecticen. — [395]) Cod. excussuros.

bilius libellos tuos tam editos quam edendos Basiliae, ubi papyrus in vili pretio, habere et alienis quam tuis apud nos sumptibus in publicum vulgari, maximum ea lege ut tibi pro nntu exemplaria communicentur? Interea autem si ita placet dabis ad me singulorum librorum aliqua circiter 25 exemplaria, quae vellet librarius exsoluto competenti pretio quod designaveris a nundinis Franckfordensibus rediens ferre secum Friburgum. De quibus omnibns perscribes ad me: ego mihi nihil eorum qnae ad honorem vel commodnm tuum pertinere arbitratns fuero omittam, sed tuarum rerum volo esse diligens curator. Scio autem et nostrum Ambstorphium communem amicum eiusdem in te animi esse et honoris tui cupidissimum. Unde vellem bonarum litterarum nostrarum sibi copiam fieri necnon eorum quae ad Minoritanum habui, non eo consilio ut digna sint [396]) nostra lectione sed ut examinetis qnae sunt mea studia, quae agitationes: dabitisque veniam quod forenses contentiones non sinunt litteris studere secularibus, quas tamen ab incunabulis prorsus non abhorrui. Mitto etiam tibi tractatum de confraternitate decem Ave Maria. Venio autem ad publica, sed ea lege venio ut res etiam publicae veniant ad nostrum quem dixi rectorem Wittenb. de me bene meritum. Habita sunt ante mensem comitia in synodo Lateranensi: citati iterum Galli rationem reddituri de lege sua pragmatica cum aboleri non debeat; deputati qui officiales curiae reformarent [397]); designati oratores ad principes Christianos pro pace coeunda et indicendo bello Turco qui fratrem et ex eo nepotes duos, quod certo constat, gladio traiecit sanguini inhians humano sitientissime; indicta etiam sessio ad medium Novembris, interea animi causa data secedendi potestas. Sunt qui putent concilium brevi dissolutum iri. Maximilianus etiam novissime cum mille equis prope Sanctum Thomam in colloquium venit cum rege Angliae: erat is comitatus duobus milibus et quingentis equitibus quam instructissimis, quin civitatem Picardiae Taruonam numerosissimo exercitu in deditionem compulit. Moverunt etiam ad viginti quatuor milia ex confoederatis Bisancium invasuri, deinde vel Lugdunum vel Burgundiam, et nostrum quoque foedus Snevicum novem milia peditum et fere mille ducentos equites decrevit ad diripienda Franconum receptacula latronum. Caesar tamen et principes segniter agunt, quare male cum civitatibus agitur. Hispani et Germani ad triginta milia Patavium obsident et aggeres faci-

[396]) Cod. sit. — [397]) Cod. reformare.

unt, ut desuper urbem tormentis possint [399]) conquatere: sunt qui putent brevi fore diripiendam. Quae autem tranquille apud nos agantur [399]) ipsi scitis; arbitror etiam te non latere restitutos esse pristinae dignitati cardinales Sanctae Crucis — et Sancti Severini — — —. Doctor Wolffgangus vendidit domum suam aureis quadringentis et aedes decaniae deputatas conduxit. ---- Valeat praestantia tua et d. praesuli, decano, compransoribus me commenda: tu etiam in omnibus tuis digneris me habere commendatissimum. Nurenbergae ad octavum kalendas Septembres anno dominico 1513.

Si absque librariorum incommodo fieri posset, vellem libellum meum apud vos pro honore clericorum tradi formis excudendum, qui apud nos amplius quam in mille exemplaria divulgatus distractus est.

Tuus Cristofferus Schewrlus, i. u. d., patriae advocatus.

Nr. 82. 13. September 1513.

An einen Ungenannten.

Cod. K. fol. 129 (166)a. Adreſſat iſt wahrſcheinlich Amerdorff.

Amorem et fidem fraternam. Ex ternis tuis litteris pridie redditis tuam in me benivolentiam iterum accepi, dignissime vir, iterumque ago gratias quod non sinis te in amore vinci: nam et ego is futurus sum quem desideras. Hodiernum diem agit apud nos communis amicus Udalricus de Dinsthet petiturus limina Divi Wolffgangi, tandem ad vos concessurus: is te optat salvum et incolumem quo gubernante bene cum academicis vestris agitur, qui dignus a nobis iudicaris imperii Romani habenis. Quae autem coadiutor tuus gloriosus Maximilianus his dicbus egerit, accipies ex praesenti scheda, quamquam fama maiora damna referat, quippe eam cladem secuta deditio urbis Tervianae quam ferunt dirui et solo aequari et iam aliam urbem obsessam. Abundat Anglicus pecuniis numerosissimis; ex alia parte laborant confoederati, de quibus tamen nondum accepimus quidquam nisi quod Lugdunenses fuga sibi consulunt: exspectamus autem indies quid magnum quod ad te diligenter perscribam referamque. Audio Scotos et ipsos magnam stragem ab Anglicis accepisse, dum illorum terram improviso obruere vellent. Gurcensis Romam iterum venit daturus pacem Veneto; petit hoc ipsum Gallus, sed confido nondum flagellatum satis. Rex Portugalae inauditam victoriam de Machumete reportavit,

[399]) Cod. possit. — [399]) Cod. agatur.

unde dabuntur ad te commentarii qui nunc formis excuduntur; pontifex ea re audita decrevit supplicationem deo solennem [400]), monstrare sudarium sanctum et id genus. Si de statu nostrae civitatis quaeritas, sumus reconciliati domui Brandenburg. et potissimum Casimiro qui bene de nobis sentit et egregie mereri cupit. De expeditione Franconia tractatur hodie apud Ulmenses: nisi ipsi Francones praedam per iniuriam ablatam cum expensis bellici apparatus resarcierint, certum est latrones sub initium Octobris bello petitum et receptacula dirutum iri. Ceterum maiori clade affecta est haec civitas obitu optimi viri Anthonii Kressen, d. praepositi Sancti Laurencii. Decessit is natu paulo maior me relicto maximo sui desiderio, ingemiscente populo, quippe qui cum religione summam probitatem coniunxerit, addo etiam iustitiam, integritatem, vitae sanctimoniam. Publice persuasum erat me unum in decedentis locum suffectum iri, sed ego [401]) eam dignitatem minime ambivi nec ex patribus cuiquam verbum feceram: itaque applaudente populo nominatus est Georgius Behem, theologiae licentiatus, canonicus B. Virginis ad gradus Mogunt., quem ego nostro Eysenachio conferre soleo. Reliqua habes. Quam [402]) inter hos duos absentis iamdudum amicitiam concitaveram, illo adveniente et tibi quoque gratam, tu si prior inire vis, iam argumentum habes, homini scilicet congratulandi persuadendique ne dei vocationem abnuat reiiciatque. Venio ad nostrum Ottonem, sed heus nondum visus est; sunt igitur parentes una mecum mirum in modum anxii sollicitique de homine [403]): quodcunque adversi accideret, tu si nos amas libera nos quamprimum a cura, perscribe quid audias de Ottone, ubinam vivat [404]), reverteritne [405]) ad vos vel quid agat homo cui nihil praeter voluptatem contingere deberet. Te quoque parens uterque una mecum salvere cupit. Ex Nurmbergo decimo tertio Septembris 1513. De Wellersbergk quid sentias edicito. Tuus d. Schewrlius.

Nr. 83. 29. März 1514.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. K. fol. 141 (178)a.

Ad doctorem Eysenach.

— — — Non dubito audisse te Mellerstadium efflasse animam. Mors est consentanea vitae; sunt tamen audita dei oc-

[400]) Cod. solennes. — [401]) Cod. eo. — [402]) Cod. qui. — [403]) Cod. homini. — [404]) Cod. uitum. — [405]) Cod. reuerteret ne.

culta: homo magis medicus quam theologus, regnandi autem cupidus, quumque regnare non didicisset, prout quisque [406]) imperium ad se trahebat ita eum sequebatur, non semper earundem partium nec idem sedens quod stans sentiens, super omnia tamen rem litterariam quantum intelligebat dilexit, auxit, promovit. Deus ei bene faciat! Doctor Conradus Kunig apud nos honorifice exceptus revertit Vittenbergam eo animo ut scholasticatum respuat. Mitto [407]) duos libellos quos nomine meo benigne accipies, maiora missurus si qua in re tibi possem gratificari; nisi etiam crederem ad vos delatum esse quid de immortalitate animae statuisset synodus Lateraua quantove tempore philosophiae incumbendum esset, scriberem tibi ad longum. Ipse pontifex quod adhuc vos praeterit undecimo Martii Caesari et Venetis pacem pronunciavit. Caesar in Austria agit conventurus cum Hungaro causa sponsaliorum, et ipse rex Daniae [408]) illius nep tem in matrimonium petit: cius gratia in honoratissimam legationem missus condiscipulus meus antistes Slesvicensis. Salutem quam mihi adscripserunt Ascalonitanus [409]), noster Severinianus, item et scholasticus cum lectissimis coepulonibus reverenter lubenterque accepi; velis illis agere gratias meque diligenter commendare atque hoc sacro tempore deum pro me orare, quod ego quamquam disparibus meritis rursus facere paratus sum. Valeat reverentia tua, mi dilectissime praeceptor. Ex Nurnbergo ad quartum calendas Aprilis anno a virginis partu 1514.

Doctor Scheurll.

Nr. 84. 1. Auguſt 1514.

An Spalatin.

Cod. K. fol. 146. (183)a.

Ad Spalatinum.

Salve, mi amabilissime Spalatine. Litterae tuae consignatae sunt Pirchameris. Familiae decus Wilibaldus ad te scribit: scripsisset et soror, mulierum doctissima, quam hoc die ob id ipsum interpellavi, ni obstitissent negotia synodalia, scribet autem quam primum. Cum supellectile Volphii, filii praefecti, ad te misi epistolas Reuchlinas: causa in promptu est ut meum intelligeres animum et quia una a te scripta circumferebatur. — — — Cupit te valere quam supra dixi abbas Claritana; collegam paeda-

[406]) Cod. quisquam. — [407]) Cod. mitte. — [408]) Cod. dacie. — [409]) Cod. ascolanitanus.

gogum ducalem Hirsfeldum praefectumque nomine meo salvos dicito. Nurenbergae calendis Sextilis anno 1514.

Christofferus Scheurlus iuris utriusque doctor.

Nr. 85. 12. September 1514.

An Otto Beckmann.

Cod. K. fol. 150 (187)a.

Ad magistrum Ottonem Beckman.

Si, ut opto, Otto humanissime, vales et salvus ad te venit canonicus Veltkirchius, facile intelligere potuisti hoc ipsum de tua taciturnitate me conquestum esse quod tu: danda utrimque venia. Quod si alii a nobis receperunt litteras et tibi transeunter tantum salus nunciata, forte ipsi ad me scripserunt [410]) priores et tu siluisti, et illorum litteris respondendum fuit et tuum silentium silentio compensandum, non quod illi in amore tibi anteponerentur. Cupis longam epistolam quae te huius temporis historiam faciat non multum desiderare: sum paratus obsequi cui nihil unquam negavi. Nosti superiori anno convenisse Caesarem et Anglum. Debebat Caesar acceptis centenis milibus aureum primo vere reverti in castra debellaturus Gallum; sed quum propinquus meus Udalricus Pfinzing aurum frustra exspectaret et Caesar aliis distineretur [411]), secuta inter summos principes nuper coniunctissimos tanta dedignatio, ut Anglus cum Gallo quibus aliquae innata sunt odia perpetuum foedus percusserit, restitutis sua sponte Terruana et Tornaco, urbibus facile munitissimis potentissimisque paulo ante virtute Maximilianea et ingente auro expugnatis, quando Anglus sororem suam antea Carolo Burgundo cui Italici astrologi orbis monarchiam ominantur desponsatam uxorem Gallo dedit. In hunc modum non semel sed iterum fraudatus est noster Carolus a Galliarum rege sponsa utraque regina, hac Angliae illa Galliae. Haec animorum alienatio non parvam Maximilianeis incussit consternationem, Veneto vero argumentum fuit iterum a conditionibus pacis resiliendi quae iam prope firmatae erant; forte tamen Caesar pontifici et Hispano arctius se coniunget. In hunc modum bellum Anglicum quod tanto apparatu instruebatur finitum est; nescio si confoederati unquam peius egerunt. Si in fide permansissent, iam actum videbatur de Gallia: trepidabat Lugdunum, mercatores suis mercibus fuga consulebant; miserat Caesar equitatum electum, mise-

[410]) Cod. scripsisse. — [411]) Cod. destineretur.

rat tormenta, aderat pecunia, nihil desiderabatur praeter militis integritatem, sed duces accepta clam magna vi auri, promissis etiam quadringentis milibus, in alieno stipendio sua auctoritate retrocesserunt [412]) reservato sibi arbitrio decernendi cuinam Burgundia cederet. Tantis se periculis Galliarum rex per astutiam ac calliditatem exemit, quando in promissam pecuniam iam expositam qua duces corrupit imputare contendit, unde relictis obsidibus eam [413]) nondum exsolvit, sed agrestibus egregie illudit quorum tamen perfidiae poenam capite plerique dedere. Ipsi confoederati pontifici se addixere quinquennium acceptis[414]) in singulos annos quadraginta milibus ea lege ut auxilio mittant non minus decem milibus: petit et Caesar ab his decem milia contra Venetum, sed ipsi causantur pontificem. Convolaverant ad Gallum Caesaris nutu ex Germano pedite ad viginti [415]) duo vel tria milia quorum dimidiam partem stipendio liberaliter exsoluto dimisit: hi partim [416]) in Frisiam contendunt, partim ad pontificem traiiciunt. Nescio quid hic contra Parthenopeum regnum moliatur; nescio si confoederati in Galli sententiam iterum allieiantur, quid de Insubribus et nobis futurum sit: hoc unum video, Gallum omnium esse callidissimum sollertissimumque. Gulielmus et Ludovicus fratres Bavari civili bello inter se dissident: ad hunc diem Caesar una cum sorore in Inspruck causam discernit. Maior natu innititur testamento paterno per avunculum roborato; quod si uni hereditatem paternam defert quando et Purckhausen occupat, scribit milites asserens se deceptum atque coactum cum fratre provincialibus transegisse: econtra mater et subditi omnes cum Ludovico sentiunt utpote adulescente ingenuo [417]), gnavo et probo. Wurtenberg [418]) tumultus [419]) suos domesticos hoc tempore fere sedavit plerisque capite truncatis. Exorsus sum eius rei commentarios perscribere, si finiero dabo vobis legundos. Grato animo accepi quod ad me scripsisti de rebus nostris: res utpote ardua agitur summo silentio; homo iam diu senatu turbatus et muneribus destitutus, unde maiorem dominum sequitur qui et nobis diem dixit; nihil verendum. Quantum valitura sit nostra auctoritas, incertum habeo, forte perscribam aliquando; credo autem parum. Nostrae patriae pater dedit mihi litteras ad quendam ex vestris mittendas, cura intelligam illi esse redditas. Mitto ad te stringas petitas, et quia te offers more sacerdotum orationibus relaturum, gratissimum mihi

[412]) Cod. retrocessit. — [413]) Cod. eum. — [414]) Cod. acceptos. — [415]) Cod. viginta. — [416]) Cod. partem. — [417]) Ingenio. — [418]) Cod. Wartenberg. — [419]) tumultos.

feceris si in honorem tutelaris mei dei et singularissimi patroni Divi Christofferi apud omnes sanctos tris missas celebrari curaveris. Supellex tua sacerdotalis paratur. D. Marsilius iussit te singulariter et diligenter una cum filiolo .....[420]) resalutarier, iussit hoc ipsum uterque parens; valeant quoque praepositus et decanus, audisti forte quid de meis litteris sentiant. Praefectus misit ad me expugnationem Cammensem de qui ages ei gratias etsi longe ante habuerim. Iterum vale, mi suavissime Otto, et deum pro me ora. D. Iheronimo[421]), Ambstorff, Feltkirchio[422]) salutem ex me dicito. Nurnbergae pridie idus Septembris anno a reconciliata gratia 1514.

Doctor Christofferus Schewrlus, iuris utriusque doctor.

Nr. 86. 1. October 1514.

An Otto Beckmann.

Cod. K. fol. 152 (189) b.

Ad magistrum Otthonem.

S. Quatinus statum imperii intelligeres, putavi, mi Otto, recte me facturum si paulo altius[423]) exordirer. Dissensiones Anglorum cum Gallis a Normandis derivantur quos Angli ad se spectare dictitant. Unde in more habent, ut unctus[424]) rex mox iuret Gallos se bello petiturum atque hostem intermoriturum. Sunt autem Normandi origine Dani[425]) quibus Carolus III. Galliae partem ultra Sequanam[426]) fluvium attribuit quae a gentis incolatu Normaniae est postea nomen adepta: eorum metropolis Rotomagum quos Ptolomacus parva litterarum mutatione forte Romanduos vocat. Haec causa quare superiori anno Henricus Caesarianis[427]) auxiliis stipatus tacito apparatu tanquam hostiliter in Gallos movebat. Beatam Germaniam! Si coniurati in fide perstitissent, iam Burgundia in nostram potestatem redigebatur non secus ac Terruana[428]) solo aequata et Tornacum fortissima civitas[429]) virtute Caesarea expugnata fuerat[430]). Sunt Tornacenses nunc ubi olim Nervii, Belgarum potentissimi, qui Julium in id discriminis adduxerant ut detracto uni militum scuto primus in acie inter pedites labentes suorum animos confirmaverit. Sed Ludovicus ad avitas artes et dolos conversus, audi quemad-

---

[420]) Im Cod. ſteht hier Inquam. — [421]) Cod. Iheronimum. — [422]) Cod. Feltkirchium. — [423]) Cod. alius. — [424]) Cod. victus. — [425]) Cod. daci. — [426]) Cod. Sequanum. — [427]) Cod. Cesareanijs. — [428]) Cod. Tertuana. — [429]) Cod. fortiss. ciuitates. — [430]) Cod. fuerant.

modum hostium consilia annihilaverit. Ante omnia in arena consilium capit, haud ignarus coniuratum animae prodigum, numi cupidum, pecunia omnia venalia [431]): duces ingenti largitione, militem pollicitis quadringentis milibus aureum corrumpit et quod pulchrius est eo titulo provincialibus pecunia indicta quamquam his nondum reddita Deinde quantum coniectura assequi licet, Caesari persuadet ulturum se agrestium perfidiam, tanquam rebelles ad obsequia reducturus sit; eo consilio ad viginti milia Germanorum peditum in Galliam convolare permissa, hoc modo Ludovicus Anglum et confoederatum domi detinet. Huius rei Suizari Caesarem nostrum insimularunt audieruntque oratores respondentis Ceterum si vera sunt quae ex Franckfordiano mercatu cives adferunt, non contentus his fraudibus Ludovicus ad Anglum litteras mittit ficticias, adulterinas, quas Maximilianeum [432]) chirographum nominant; mentitur Caesarem pollicitare traditurum se Gallo Anglum [433]). — — — Conquestus est paulo ante Caesar in coenaculo non modo defectionem socii regis sed quod ab eo fidifragus appelletur a qui nuper parens consalutabatur. Utcunque sit, hoc constat Anglum societatis, officii, amicitiae, foederis Germanorum oblitum, iusiurandi, regni, subditorum oblitum, Gallicae perfidiae, non soluti tributi, ademptae provinciae et denique sui ipsius et omnium maiorum immemorem pepigisse cum Gallo foedus perpetuum ea lege, ut sibi cedat Harflora [434]), portus et clavis Normandiae maximae quidem aestimationis, econtra ipse non modo restituat quas dixi Teruanam solo aequatam et Tornacum, sed etiam sororem Carolo Burgundo desponsatam Ludovico Gallo uxorem tradat; et ne quid periculi mora adferat, constitutus dies regio thalamo calendae Octobris quibus haec ad te scribebam, quippe Galli Remigium insigniter celebrant: locus mons Plesensis. Haec sunt consilia regis pueri. Inter haec incommoda unum solatur, quod ferunt quatuor proceres monuisse regem iurisiurandi, religionis, salutis patriae, machinationum Gallicarum eosque in custodiam tractos et a populo exemptos, parum etiam abfuisse quin rex esse periclitaretur nisi hi obstitissent. Addunt etiam reginam sequi connubia Burgundia aspernari Gallica. Quod si ita se habet, nihil profecto consultius, nihil deliberatius: quae enim comparatio adulescentuli ad senem! hic morbosus, Gallicus, phthisicus [435]), semivir, uxore in monasterium detrusa Annam, Caroli viduam,

---

[431]) venale. — [432]) Cod. maximilianum. — [433]) Cod. gallum anglo. — [434]) Cod. Hanflora. — [435]) Cod. Tisicis.

Britanniae heredem, adeepit; econtra ille Caesareus, imperatorius, multorum regnorum heres, robustus, floridus, nihil unquam praeter leges gessit, eui astra monarehiam orbis pollicentur et mundi dominium[436]). Quidquid horum fit, faciam te eertiorem. Posterius mendax Syeamber Grubam oeeupavit, elavem Brabaneiae: debebat Caesar eo advolare, sed eommotus sororis preeibus ex ea nepotes audit in Inspruck. Forte Georgius Saxo aliquid opis adferet: audio coniunetos sociatosque[437]) illi esse Traieetenses qui cum paueis antiquum nomen retinent, quamquam Otto Frisingensis ipsos inter Frisones eonnumeret; feruntur olim quadraginta milia peditum edixisse, sed non arbitror hodie tam potentis. Vale, mi Otto. Nurnbergae kalendis Octobris 1514.

Tuus Christofferus Schewrllus doetor.

Nr. 87. 19. October 1514.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. K. fol. 155 (192)a.

Ad doctorem Eysenaeh.

Salvus sis, mi praestantissime vir. Johanni Veltkirehio, eanonico Vittenbergensi, dedi ad te litteras de restituenda peeunia, sed audio mutato eonsilio eum iter deflexisse et forte litteras non esse redditas: mittam igitur peeuniam quam primum. Noster praepositus tuae probitatis et eruditionis saepe meminit, nihil magis optat quam de te bene mereri teque facie agnoscere, nee dubitat quin ex amico fieres amicissimus. Deus aliquando congrediendi offerat occasionem! Exspeetamus opera tua. Non dubito te responsurum et litteris et amieitia; commendabis autem me homini aliquando mihi amieo iucundissimo qui ita te repraesentat, ut tui desiderium feram facilius, maxime cum sciam te apud tuos in dignitate et bene esse. Mitto tibi eertas conclusiones quamquam non meas, quae tamen interventu Eystatensis praesulis utpote cancellarii Ingolstadii disputatae non sunt[438]). Quo autem in statu sit res Reuehlina et quid Parisienses sentiant, audies ex libello eampanali[439]). Dono te praeterea chronicis Venetis: meo iudicio nunquam Galli videre, poterunt tamen tuis coepulonibus inter eoenandum legi quippe quae veritate nequaquam abhorrent, testes monumenta doetissimorum. Commissa his

---

[436]) Cod. dominum. — [437]) Cod. societasque. — [438]) S. Wiedemann, Dr. Johann Eck S. 54. — [439]) S. Mayerhoff, Johann Reuchlin S. 172.

diebus [440]) inter Polonum et Mosquitas proelia duo: verissime scribitur Mosquitas priore triginta quinque, altero decem milia hominum amisisse. Trucidati etiam ex Venetis stipendiariis mille ante Cremam. Meus cognatus doctor Sixtus Tucherus scripsit aliquando ad Appoloniam Tucheram materteram meam deo dicatam, quomodo homo teneretur facere id quod conscientia dictaret, quomodo etiam facile in seipsum rediret si quando cogi, tatus suggestione maligni evagarentur. Tale quid scribit meo hortatu praepositus noster: ego eas epistolas traduco eo consilio ut edam ad religiosarum consolationem, tacito tamen auctore si fieri potest [441]). Rogo ut et tu quoque aliquid simile perscribas, puta de amando deo, de quiete animae, futuro gaudio, miseria humana, unde anima devota consolari posset: ita enim libellus ipse fieret praestantior nobiliorque; ut dixi nomina supprimentur. Vale, mi doctissime vir, meque ut facis ama. Ex Nurenb. altera Lucae anno domini 1514. Cupio me commendari nostro praesuli, decano et in commune omnibus compransoribus. Iterum vale optime.

Nr. 88. 11. November 1514.

An Johann Volz.

Cod. K. fol. 155 (192)b.

Ad magistrum Johannem Feltkirchen.

Salutem. — — — — — Recte fecisti et consilium tuum laudo, quod beneficio te domestico abdicasti et academicum retines, ubi dei cultus pro gemmis et bonae litterae pro auro habentur, ubi virtus in pretio est atque laudatur: offeret [442]) tibi deus conditionem pro dignitate tua et amplitudine honoratissimam. Interea tuo opus est consilio. Johannes Eckius, theologus iuvenis sed ut quandoque fit promptus et intimidus, apud suos hasce conclusiones disputandas proposuit. Quare Aistetensis[443]) praesul utpote ordinarius et cancellarius concertationem distulit, cuius nomine rogatus sum conferre cum peritis quid in hac re faciendum sibi sit. Unde ad te confugio, tuum ac communium amicorum iudicium postulo, rogoque pro nostra benivolentia et gymnasii gloria ad me perscribere digneris et si fieri potest

---

[440]) Cod. duobus. — [441]) Im folgenden Jahre erſchien die Ueberſetzung unter dem Titel: Vierzig Sendbriefe aus dem Latein ins Deutſch gezogen, durch etlich gelehrt, gottesfürchtig und geiſtlich Perſonen zu einander geſchrieben und mit viel heilſamen chriſtlichen Lehren vermengt, den Leſenden zu ſonder Frucht und Reizung brünſtiger Andacht dienlich. Nürnberg. 4. Vgl. v. Soden's Beiträge. S. 37. — [442]) Cod. offerit. — [443]) Cod. aistensis.

publice, quid sentias, quid noster Jeronimus [444]), quid Ambstorff, quid rector Staffelstanius [445]), Sebastianus, quid ceteri sentiant, qui nostri causa aliquid scribere non [446]) recusant quique bonum publicum amant, scandala abhorrent, temeritatem improbant. Nam ut verum [447]) habeas, huiusce concertatio impulsu et pollicitationibus mercatorum instituta est. Disputantis fundamenta et argumentorum dissolutionem [448]) transmittimus nostro Eisenachio qui [449]) viro digni non eramus Vittenbergae. Non graveris mihi respondere, referam gratias. Interea ad te mitto quae apud Wittenbergenses [450]) nuper gesta sunt; exorsam historiam impediunt quottidiana negotia. Vale et si te non ut debui excepi veniam dato; d. decanum, municipem Bartholomaeum, amicos omnis saluta. Nurnbergae in festo Divi Martini 1514.

Tuus Christofferus Scheurllus.

Nr. 89. 15. November 1514.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. K. fol. 156 (193)b.

Ad doctorem Eysenach.

S. d. Quo die proximas ad te scripsi, eo die eram abiturus, sed eo libentius quod prius videbar tecum fuisse et vidisse te. Reversus offendi tuas, sed servum [451]) aut qui redderet non offendi: quare nec pecuniam traderc potui quam tamen in praesenti nostro Seuboltero tibi restituendam consignavi. Tarditatem excusare digneris, quam in aliquo alio recompensabo. Eystatiae[452]) apud doctos et aulicos de concertatione Eckiana creber sermo erat, quam praesul in aliud tempus distulerat, quamquam academicis reclamantibus tanquam et de fide disputare liceret. Respondi me abeuntem disputationis thema doctori Eysenach theologo misisse, de qui et nonnulla praedicavi. Unde rogatus sum tuam paternitatem consulere quae in hac re episcopi partes essent, liceretne dare vela ventis an potius huiusce disceptationes publico arcere exemplo Pauli, qui etsi fidem publice praedicaverat de ea tamen clam cum apostolis conferebat. Quod ego me facturum eo lubentius recepi, quod novi te pro bono publico, pro fidelium salute, pro exstirpandis erroribus et scan-

---

[444]) Cod. geronimus. — [445]) S. Album acad. Viteberg. ed. Foerstemann p. 53 und Liber Decanorum von demf. p. 11. — [446]) non fehlt im Cod. — [447]) Cod. me. — [448]) Cod. dissolutans. — [449]) So Cod., quo? — [450]) So Cod., Wirtenbergenses? — [451]) Cod. Sororum. — [452]) Cod. Eystauiae.

dalis obviandis vel a puero nullum unquam subterfugisse laborem; putavi etiam te movere debere quod iste Eckius, iuvenis et intimidus theologus et iuris indagator, nullo bono zelo sed a mercatoribus Augustanis corruptus pollicitationibus et pecunia accepta hanc provinciam sibi desumpsit, qui hodie gloriantur ot contractus[453]) suos licitos defendunt. Unde rogo te pro veteri nostra amicitia, rescribe quid sentias cum amicis communibus, et ut maiorem habeas occasionem mittimus tibi fundamenta et responsiones Eckianas quibus ille argumenta dissolvere confidit. Noster praepositus te salutat et litteris suis opus tuum perfectum[454]) non cupit modo sed efflagitat, praedicat etiam de te qualia de viro crudito et bono. Speramus nunc te quieturum, ut ita litterariae reipublicae consulatur. Vellem scire si novissimae vigiliae tuae ad Friburgenses pervenissent; sin minus, ego mitterem et lubens quidem: utcunque cupio mihi communicari, non quod intelligam sed quod amo quae tua sunt et in officina mea videre vellem, opto etiam iterum argumentum mihi offerri ad Friburgenses scribendi. Elsa quae aliquando gymnasium rexisse dicitur et senior Crap apud Wittenburgenses vita excesserunt. Vellem res vestras in saluberrimo statu esse: tu quoque vale optime, valeant episcopus, decanus, scholasticus, compransores et qui te diligunt omnes, sic ego quoque valebo. Nurnb. 15. Novemb. 1514.

Tuus Christofferus Scheurllus.

Nr. 90. 13. December 1514.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. K. fol. 158 (195)b.

Ad doctorem Eysenach.

S. p. d. Accepi, doctissime vir, commentarios tuos physicos et ago tibi gratias, missurus ut primum licebit Friburgensibus cum epistola commendaticia: quamquam quid nostra opus est commendatione quum se ipsos commendent? Redegisti in breve compendium seu potius enchiridion universam naturalem philosophiam, debent tibi studiosi nostri plurimum et ingenti obstricti sunt beneficio et merito gaudere possunt incidisse in tua tempora. Unus sane laborasti pro multis, ostendunt te vigiliae tuae (quod tamen antea scivi) virum multae lectionis, omnifariae eruditionis, citas plerosque doctos et eorum testimonio dicta tua

[453]) Cod. contractos. — [454]) Cod. praefectum.

probas. Scripsit nostra aetate Volaterranus quasi de universis rebus libros triginta octo, ipse commentarios urbanos appellat, qui tuo instituto usui esse potuissent et ea praecipue quae in capite 27. de auro et aliis metallis [455]) commemorat: voluissem libro tuo quinto c. III. annecti ubi alioquin virtutes auri bellissime describis, quod unum inter multa observavi. Unum praeterea me angit, nescio an summae tuae divinam auctoritatem minuere possit, quod scilicet prope finem de somno scribis, ei, qui laborat, difficulter digerit et invalido est stomacho, plus ceteris esse dormiendum, quum tamen haec omnia tibi auctori conveniant quamquam minimum dormias et somni sis parcissimi. Dubito igitur quomodo dicta factis tuis respondeant, anne sint pugnantia? nisi forte medicus sis, attamen medice vivere nolis. Unde te obsecro, suavissime amice, per mutuam nostram amicitiam, memineris te adhuc longo tempore populo dei posse prodesse et in agro dominico multum fructum facere: labora, vigila, abstine cum quadam modestia; da hoc patriae quae tanto cive gaudet et te uno illustratur, da hoc Erpfhordiae, fideli filiae Moguntinae, quae te educavit, da hoc archidiaconatui Wittenbergensi qui per te olim illustrabatur [456]); crede hoc studiosis, concede hoc nobis amicis tuis qui gloriam et virtutem tuam communem existimamus. Profiteor me quamquam immeritum ex sectatoribus tuis: vellem et ego noctes studere, oblectant me libri, sed quam cogar probare mediocritatem vigiliarum atque laborum ipse novi. — — Laborasti iam longo tempore et noctis dixisti insomnes, absolvisti novum opus cum magna laude, pervenisti ad dulcem metam: rogo te quiesce modo, obsecro te resume vires, dormi, ede, bibe, laetare, cura valetudinem; nam te valente valet Erphordia, valet Friburgum, valet studiosa iuventus, valet posteritas. Sed longius digredior quam par sit, indulgeas hoc temeritati vel potius meae in te benivolentiae: cetera paucis absolvam. Imprimis quod amice et docte mihi respondes non semel [457]) sed iterum, ago tibi gratias. Consultatio quam subscripsi praepositi est; arbitratur se facile tibi assensurum, modo ad faciem loqui liceret. Mercatores nostri passim ita contrahunt nec satis intelligunt quis scholasticae concertationis sit effectus, gloriantur facta sua publice defendi ac si conclusiones decreta patrum dicerent. Quid Aystetensis responderit, mitto ad te; reliqua praepositus scribet et de monumentis transmissis gratias aget. Saepe de te sermo incidit; iudicat te virum bonum

[455]) Cod. metallicis. — [456]) Cod. illustrabitur. — [457]) semel fehlt im Cod.

et doctum, nihil desiderat nisi videre te. Rogo te commenda me illi et tu prior me commendatum habeas. D. r. antistitem, abbatem, decanum, scholasticum, hospitem cum[458]) coepulonibus et doctorem Ludovicum Rain cupio valere plurimum: interea vale et vive feliciter. Datae Nurnbergae idibus Decembris anno 14.

Quae de[459]) vitando morbo caduco praescribis[460]), experiar, invocato tamen divino auxilio: est mihi nempe amitinus qui huiusmodi aegritudine distinetur. Sed non estis vos soli quorum respublica turbinibus agitatur. Anthonius Tezel qui in senatu secundum locum obtinuit et auctoritate multa potuit carceri destinatus est et ei suffectus Iheronimus Ebner, affinis meus, homo iustus, doctus et prudens; aguntur tamen haec maxima maturitate et providentia summaque taciturnitate. Spero indies nostram remp. melius habituram, quippe gubernatio in eorum manus paulatim pervenit qui deum timent, iustitiam colunt, virtutem honorant.

Nr. 91. 22. April 1514.

An Johann von Staupitz.

Cod. K. fol. 165 (202)a. Concept von Scheurl's eigener Hand.

Ad d. Johannem de Staupitz vicarium.

Observantiam debitam. Curavi superioribus diebus, reverende pater, mitti me Uitenbergam, ut ita daretur occasio instaurandae pristinae amicitiae. Ut primum igitur licuit, digressus sum Taberonum et complexa me est communis mater ut filium suavissimum nec ego illam consalutavi multo aliter quam matrem. Commemorabat paternitatem vestram me sibi suffecisse in filium, vel in memoriam vestram ita me stringebat dulciter, ut vix lacrimulis abstineret, et quamquam de ortu, educatione et vita vestra continuus nobis sermo esset, credo tamen dignitas vestra tantam benevolentiam mihi quasi invidisset: neque enim coniectura assequi possum quomodo vicarius ipse maiori humanitate suscipi tractarive debuisset, ita in me honorando universa familia nullum officii genus intermisit. Accedunt haec beneficia ad multa alia quibus me cumulavit reverentia vestra, quorum nequaquam sum immemor. Interea ne omnino rusticus sim, scilicet ut me vestrum debitorem profitear, mitto excellentiae vestrae et optimae commatri meae uxori Guntheri paucula poma oran-

[458]) cum fehlt im Cod. — [459]) Cod. te. — [460]) Cod. perscribis.

tia, quae ut benigne suscipiatis rogo haud ignari non minus magnam rem esse parva comiter accipere quam magna largiri. Si quid praeterea apud me vel meos est quod praestantia vestra ad suam vel suorum honorem aut utilitatem pertinere putaverit, hoc totum meque ipsum tibi do, dedo, commendo. Nurinbergae decimo calend. Maias 1515.

Nr. 92. 23. April 1515.

An Spalatin.

Cod. K. fol. 165 (202) b.

Domino Spalatino.

S. p. Tametsi, doctissime vir, mea fortuna ita ferente Wittenberga discessi, nunquam tamen eo animo discessi quin me semper Wittenburgensis academiae alumnum et illius incliti fundatoris fidelem servitorem, utriusque vero praecipuum amatorem arbitratus fuerim. Testantur hoc epistolae innumerae; argumentum etiam praebet quod semper occasionem quaesivi Wittenbergam redeundi causa conciliatae amicitiae instaurandae, quod tandem ingenuo [461]) nactus sum. Nam quum [462]) iste senatus me primum authore Wittenbergenses interpretes consuluisset et iterum opus haberet prudentum responsis, persuasi maturandum esse tametsi nondum indicatum sit. Perveni itaque magno desidorio ad gymnasium litterarum quasi media nocte; sciebam enim portas mihi non claudi. Neque cives neque litterati aliquod in me honestando aut officii aut humanitatis genus omiserunt; certatim me invitarunt et saepius quater ad unam meridiem; tredecim diebus vel semel apud hospitem coenavi, dormivi nunquam. Factus est ad me amicorum concursus quasi graculatim; qui me optabat, necesse habebat quatuor dies ante significare, quippe persuadent sibi Wittenburgum quasi publice meam domum esse, suum diversorium peculiare, neque quisquam ad nos divertit (quod ego quidem sciam) quem non paratus sum excipere. Oblectavit me praeterea aedes illa sanctissima instructissimaque et mons Wellerspergius quibus iam multo tempore devotus fui in tantis voluptatibus et maximum diebus genialibus. Contra spiritus Lipsenses et Torgenses Wittenbergae constitueram vivere laetus: nihil minus curavi, mi suavissime Spalatine, quam calamum et papyrum. Quare te rogo per amicitiam nostram, per meam in Wittenbergenses fidem integram, habe me

[461]) Cod. ingenio. — [462]) Cod. quin.

excusatum si nihil scripsi: da hoc non negligentiae, non desidiae, sed nostris Wittenburgensibus, potissimum quum te eo venturum horatim manerem. Ceterum omnium gratissimum mihi accidit: rogaveram praepositum ut me clementissimo principi commendaret fideliter, qui renunciavit principem minime praeterire et me esse Fridericeum et Wittenburgium, unde clementiam suam mihi stipularetur atque patrocinium. Quae res quantum voluptatem meam auxerit, nulla possum oratione consequi: etenim servivi principi fideliter, professus sum diligenter, et si civitatem Nurnbergam et academiam Bononiam reddere potuissem nihil in mundo iucundius mihi contingere potuisset. Quodsi elector digno id est solito stipendio me donasset, hoc est non permisisset me semiquadriennio universae Thoringiae et Misnae ius reddere gratis, nec Caesar nec patria me Saxonibus eripuissent. Sed hoc potius scribo ut tarditatem scribendi longissima epistola compensem quam ex alia causa. Asseris me gratum facturum principi, si certos libros coemero: imo vero laetabundus tibi ago gratias, quod occasionem mihi obtulisti de tanto principe bene mereri cui servire honor est; eos libros dedi Heinrico Bebel Lipsensi tibi consignandos. Tuas etiam litteras meis reddidi Wolffgango Hoffman similiter et Pirchamer et sorori, qui una cum Holtzschuero et ceteris amicis te resalutant dulciter. Quodsi quando dabitur occasio, rogo te commenda me plurimum optimis principibus nostris et Pfeffinger et Hirsfelt et Perlibis, libellum de vitanda usura et ratione conscribendae historiae nomine[463]) authoris misi et mitto muneri. Si qua in re tibi possum prodesse aut alicui ex Wittenburgensibus, rogo et obsecro utamini me ut vestro: tam faciam lubens quam qui maxime[464]) desiderat. Novitatem urbis Romae et ceteras communicabit noster Ambstorff. Interea vale perenniter et vive felix. Datum Nurnberg ad nonum calendas Maias quo die toto animo optavi me vestras reliquias conspicere. 1515.

Tuus doctor Schewrllus.

Nr. 93. 1. September 1515.

An Erhard Truchseß.

Cod. K. fol. 168 (205)a.

Reverendo patri ac domino d. Erhardo Truchses doctori, ecclesiae Aystetensis decano egregio et bene merito, domino et patrono honorando suavissimoque.

---

[463]) Cod. nominis. — [464]) Cod. mox.

Obsequia parata. — — — Quod integritas tua vitam Anthoni Kressen [465]) grato animo excepit, iucundissimum mihi existit quippe senatus me monuit huiusce libellis [466]) aqua et igni interdicere atque eos relegare. In causa sunt oblocutiones [467]) nonnullorum omnia ut assolent in peius [468]) interpretantium, qui putant ceterorum laudes sibi obscuritatem afferre. Ego vero recta et simplici intentione scripsi et si quos laudavi propterea reliquos non volui vituperare; ego nullius gloriae invideo nihilque mallem quam plures municipes habere doctos, quorum virtutem non ducerem supprimendam sed potius praedicandam. Cogor itaque quaerere alienam occasionem scribendi et potius exterorum quam familiarium facta attingere. In ista animi perturbatione opportunissime redditae sunt litterae mei decani omnis officii et humanitatis addo etiam eruditionis plenae, quarum iudicio non minus tribuo quam multorum aliorum, cui me utpote patrono integro et docto cupio plurimum esse commendatum. Valeat paternitas tua, ecclesiae Aistettensis praecipuum decus et ornamentum. Datae Nurnbergae calendas Septembris 1515.

Christofferus Scheurllus, iuris utriusque doctor.

Nr. 94. 25. September 1515.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. K. fol. 170 (207) b.

Ad doctorem Eysenach.

Obsequia parata. Scribis te non posse satis admirari quod tanto tempore nihil ad te perscripserim. Sed hoc tuum mirari, clarissime vir, facit tua in me benevolentia qua me complusculis annis mutuo prosecutus es; meum autem silere facit quod scio praestantes viros, qualem te semper indicavi, nonnisi raro aut saltem delectabiliter convenire fas esse: unde nollem tibi molestus esse aut tua abuti humanitate, praesertim cum stilus meus ita agrestis sit, ut nesciat ad te scribendo a garriendo cessare quamquam ea spe quod tu hoc daturus sis nostrae amicitiae. Praeterea volui exspectare imaginem Divi Christoffori, patroni mei singularis, ut ita haberem scribendi argumentum excusabile, et si peccavi tacendo iam volo esse longior. Mitto itaque imaginem tribus aureis et paucis solidis paratam et rogo eam benedici et instrui sanctorum reliquiis, ut ita maneat apud matrem

---

[465]) Vgl. v. Soden's Beiträge, S. 38. — [466]) Cod. libellus. — [467]) Cod. oblocutos. — [468]) Cod. penis.

et me in deliciis: non erimus ingrati. Libros tuos partim transmisi Frankfordium partim Ingolstadium, transmissurus et alio, ut ita utilitati sint pluribus et auctori dignitati. Volo itaque illos processu temporis distrahere commode et condignam mercedem redimere et redemptam quando ita iubes excepto pretio imaginis ad te mittere. Interea etiam mitto ex epistolis Sixtinis denas quibus pro arbitrio uti poteris. Friburgenses referente Curcio acceperunt lucubrationes tuas sibi muneri datas, quamquam nihil rescripserc. Erit mihi posthac maior nunciorum copia. Apud illos nuper iussu vel saltem instante Maximiliano reformati sunt Minores omnibus prioribus descendentibus praeter unum, qui cum lectulo decumberet aeger, forte morbo Gallico exhaustus, muliercularum manibus linteamine elatus est in [469]) monasterium frustra fratribus officia sua pollicentibus, quod asserit[470]) assuetum se mulierum ministerio potius quam virorum, tanquam ubi non sit mulier ingemiscat aeger. Quod ideo scribo ut conditionem humanam ridere possis et ita etiam epistolam meam excuses. Noster Aisfeldensis queritur de vestris curialibus, quamquam[471]) graviori vocabulo utatur; scribit etiam non posse tuto commigrare: deus vestram rempublicam in portum tranquillitatis perducat! Doctor Eck conclusiones suas disputavit Bononiae, quantum audio nihil gloriae reportavit; quidam ex nostris de ea re scripsit libellum, quam primum videro ad te transmittam. Adhuc unum est, clarissime praeceptor, quod tuam praestantiam volo. Has ad te dedi magistro Gabrieli Finck, filio quondam Johannis physici Eistetensis: is apud vos [472]) census quosdam habet et litteris operam impartiri vult, unde me rogarunt per litteras amici Eystetenses, eum commendatum facerem vobis Erphordensibus. Quum tu autem meae[473]) voluntati nunquam defueris et plurimum possis [474]), rogo te ut eum dirigas, quatenus honeste possit habitare atque studere, sentiat etiam me Erphordensibus non esse prorsus ignotum, quae res mihi admodum grata futura erit. Apud priorem Carthusiensem habeo te excusatum, quamquam[475]) non satis scio quod actum sit dignum accusatione aut etiam suspicione. Quidquid eius rei causa expenderis, fac me certiorem, ego restituam. Neque enim arbitror Cartusienses sibi persuadere licere sibi impune pro arbitrio suo homines pauperculos etiam extra provinciam molestare, econtra vero non oportere illos contra illatas iniurias iure defendere, quippe nemini facit iniuriam

---

[469]) in fehlt im Cod. — [470]) Cod. asseret. — [471]) Cod. quam. — [472]) Cod nos. — [473]) Cod. me. — [474]) Cod. potes. — [475]) Cod. quam.

qui iure suo utitur, et defensio iure naturali introducta est, et illud vulgatum quod d. Reuchlein contra vos adducit: Adam ubi es tu? Fac ut valeas; episcopum nostrum, d Johannem Alberti, S. Severini scholasticum, cum reliquis coepulonibus cupio plurimum esse salvos. Iterum vale et vive. Nurnbergae ad septimum calendas Octobris anno a partu virgineo 1515.

Tuus Christofferus Scheurllus, iuris u. doctor.

Nr. 95. 25. September 1515.

An Johann Rüdinger.

Cod. K. fol. 173 (210)a

Ad doctorem Rudinger[476]).

Obsequia parata. — — — Doctor Eck conclusiones suas disputavit Bononiae, ferunt tamen parum reportasse gloriae, ne dicam ridiculo habitum. Johannes Cocleus, aliquando apud nos ludi magister, de ea re scripsit libellum: curabo mihi fieri copiam et ad te adferre Neuburgum. Gaudeo te gloriosum opus et ad utilitatem publicam operatum esse; deus mercedem retribuet. Ad XIII. Septembris dicuntur manu Helveticorum cecidisse ad quatuordecim milia Germanorum. Causam meam transmisi cum arcula consulendam doctori Croario qui multum humane sponte[477]) ad me scripserat: eam quoque amicitiam tuae humanitati tribuo. Tuae quoque auctoritati pater meus tantum tribuit, ut credat omnino sententiam per se ferendam, si vel tantillum in favorem suum perscripseris: nam iugenua fama tua apud nos admodum celebris est, quod dicunt vulgo coniunxisse te cum summa eruditione vitae quoque integritatem. Interea valeat paternitas tua et me commendatum habe. Nurmbergae 7. kalendas Octobris anno a partu virginis 1515.

Christofferus Scheurlus, i. u. doctor.

Nr. 96. 8. November 1515.

An Otto Beckmann.

Cod. K. fol. 174 (211)b.

Ad magistrum Ottonem Beckman.

Salve et iterum salve, mi amabilissime Otto. Scripseram paulo ante ad communem patronum dominum praepositum et

---

[476]) Johann Rüdinger oder Rüdiger, Vicar zu Eichstädt, hatte sich in der Eck'schen Disputationssache schon im vorhergehenden Jahre an Scheurl um Gutachten gewendet, in Folge dessen letzterer an seine Freunde in Wittenberg und Erfurt schrieb, vgl. Nr. 88 und 89. — [477]) Cod. fons.

putavi pro temporis angustia eas litteras tibi quoque sufficere, quem inclita virtus praeposito conciliavit amicissimum; sin minus, excusa quaeso celeritatem tabellarii, quoniam non soleo Wittenbergam scribere nisi Ottoni quoque scribam. Quodsi excusationem meam non receperis [478]), eam negligentiam saltem longissima epistola compensabo. Tam plura se offerunt scribenda ut se invicem impediant, quum singula velint primum prorumpere et Ottoni significarier. Sed dices tu (audio), ante omnia agamus de imperio: ceterum qui in statu putas esse imperium, bone frater, quum Caesar solus imperium non sit et imperiales illum destituant et inter se dissideant? Casimirus Brandenburgensis ducentis equitibus Caesarem sequitur cum Wilhelmo Bavaro, mittunt et Wirttenbergenses totidem; sic etiam Ericus Braunsvicensis duodecim comitibus nuper apud nos pernoctavit, celerius dominum sequetur. Veneti Brixianum obsederant dicunturque recepisse aliquam cladem Germanis erumpentibus. Miserat illis auxilio Gallus aliquot milia Germanorum militum, qui tamen contra praesidia gentilicia dimicare non voluere. In ea obsidione excessit Bartolomeus Uranus idque septimo Octobris. De vicerege Hispaniarum nihil certum habeo: dicitur cessisse retro et Gallum sentire cum pontifice et illius permissu parare expeditionem contra Neapolim, quod tamen nondum certum habeo. Ipse Galliarum rex duodecimo die Octobris Mediolanum ingressus est creatis aliquot militibus auratis recepitque quarto decimo die arcem, toto terrarum orbe munitissimam traducto Maximiliano in Gallias, datis capitanio ut ferunt octo milibus aurcorum, singulis et militibus constituto stipendio bimestri. Sed quod magis me angit excruciatque, certissimo asseritur Gallum in Sabaudiensem et confoederatos in Bernenses, Friburgenses et Soloternenses qui suorum cladem declamaverant arbitratos esse illisque permisisse omnem potestatem conficiendae pacis, quin et pacem subsecutam [479]) quidam scribunt. Nostri confoederati Sueviae adhuc nihil decrevere. Expectantur oratores Caesaris qui auxilia petit, petit etiam Moguntinus contra Gotfriden de Perchlingen, item etiam contra optimum principem nostrum cui scriptis suis non parcit conqueriturque iniurias propter Erpfordenses capite plexos. In hoc verum discrimine nostra respublica affecta est pridie summa laetitia. Leonhardus Pirckner [480]) nostro praeposito nomine notus, tam gnarus equi-

[478]) Cod. recepis. — [479]) Cod. subsecutum. — [480]) Vgl. v. Soden's Beiträge, S. 36.

tandi praedandique [481]), tam insignis grassator quam habet nostra provincia, qui subterfugia, latibula, consilia multorum magnatum novit, sine quo nostra memoria nulla egregia praeda [482]) acta est, quippe merces quas asportare non licebat igni absumpsit, si quid memoratu dignum egerunt Henricus Baum, Joannes Geyslingen, Perchlingen, si ceteri latrones, hoc Leonhardo consiliario, socio et adiutore egerunt qui neque reconciliari voluit: is benignitate divina tandem per nostros pedites non longe a Ratispona interceptus est cum famulo et iuvene, quum parum caute diverteret. Vidisses, mi Otto, plebem prae gaudio exsilientem portis [483]) effusam; vidisses mercatores quibus damna intulerat praccedere comitarique captum hostem nedum nostrae civitatis sed etiam confoederationis Sueviae et Caesaris rebellem. Multa fassus est. Multo tempore non tam nobis arrisit fortuna, ut tam egregius praedo intercipi posset. Rogasti ad te mitti congressum Maximiliani Caesaris et trium regum: sed dum cogito tibi gratificari ut semper cupio, ecce hesterno vesperi doctor Steinheuser municeps meus, qui mecum cupit constituere amicitiam, ex Wienna ad me mittit commentarios Cuspiniani et Bartolini quibus eam solennitatem nemo elegantius perscripsit [484]); unde cum voluptate legere vellem, sed quoniam casus ita tulit maiori afficiat voluptate, si tibi eos donavero ea lege ut qui perpetuo [485]) apud te sint non vulgare monumentum fraterni amoris. Haud scio cuinam mittere velim praesertim non lectos nec aliis habitos, sed mea omnia tua sunt: leges igitur avide et nostri memor. Si edere voles, scribam ad te praefatiunculam vel tu ad me cuius consilio nos permittimus. Insuper mitto tibi exemplum litterarum doctissimorum virorum nostri seculi quarum lectione [486]) quoque delectaberis. Egregiam operam navares et rei [487]) litterariae utilem, si commentarios per te inventos exscriptos communicares Cuspiniano: ita daretur nobis argumentum cum homine doctissimo consuetudinis ineundae [488]). — — Domino praeposito nostro commenda me et acta mea, ut sentiam tuam commendationem profuisse. Scribis te futura aestate ad nos venturum quod mihi gratissimum foret. Spalatinum saluta et ceteros amicos cum libellis nostris, nam et unum Bernhardo Hirsfelt [489]) et alium cui patriciorum [490]) mittes: si petas plures dabo. Interea vale, vive felix. Officialem nomine meo saluta

---

[481]) Cod. praedicandique; war Pirkner etwa ein Geiſtlicher? — [482]) Cod. prela. — [483]) Cod. portu. — [484]) Cod. praescripsit. — [485]) Cod. vt quippe tuo. — [486]) Cod. lector. — [487]) Cod. regi. — [488]) Cod. consuetudine amicicie. — [489]) Cod. Bernhardi hirsfet. — [490]) Cod. patricium.

et excusa. Tibi uni scribo pro omnibus amicis, communicabis his quae communia erunt. Iterum vale felicissime. Nurnbergae die octavo Novembris anno domini 1515.

Doctor Scheurllus.

Nr. 97. 14. Februar 1516.

An Johann Rüdinger.

Cod. K. fol. 323 (507)a.

Ad Johannem Rudiger, vicarius vnd doctor Ju. Eychstet.

Obsequia parata et reverentiam debitam, praestabilissime vir. Pro docto consilio tuo ago habeoque tibi gratias immortalis: dabo operam ut oblata facultate referam vel modum referendi ipse statue, et si qua in re tibi mea opus est opera tuum est iubere; nosti meum in te animum. In eam sententiam facultas Erpfurdiana et duodeviginti celebres doctores et inter hos aliqui advocati iudicii camerae consuluerunt scripseruntque praeter eos quorum auctoritatem [491]) in dies expecto. Franciscus Purckart ceterique doctores Ingolstatenses promiserunt officia sua et acceptis utriusque nostrum responsis ut petitum erat rescribunt, causam meam dubiam sibi videri immo suspectam, de qua re velit Croaria quem Franciscus ambidextrum appellitat ad te perscribere. Rogavit me Anna Finckin causam suam tibi commendari doletque non licere Philippo Plass contradicere. Interea valeat praestantia tua et me ut assolet commendatum habeat; Jacobus Welser et pater meus se quoque tibi commendant. Datae Nurmbergae in die Valentini anno a reconciliata divinitate 1516.

Nr. 98. 14. Februar 1516.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. K. fol. 321 (505)a.

Ad doctorem Eysenach.

Obsequia parata, reverentiam filialem et bene agere, praestabilissime patrone. Quod tua diligenti opera patres consulti allegationes Wittenbergens. approbarunt, ago tibi et illis gratias immortales: oblata facultate referam. Interea velim eis etiam nomine meo facias satis vel saltim quid dandum sit rescribas. Confido non actum esse praecipitanter quum in hanc sententiam

[491]) Cod. auctoritate.

plures celeberrimi iureconsulti iverint. Christofferum refertum reliquiis etiam incertis ac indulgentiis insignitum desideranter exspecto, modo litteras publicas seu testes adferat. Mea opinione si quis coram imagine tantum oraverit, indulgentias confirmatas assequetur: quod si ita est, nihil sanctimonialibus gratius donari poterit; graculatim sturnatimque, ut ita dicam, orabunt. Nam praeter devotionem peculiarem sunt mei utpote illius sancti deditissimi in universum amantes, quae res tibi quoque cedet saluti eritque memoria perpetua. — — -- Libros tuos curavi a dignis possessoribus possideri. Transmiseram Franckfordum, sed eo prius traducti fuerant; Ingolstatum coeperunt gustare, ubi distraho iusto pretio quemadmodum ex rationibus meis intelliges. Librarii plurimum me rogarunt quatinus opus novissimum transmittas; offerunt ultra dimidium aureum expensas itineris pro singulis. Non dubito hoc absque dispendio pluribus futurum utilitati, tibi quoque ornamento: attamen tuo utere consilio, ego nihil quaero quam esse inclitae virtutis Eysenachiae amicum addo etiam fidum buccinatorem. Epistolas traductas tibi mitto, indicium tuum exspecto: quodsi tanti vendere non poteris, pecuniam ex libris tuis quandoque redemptam restituam siuceriter. Stationes auctore praeposito[492]) nostro revisas quintuplicatas[493]) mitto, sed absque indulgentiis quod de his parum constat. Res apud nos ita orta est: Sacello nuper constructo ad aedem Laurentinam civis quidam caecus aureis sexcentis stationes illas urbis redemit donavitque, unde multi eo confluunt quottidie. Tenorem bullae praepositus [494]) mittit. Multi mercatores arguunt passim sibi dicere [495]) foenerari quia Eckius ita disputavit: sed quemadmodum disputatio sua subscripta fuerit, Johannes Cocleus scholaris Bononiensis non ineptus, nuper S. Laurencii ludi magister, commentarios ad nos dedit quos iusseram tibi transscribi, sed invidit praepositus [496]) eam gratiam qui de te utpote tui amantissimus voluit ipse mereri bene. Mihi tamen hoc lucri cessit quod occasionem dedisti semel atque iterum cum integritate sua collationandi. Partem Reuchlin tuetur Caesar, rex Franciae contrariam, quin pro suis Parisiensibus dicitur pontifici ad faciem locutus esse Bononiae. Causa commissa cardinali S. Eusebii qui Judaeos fovet. Epistolas obscurorum virorum neuter nostrum vidit, dicuntur tamen extare; iussi in proxiuis [497]) nundinis Francfordensibus inquiri summa diligentia ut ad te quoque de-

[492]) Cod. proposito. — [493]) Cod. quintuplicatos. — [494]) Cod. propositus. — [495]) Cod. lucere. — [496]) Cod. propositus. — [497]) Cod. proxime.

ferantur, sed clarorum virorum mitto in praesenti utpote dudum ad nos perlatas. Quae res argumento mihi fuit alia quoque opuscula mittendi, imprimis compendium abbatis Spanhemensis vel ob eam etiam causam, quod in penultimo quaternione negat Dagobertum fundasse monasterium S. Petri apud nos nititurque confutare litteras quas abbas in doctoratu antistitis Pauli nobis ostendit. Hodie pransus est mecum Johannes Koberger, qui refert hominis auctoritatem apud Gallos esse maximam et pluries donasse eum pecunia nomine episcoporum et Maecenatum Galliae. Haud scio an [498]) opuscula transmissa prius apud te sint, spero tamen te officium meum non improbaturum. Doctor Kuchenmaister restitutus est his diebus pristinae libertati utpote opera Jobst Freunts et forsan permissu [499]) principis Wirtenbergensis ereptus ex quadam arce prope Stuckgarten, quemadmodum paulo post intelliges. Pontifex scribitur nihil minus curare quam ecclesiam, profundere omnia in suos, dedisse etiam pignori coronam meliorem. Caesar mittit exercitum quantum maximum potest in Italiam, speratur brevi potiturus Mediolano. Audio omnibus modis impediri nostrum praesulem quominus urbem suam ingrediatur, ego opto civitatem vestram felicissimam esse: utriusque iura valde libenter videre vellem. Quidquid pro sacerdote quod mea nihil refert expendisti, una cum doctorum salario, modo intelligam, restituam gratanter. Si quid in rationibus meis displicet quas in scheda invenies, emendabo pro arbitratu tuo; pecuniam mittere nihil opus est. Jure providet cantorem variis rebus velle et tibi non displicuisse. D. episcopo, abbati, decano, scholastico, coepulonibus et amicis universis cupio me esse quam commendatissimum. Valeat paternitas tua perpetuo nec nimium te moveant angustiae Erpfurdenses, quasi tota Europa bello concussa est et communia levius tangit. Quod scribis non revidisse litteras, amicissime scribis et mirum quam ista [500]) sinceritas praeposito tui per omnia simillimo meoque patrono probetur, et quid me credis perscribere ad te nisi prout quodque verbum in buccam venit? Asserit praepositus nostrum amorem non indigere fuco verborum neque subesse Prisciano, unde si quid pecco et tua humanitate abutor veniam dabis. Doctor Pencko apud Brandenburgenses vita excessit; qui ei succedere nititur suppressis tabulis si quae exstiterint [501]), oritur

---

[498]) Im Cod. eher si. — [499]) Cod. promissu. — [500]) Cod. iste. — [501]) Cod. exstiterit. Die Dunkelheit des Satzes wird vielleicht durch ein zweites nititur hinter dem ersten gehoben.

ex antiqua consuetudine apud Wittenburgenses contentio haud parva. Iterum valeat paternitas tua reverenda. Datae Nurnbergae in die Sancti Valentini 14. Februarii anno 1516.

Christofferus Scheurll, i. u. doctor.

Nr. 99. 24. Februar 1516.

An die juriſtiſche Fakultät der Heidelberger Univerſität.

Cod. K. fol. 326 (510) a. V. Soden's Beiträge S. 39 ſind hiernach zu berichtigen.

Undecunque eruditiss. et praestantiss. d. decano ceterisque iureconsultissimis incliti studii Heidelburgensis, dominis et praeceptoribus celeberrimis, honorandissimis suavissimisque.

Obsequia parata. Quod paternitates vestrae humane benigneque sese attulerunt paratas mihi morem gerere et consilium meum, modo iure fundatum sit et per tempus liceat, subscribere velle, egregii viri, patres celeberrimi, ago habeoque gratias ingentes. Allegationes meas etsi exiguas duodeviginti[502]) celebres iureconsulti approbarunt; consuluerunt in eandem sententiam praepositus Wittenburgensis, fons et oraculum omnis divini humanique iuris, et doctor Jeronimus Schurff: quibus subscriptionibus stetere duo licentiati et facultas iuridica studii Erpfurdensis quorum signa et chirographa ad prorogatum terminum, diem scil. 27. Februarii, producentur in iudicio. Neque dubito iudices in examinandis utriusque argumentis adsumpturos dies aliquot, ita scil. ut auctoritates trium universitatum et aliquorum doctorum quas[503]) indies praestolor ante sententiam etiam offerre liceat. Quod autem in re certe planissima tot signa undique disquiro, in causa est quia adversaria persuadet sibi nihil certius quam victoriam, quia etiam amicis stipata est et succumbere mihi, iudicii aliquando assessori, ignominiosum foret. Cum autem auctoritas vestri gymnasii apud nos sit egregia quam ego reverenter amo et iam cognitum sit iudici et reae petitam a vobis subscriptionem, ne forsan quid sinistri et quod causam meam dubiam inveneritis quod maxime incommodo cedere mihi possit suspicentur, putavi iterum diligentissime rogandas esse amplitudines vestras, quatinus consilium meum toties approbatum, quod mea opinione ex Vormacia nuncius adferet, vel saltem consilium Wittenburgense, cuius copiam una cum approbationibus in veritate veram transmitto, inclita facultas vestra approbare et ad minus

---

[502]) Cod. duoviginti, was v. Soden a. a. O. für duo et viginti genommen, doch ſ. Nr. 97. — [503]) Cod. quos.

circa fructus[504]) perceptos interesse et expensas litis aliqua addere dignetur, quod et hoc tempore collegium Wittenburgense facit, ut Lipsense et Franckfordense taceam. Quod si ut spero facere volueritis, nuncius operas vestras donec commode fieri possit aliquot diebus exspectabit, dabit etiam duo paria aureorum; quidquid reliqui petieritis, ego dehinc daturus sum. Unde dignitates vestrae velint se humanas ostendere et hilari vultu favore iustitiae rem mehercule nihil omnino dubiam collegialiter approbare, qua una re obligabitis me perpetuo beneficio: dabo operam ut facultas offeratur gratiam referendi quibus me cupio esse quam commendatissimum. Valeant paternitates vestrae. Nurmbergae ex officina mea litteraria VII. calend. Martias anno etc. XVI.

Vestrarum paternitatum devotus Christofferus Scheurll, i. u. doctor.

Nr. 100. 25. Februar 1516.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. K. fol. 327 (511)b.

Ad doctorem Eysenach.

S. Reverende pater, Christofferum nostrum cum[505]) incredibili voluptate accepi, unde episcopo et tibi gratias ago habeoque immortalis: deus sit retributor vester. — — — Caesar ingentem exercitum mittit in Italiam et iam Suiceri in eius favorem occuparunt .....[506]). Nil dubito brevissimo temporis[507]) spatio Gallum totam Lombardiam et alia amissurum. Hispaniarum rex vita excessit relictis sex regnis Carolo Austrio. Carlstat voluit Romae disputare, sed nemo illius honorandi gratia visus est. Quae deinceps sequuntur, perscribam ad te cui una cum amicis cupio me esse commendatum plurimum. Vale. Nurnbergae 6. calend. Martias 1516.

Christofferus Scheurl doctor.

Nr. 101. 10. März 1516.

An Otto Beckmann.

Cod. G. fol. 84 (145)a.

Ad magistrum Othonem Beckman.

Obsequia fraterna et bene agere, omnium mi carissime Ottho. Heri vesperi redeunti mihi ex Neuburgo ad domicilium, ubi Otto

[504]) Cod. fructos. — [505]) Cod. et. — [506]) Der Name der Stadt ist im Cod. undeutlich. — [507]) Cod. tempus.

Heinricus et Philippus, Ruperti Bavarii filii, educantur sicut ex moncta intelligere potes, quam ideo ad te mitto ut intelligas undique nobis obversari memoriam Othonis nostri: redeunti, inquam, Benedictus tuas litteras et subscriptiones reddidit. Mox isto mane volenti assidere pro tribunali tabellarius tuus significavit, si quid ad te perscribellere [508]) vellem. Itaque et voluptati et commodo mihi cessit legisse imo relegisse binas litteras tuas hac nocte et quidem in lectulo: eo enim eas delicias reservaveram quod ideo notifico, ut si res novas ad plenum non scribo aut litteris tuis minus accurate respondeo temporis brevitatem excuses. Benevolentia iudicum acceptatae sunt allegationes nostrae illa hora et ea quidem lege, ut liceat etiam ante sententiam [509]) plura producere quamquam sententia et non iniuria quidem maturanda sit. Exspecto indies subscriptiones Heidelbergenses et Franckfordenses: confido in deum et iustitiam nec me erigit amicorum iudicium qui non sum per omnia antiquus homo. Scio praeterea quid in faciem pridie senserint Ingolstadenses: etsi amore partis adversae subscribere abstineant, neque tamen contra me scribent. Quidquid futurum erit, intelliges. Interea singulis doctoribus ages gratias immensas, referam etiam atque ipse rescribam oblata facultate. Paucis diebus dedi ternas litteras cum scriptis Italicis ad Appellum tibi praesentandas, quibus ista addito. Caesar versatur in agro Tridentino, contraxit supra triginta milia peditum praeter eos qui sine intermissione graculatim sturnatimque advolant. Es ſteubt vnd nebelt vor feldt das dem keyſer allenthalben zulaufft. Forte exspectantur Hispani; nam Venetus ingentibus copiis et supra quam credere fas est nobilem Brixiam iterum obsidione cinxit, Galli vero magnates paulatim ex Mediolano dilabuntur, diripuit tamen aliquorum supellectilem et quidem [510]) pretiosam plebs Mediolanensis quae pro Caesare sentit iuxta illud: Dum venerit Caesar, omnia Caesar erunt. Is de novo quantum maxime potest [511]) principes vocat, hortatur, minatur [512]) Augusta convenire ea lege, ut ipse conventum petiturus sit per postam. Hispaniarum rex multum solenne testamentum [513]) condidit relictis regnis omnibus Carolo et Neapolitano Ferdinando. Sunt qui asserant Gurcensem [514]) pro Caesare eo profecturum, qui primus etiam habet episcopatum Carthusiensium, velle nos illius esse comites. Sed te non moveant intestinae

---

[508]) So Cod. — [509]) Cod. etiam an sententiam ante sententiam. — [510]) Cod. qualem. — [511]) Cod. praeter — [512]) Cod. vincatis oder vincatur. — [513]) Cod. testium. — [514]) Cod. gurcense.

discordiae vestrae: comite [515]) deo virtus quanto magis deprimitur tanto altius evolat, novit deus quae nobis conferant, ille utrique nostrum sicut non dubito quandoque providebit. Multa alia scripsi ad te et etiam de calice quibus nondum respondisti. Mitto libellos traductos quos releges et iudica. Audio apud nos agere oratores Erpfurdenses, et dubitant tanto itinere Caesarem sequi. Politus noster cantor paulo post pascha nobiscum erit. Pecuniam meam si Tuchero non dedisti retine. Interca vale et vive, quod et uterque parens exoptat et gratias agit. Nurnbergae die Lunae post Judica anno 1516.

Tuus Christofferus Scheurll, i. u. d.

Nr. 102. 13. März 1516.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 85 (146)b. Ueber das Datum ſ. unten.

Ad doctorem Eysenach.

Obsequia parata. Fui his diebus Ingolstadii et constitui cum doctore Eckio amicitiam, sed non conveni cum [516]) illo quin hominem meo quoque Eysenachensi conciliavi quemadmodum ex litteris eius intelligere potes, quibus omnino respondere velis: ita enim pollicitus sum. Quarto decimo aetatis anno edidit tractatum quo te magnum logicum compellitat, sed in praesenti ut fit in quibusdam a te dissentit. Rursum quaedam [517]) componit, quae res impedit apud Ingolstadenses opuscula tua alioquin magnae auctoritatis distrahi, ita ut librarii prius empta etsi non soluta restituere velint et quae a te nuper petieram amplius ad se transmitti non velint. Eckius homo est hilaris, iucundus, familiaris, acris; pransus est mecum et me plurimum humaniter complexus: non poenitebit te eius amicitiae, lubens iubebit epithemata et quam nunc in manibus habes moralem philosophiam. Postquam redii, omne tempus absumpsi cum oratoribus vestris. Herebordus Margaritus, rector vester, cum collegis [518]), inter quos est librarius tuus, in me multum officiosus est. Hesternum diem et pransus et coenatus secum sum et de meo Eysenacensi creber et suavis sermo incidit, quod me haud mediocriter delectat; de tua virtute quae gymnasio Erpfurdensi ingentem gloriam conciliavit praedicant ut par est. Eos deduco per civitatis loca insignia. Vellem [519]) de eis mereri bene et mutuum reddere eius

[515]) Cod. comite te deo. — [516]) Cod. conuentus. — [517]) Nach dem Cod. kann auch cursum quendam geleſen werden. — [518]) Cod. colligis. — [519]) Cod. velle.

quod accepi. An credis me oblitum qua humanitate me ducebat episcopus ad tintinnabulum [520]) turris unde urbs perspici poterat, quibus honoribus me cumularunt universitas, facultas artistica et multae etiam privatae personae de quibus saltem gratanter glorior? Quandoque vices restituere licet et si aliud non esset propter unum Eysenacensem videor mihi in media Erpfurdia natus, omnis Erpfurdenses amo et [521]) multi facio. Oratores vocati sunt ad Caesarem ut amice tractent causam exiticiorum [522]) sed dies ad calendas Maias prorogata; interea exspectant responsum, liceatne tuto regredi. Si quaeris quid sentiam, vellem melius sentire: ista cunctatio pestilens destruit vos et sanguinem elicit, peritis inter domesticos parietes. Henningus apud Moguntinum agit oratorem. Doleo vices vestras. Caesar in agro Tridentino habet supra triginta milia peditum, pariter et Veneti stipati sunt maximis copiis in agro Brixiano: exspectamus magnam cladem. Adhuc rogo oratiunculas illas mihi transmitti quibus singulis septem horis Christi passioni gratias agere liceat. Vale et vive felix, vir praestantissime et optime; communis amicos cupio valere plurimum. Mater cum filio se tuis orationibus commendat Nurnbergae 13. Martii 1516 [523]).

Tuus Christofferus Scheurll doctor.

Nr. 103. 25. März 1516.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 87 (148)a.

Ad doctorem Eysenach.

Obsequia paratissima. Quod [524]) res novas in aliud tempus continuandas reservo, in causa est tabellarii abitio et quod cum Erffurdensibus pransus sum dulce [525]) satis. Respondeo itaque litteris tuis: Omnia mea tua sunt, quare gratias agere non oportet. Allegationes meas approbarunt etiam facultates Lipsensis et Wittenburgensis: idem a Franckfordensi expecto iusseramque ad vos deportari, sed quia praeposito Wittenburgensi subscripsistis, factum est mihi satis, ago gratias immortales. Adhuc sub iudice lis est et consilia ab assessoribus examinantur. De operibus tuis et aliis rebus perscripsi ad te paulo ante cum nuncio Erpfurdensi, misi etiam litteras Eckianas quibus quam

[520]) Cod. tinnabulum. — [521]) Cod. vt. — [522]) Cod. exiciciorum. — [523]) Durch ein Versehen hat v. Soden in seinen Beiträgen S. 46. 49 die Jahreszahl 1518, eine Vergleichung des Inhalts mit dem vorigen Briefe und die Stellung im Codex ergeben das Richtige, vgl. auch Nr. 103. — [524]) Cod. et. — [525]) Cod. dubie.

primum respondeas velim. Georgius Schenck nomine iureperitorum retulit ad rectorem vestrum de Jona nostro ordini suo cooptando, cuius ego quoque in bonam partem memini. Super mensam salutavit me verbis tuis Matheus Melber [526]), dixit me a te amari, crebro enim de me rogaris; respondi, hoc te facere mutuo. Incidit etiam sermo de episcopo nostro et quod multum celeriter praedicaret; similiter et d. Jo. Alberti, scholastici Severiani, ceterorumpue coepulonum utpote virorum optimorum meminere oratores dulciter et quod scholasticus doctorem valeret scholarem Scheurll. Quem mihi commendasti, hunc habebo commendatum diligenter. Petrus Aperbachus, affinis Herebordi nostri, habet libellum obscurorum virorum, sed quia putatur de ordine nostro non velle illiberaliter mereri eum consignatum tibi tradet ad me mittendum: liberaliter igitur resigna una cum litteris et utere pro arbitrio tuo et vale cum communibus amicis quibus me cupio commendatum iri. Iterum vale. Festinanter. Nurnbergae 25. Martii anno 1516.

Tuus Christofferus Scheurll doctor.

Nr. 104. 26. März 1516.

An Otto Beckmann.

Cod. G. fol. 88 (149)a.

Ad magistrum Ottonem Beckman.

Christus resurgens ex mortuis faciat nos quoque a peccatis resurgere et secum perfrui eo quod diligentibus se praeparavit, mi suavissime frater Otto. Caesar Maximilianus posteaquam Tridentum quod Germaniam ab Italia disterminat pervenit, deo opt. max. supplicationem decrevit, haud ignarus orante Moyse vincere populum suum, vinci vero illo dimittente manus, qualia etiam de Daniele et Dauid memoriae prodita sunt. Sic etiam ecclesia Romana his versibus: Exsurgat deus! aliquando rebelles exterminavit quos antea censuris et armis domare non poterat, et Theodosius senior de Eugenio et Arbogeste orationibus mirabiliter triumphavit cuius Claudianus meminit:

O nimium dilecte deo, cui militat aether
et coniurati veniunt ad classica venti!

Caesar itaque dominica Judica sacrosancto eucharistiae sacramento devotissime communitus [527]) inquit: Nunc tandem in

[526]) Diener des Raths und Bürger zu Nürnberg, Briefbücher Nr. 49. — [527]) So Cod., communicatus?

nomine domini volumus nos quoque militare Nun wollen wir Im namen gottes auch ein krieger sein. Et quod eo usque neglexerat, duces designat et quae exercitui necessaria sunt diligenter ordinat. Quare Helvetii publice promittunt facturos se ut strennuos milites decet, sese equitatum aggressuros, tantum tormenta bellica sibi dari et quisnam suus futurus sit imperator petunt. Quibus Caesar: Ego vester imperator futurus sum, me ipsum habebitis. Unde commoti sollicitique Ems, Fraunspergius et Lichtensteinus, commilito praefecti, et ad genua provoluti obnixe orarunt atque etiam obsecrarunt a traiectu Alpium abstinere, non iaciendam esse aleam, commemorantes eum suis humeris sustinere Romanas aquilas, de quibus actum esset si quod absit eius sola persona periclitaretur, sese mandata diligenter exccuturos. Sed his magnanimus Caesar parum timide, at [528]) etiam benigne dixit: Itali habuere nos in hodiernum diem scholaticum, experiantur tandem senis calamum sanguinolentum! Quin ad XVI. diem Martii universas copias per Veronam hostem cominus movere coepit. Dicuntur autem in castris Caesareis praeter Veronensia et Brixiana praesidia militare duodeviginti milia Helveticorum, inter quos egregie eminet nobilis baro von der Sachsen, quibus Britannus in singulos menses quinos aureos stipendii nomine exsolvit; aliorum Germanorum peditum totidem aut etiam supra ut credere pium est; equitum levis armaturae viginti quatuor centum: his se adiungit vicerex Neapolitanus cum quingentis cataphractatis seu lanceatis et ingenti peditatu. Econtra vero Veneti et Galli confoederati castra ex agro Brixiano Cremonam versus in tutiorem locum transtulere, forsan militum numero nobis non inferiora, in quibus degunt quatuor milia equitum et praeter Helvetios totidem Germanorum peditum qui etiam contra deum pugnare parati sunt. Dicuntur tamen Veneti si modo per Gallos licuisset Patavium constituisse cedere, sed hoc claret Galliarum regem iterum mulos auro onustos misisse Suizaris suis, unde quisque modo Maximiliano esse contrarie stipuletur sumat quantum velit, spe plenum, tale aliquid moliturum quale anno abhinc decimo septimo cum Ludovico Sphorcia perpetratum constat. Scribuntur itaque Lusannae plurima milia ex illis octo finibus Gallicis et in Italiam mittuntur, quamquam sperem nimis tarde venturos: puto nempe Caesarem diem parasceves quo ecclesia pro illo orat nominatim indixisse pugnae. Itaque quantum ex his colligere licet in hodiernum diem commissa iam pugna cru-

[528]) Cod. aut.

delissima aut certe obsessis hostibus ignominiose detractata, de qua re singulas horas tabellarios exspectamus. Deus opt. max. a quo solo omnis dependet victoria faxit nos de crudelissimis hostibus triumpharc, quemadmodum constantissime confido, quippe Maximiliano Gallum prosternere [529]) peculiare, qui ex omnibus pugnis hoc est decem et septem victor rediit, qui vere catholicus, immo christianissimus est et deum timet reverenter; addo quod illius exaltationem sicut et Helvetiorum interniciem clarissimus simul et veridicus vates de Lichtenpergo longe ante praedixit. Helvetii ipsi etsi his annis multa mala perpetrarint, unde retributionem peccatorum mox videbunt, nunquam tamen contra orbis dominum externa bella gessere. Rogo te, deus meus omnipotens, et obsecro te per sacram resurrectionem tuam, quatinus Suiceros et omnis Teutones qui contra probum principem suum Maximilianum arma corripuerunt destruas, funditus deleas, ut ita pugnent sicut pugnarunt perfidi Judaei contra Titum et Vespasianum. Diabolus stet a dextris eorum, filii fiant orphani et uxores viduae utrique mendicent et eiiciantur de finibus suis, scrutetur foenerator substantiam omnem et diripiant alieni labores eorum, non sit adiutor nec qui misereatur pupillis, in uno proelio deleatur nomen eum memoria eorum, quia dilexerunt Gallum veniat illis maledictio et quia noluerunt dominum suum Maximilianum benedictio elongetur ab eis. Exsurge, deus, et dissipa eos, sicut defecit fumus deficiant, sicut fluit cera a facie ignis sic pereant rebelles a facie Maximiliani, et populi Caesarei epulentur et exultent in conspectu tuo et delectentur in laetitia et spoliis hostium: id quod te, omnipotens deus, facturum non dubito, nunquam enim dereliquisti sequentes tc. Ex nostris qui in Gallias mercantur satis frigide sentiunt de rebus imperii: ego arbitror bonum virum oportere publica privatis anteponere. Sed si quaeras quid inter haec agat imperium, rogo te rursus quid dicas imperium. Maximilianus plus expendit in regenda ista umbra imperiali quam commodi percipiat. Attamen confoederati Sueviae denegato equitatu, quo maxime opus erat, polliciti sunt triginta duo milia aureorum indixeruntque suspectis latronibus purgationem iuratoriam, alioquin accessu unius mensis decernent de bello inferendo. Crede mihi, qui hucusque dormivit aliquando supplicium sumet de his quibus modo blanditur convincetque princeps. Nostri, Gotfridus scilicet de Perchlingen et Franciscus de Seckingen, in agro non Tridentino sed Treverensi et apud

[529]) prostrare.

Thuringos supra mille equites habuere causa depraedandi mercatores Franckfordinos et illorum merces diripiendi, quos tamen benignitate dei sua spes frustrata est. Plura non dico. Nos hic publice rogamus deum pro Maximiliano, cui Anglus quod satis constat iterum ducenta milia ducatorum transmittit. Germani quoque inferiores vix aegre tandem consensere, ut Carolus transeat in Hispaniam coronatum, qui magnopere ab octo regniculis [530]) expetitur, ea tamen lege, ut Ferdinandus sibi restituatur. Interea vale et vive felix, mi suavissime Otto. Nurmbergae 26. Martii anno 1516.

Tuus Christofferus Scheurll doctor.

Nr. 105. 27. März 1516.

An Otto Beckmann.

Cod. G. fol. 90 (151) b.

Ad magistrum Othonem.

Obsequia parata. Unum est quod te rogo, suavissime frater, dispone postam in medio itineris, ut ita litterae meae ad te pervolent: nam si per tabellarios liceat perscribam ad Otthonem quottidie, quottidie enim adferuntur quae ad te referenda sunt. Veronae vel ut alii dicunt Brixiae noster Caesar, pedes ipse et humeris hastam magnanimiter ferens, peditatum omnem ad tris horas lustravit. Audi, mi amabilissime Otto, qua astutia usus sit fortunatissimus simul ac astutissimus dux: pedites omnis sacro adegit veterem simultatem abiicere; deinde Suizeros suos nostris immiscuit ordinavitque, das alle mal nach einem glid lantzknecht ein glit Schweitzer geen sol. Consilium intelligis, hoc tandem pacto Germanis iterum conveniet. Post hoc Casimirum equitatui et maxime Emilianum Elveciis et reliquis peditibus praefecit, quum ipse iterum pedes et hastatus nobilem et fidelem non dico Brienam [531]) sed Brixiam frequentissimo agmine ingressus est. Cogita, obsecro te, bone frater, num putas Germanum militem lacrimas continere et malle sub tanto duce emori quam timide agere? Etiam de nostris Suizaris loquor. Hostes ad unum omnes constructo ponte diffugiunt. Caesar relicta Brixia sua insequitur hostiliter. Wo die feindt ein nacht ligen do leit der frum keyser die andere. Vicerex praeter equitatum mittit auxiliares copias decem milia Hispanorum, accurrit dux Ferrariae; Mantuanus mittit duo milia militum, stipulatur arcubium alere. Veneti obmutescunt, optimatibus Patavinis et Tervisanis imperant pretio-

[530]) Cod. regnicolis. — [531]) So Cod., wohl Bricenam „Treuenbriezen".

siores sarcinulas Venecias traducere. Diabolici Suizari conspirati aliquot centum misere Mediolanum; rursus octo milia Caesar dicitur scribere qui recta Pelizanam pergant et forsan Mediolanum recipiant, ut sibi liberum sit hostem sequi et gentem cum [532]) capite delere vel saltem revocare. Ex ista urbe abiere supra quingentos pedites et uno die septuaginta quinque, quin ex uno artificio der meſſerer circiter centum et viginti. Populus his sacris diebus pro victoria rogavit publice, quin senatus universo clero crastino die processiones publicas indixit: a victore glorioso pendet [533]) nostra salus. Expectant lupi ut gregem catholicum et iustas oves diripiant, expectant excidium et interniciem propriam. Ista velis hesternis scriptis adiungere. Etsi quandoque integro biennio non soleam irasci, attamen commotus invexi contra istos qui ita aperte ad perniciem suam anhelant, nec credo hoc nostro Jeronimo contrarium quin Sancti Galliani [534]) Caesariani sint. Nostri collegae utriusque consultationes in manibus habent et de homine ut viro erudito sentiunt et loquuntur. Rogavi a te certior reddi, cuiusnam sortis uxori mittenda sit ein buſet flaidt. Haec omnia suae praestantiae et imprimis d. praeposito et ceteris amicis communicare poteris quae maluimus tibi significare cum moderamine, quod ita scilicet ad nos transeunter perlata sint, quam omnino silentio praeterire, qui nihil magis optamus quam Otthoni nostro morem gerere et de illo bene mereri. Vale. Nurnbergae 27. Martii anno domini 1516.

Tuus Christofferus Scheurll doctor.

Nr. 106. 8. April 1516.

An Johann Apel.

Cod. G. fol. 93 (154)a. Vielleicht iſt der 10. April das richtige Datum, vgl. Nr. 107.

Ad Johannem Appell [535]).

Obsequia parata et bene agere. Genitor tuus triumviris litteras a te reddidit, sed ut audio petitum tempus impetrare non potuit eo quod locus studii suo arbitratui permissus sit, ipsi vero arbitrentur nusquam fructuosius posse te studere quam in Italia

[532]) Cod. sum. — [533]) Cod. pendit. — [534]) Schurf war aus St. Gallen. — [535]) Johann Apel, ein gelehrter Juriſt, geboren 1486 zu Nürnberg, geſtorben ebenda 1536. Er war 1502 einer der erſten Studenten auf der neu errichteten Univerſität Wittenberg. Als Canonicus in Würzburg heirathete er 1523 eine Nonne, wurde aber deshalb ſeiner Aemter entſetzt und des Landes verwieſen. Darauf ging er wieder nach Wittenberg und wirkte an der dortigen Hochſchule, ſpäter folgte er einem Rufe nach Preußen, kehrte aber 1534 nach Nürnberg zurück.

omnium bonarum artium altrice atque parente. Feras itaque aequo animo et itineri te accingas[536]) magnanimiter: spero, omnia haec cedent tibi et ornamento et etiam emolumento maximo. Videbis hac tempestate Caesarem Augustum in Italia, videbis exercitus maximos et pleraque alia quae aliis videre negata sunt et olim vidisse iuvabit[537]). Si qua in re mea opus habes opera, me tibi offero. Confido te litteras meas ternas misisse ad Otthonem nostrum, quamquam alias video non esse redditas, rogo tamen ut has quoque reddi cures. Scripsi homini amicissimo, se tibi comitem praebeat atque studiorum socium in Italia: gratum mihi faceres, si cum eo de hac re sermonem haberes. Interea vale feliciter, optime vir. Nurnbergae ad VI. idus Aprilis 1516.

Tuus Christofferus Scheurll, i. u. doctor.

Nr. 107. 10. April 1516.

An Otto Beckmann.

Cod. G. fol. 91 (152)b.

Domino Othoni Beckman de Wartbergo, canonico Wittenburgensi, domino ac fratri honorando[538]).

Obsequia fraterna et bene agere et cum Christo ita resurgere, ne ad pristina peccata redeamus, mi amabilissime Ottho. Post proximas litteras nostras, quae te de nostri Caesaris Augusti in Italiam adventu et consiliis etiam coepti[539]) belli edocuere fideliter non dubito accepisse quoque Mediolanum hostibus ademptum esse: nam id etiam nono abhinc die garruli vel forsan nostrarum rerum nimium amantes tabellarii ad nos retulere, quod tamen exitus ipse non confirmat. Unde quantum nobis constat sic habeto. Hostes sub Augusti adventum relicto agro Brixiensi ad flumen quoddam consedere, unde insequentem Maxime-Emilianum[540]) transitu arcere confidebant; sed non absque ingenti strage vi tormentorum repulsi consilium ceperunt Papiae ineundae, nam illic tenditur in Galliam. Sed eo quoque itinere exclusi Mediolanum coacti confugerunt, quos exercitus Austriacus sine intermissione insequens suburbia quidem Mediolanensis urbis cepit atque circiter urbis moenia castra locavit. Hoc modo interclusi sunt et Galli et Veneti, unde non possumus nisi foedissimam stragem exspectare. Helvecii Gallicani ut Vercellas

---

[536]) Cod. acinges. — [537]) Cod. viuabit. — [538]) Diese Aufschrift steht im Cod. am Ende vor der Unterschrift, hier dagegen: Ad magistrum Otthonem. — [539]) Cod. capti. — [540]) Cod. Maximilianum Emilianum. —

venerunt audito statu Italiae rogarunt suos per litteras quatinus se avocarent, quod factum est: nam confoederati omnes coacto conventu publico comportatis etiam pactis et sigillis suis conditiones foederis dudum percussi renovarunt decreveruntque uni tantum principi, Maximiliano scilicet, militare, exceptis forsan Bernensibus, unde Franciscus, Galliarum princeps, non modo frustratus est ducentis 36. milibus aureorum verum etiam trimestri stipendio, quod his octo milibus exsolverat. Quid si pecuniam [541]) etiam petunt quod Gallus eorum opera contra pacta uti voluerit? Cedit hoc quoque Austriaci gloriae quod antea non est auditum, Helvetios sc. absque signis domesticis militasse. Nihil carius in castris Germanicis quam pennae pavonianae: prout quisque strennuus etiam ex his quinque finibus videri vult, ita se coronat redimitque nobilissima penna pavonica. Belgarum princeps Carolus magnus conquisitis undique navibus parat primo quoque tempore in Hispaniam traiicere: ego arbitror quod accepto regnorum diademate per Neapolim Romam, quandoque ad avum contendat, nisi solus deus consilia turbaverit, quod tamen eum facturum non timeo. Hi duo, aquila grandis et pullus, universo orbi brevi dominabuntur. Nomine Braunsuicensis scripti sunt pridie apud nos 400 milites in Frisiam mittendi. Wilhelmus, Ludovicus et Ernestus Bavari cum provincialibus Ingolstadii in praesenti convenerunt [542]). Vilhelmi magistro curiae Heronimo de Stauff, domino de Ernfels, post longam torturam dictus est heri dies, quin affirmant capite truncatum, quod principibus inter multa nefanda venenum statuerit porrigere. Ego nihil aliud tibi consulo quam ut singulis relictis quam primum concedas in Italiam, comitem habebis meum Jo. Appel qui nostro usu de ea re tecum commentabitur. Prius obtuli tibi expensas unius anni et verba arbitreris; libere tibi stipulor ac ingenuo promitto daturum tibi mutuo aureos centum: cura ne tibi turpe desis. Interea vale et me mutuo ama. Nurmbergae 10. Aprilis anno 1516.

Lugduni a Gallo provincias suas repetunt per oratores Anglus et Carolus, ubi etiam convenere Lotharingus, Sabaudiensis, Veneti et multorum principum legati. Paulo post plura scribam. D. cantori, d. Jeronimo, d. Ambstorff, Spalatino, d. praeposito cupio me cum his litteris commendarier plurimum et amicis communibus.

Tuus Christofferus Scheurl, i. u. doctor.

---

[541]) Cod. pecunia. — [542]) Cod. conuenit.

Nr. 108. 13. September 1516.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 93 (154)b.

Ad doctorem Johannem Eckeu.

Obsequia parata. Potes tu quidem, doctissime vir, desiderare litteras Eysenacensis, at humanitatem desiderare non potes in homine qui eruditione aequari consuevit, officio et bonitate quadam ingenuina superari nescit. Putasne agnitum mihi ingenium, mores, vitam? Nisi Eckiana amicitia dignissimum iudicassem scivissemque, nunquam tantopere[543]) tibi commendassem Trutfetterum meum, imo tuum, imo communem amicum nostrum quem non secus quam me ipsum carum habeo, quamquam ut par est longe pluris faciam qui meae nunquam defuit voluntati. Quare ergo non referet in rationarium amicorum Eckium illum in quem summus rerum conditor tantum congessit eruditionis et qui[544]) hinc antecellit probitate[545]), ut inde plures celebres reddi potuissent? Sed dices tu: Admodum tardiuscule mihi respondet tuus Jodocus et qui tarde dat minus dat et qui cito solvit bis solvit, ego vero a prandio rediens ad unicam tuam commendationem sine intermissione litteris hominem lacessivi; non video parem facilitatem, quam in ceteris quoque peculiarem mihi nosti. Recte quidem: numquid hoc quoque verum, quod bene fit non fieri tarde? Forte obstupuit litterarum tuarum Eysenach, forte admirationem auxit actas tenera qui iunior nostro speculatore tanta facis, quem tamen in caelum ferimus quod[546]) nondum 34. annos natus speculum conscripsit. Haec quidem iusta foret excusatio, si qua opus esset. Sed certe litterae Eysenachensis multis diebus apud me habitarunt, quas ideo non curavi reddendas quod sciebam Viennam te abiisse disputationis gratia; nunc autem quia scribis rediisse te incolumem et laudabiliter disputasse, epistolam desideratam mitto, disputationem vero ut iussisti[547]) amicis nostratibus et praeterea Erpfurdensibus et Wittenburgensibus communico, quippe eo me redegit humanitas tua, ut nedum nihil tibi adversum moliar verum etiam profitear pollicearque me laudum tuarum et praeconem et buccinatorem fidelem. Vale igitur, praestantissime vir, et me ama, id quod

---

[543]) Cod. tempore. — [544]) Cod. que. — [545]) Cod. probitatis. — [546]) Cod. quam. — [547]) Cod. iusti.

mutuo facies. Ex Nurmbergo idibus Septembris anno a reconciliata divinitate decimo sexto supra sesquimillesimum.

Tuus Christofferus Scheurll, i. u. d., patriae advocatus.

Nr. 109. (12.?) October 1516.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 94 (155)b.

Ad doctorem Johannem Eckeu.

Obsequia parata. Arbitror doctorem Michaelem Burckhardo nostro sufficiendum fore: hunc sua virtus qua aetatem superat ita commendat, ut mea commendatione nihil opus sit. Quia tamen tuae paternitati iunctus sum non vulgari amicitia, qui in academia Ingolstadiensi praecipua auctoritate polles, et cum Michaele omnia mihi communia sunt, putavi meam commendationem apud Eckium meum illi minime obfuturam, maxime si ex me quoque intelligeres eum non esse hominem ut quendam novimus inconstantem, futilem et ut ille ait ambidextrum, sed potius iureconsultum, eloquentem, integrum, eruditum, qui gymnasio vestro non mediocri futurus sit ornamento. Nos ita hic viximus amice, ut alter alterum offenderit nunquam: quae nempe offensio ubi morum et studiorum non prorsus impar professio? Haec tantum eo pertinent ut scias, si quid in hunc contuleris beneficii aut humanitatis in me quoque contulisse, ut scias unico officio obligasse te utrumque. Vale, doctissime vir, et d. Leonhardo Eckio ac d. Burckhardo cupio me esse commendatissimum. Iterum vale. Nurnbergae decimo [348]) quarto idus Octobris anno salutis 1516.

Tuus Christofferus Scheurll, i. u. doctor.

Nr. 110. 3. November 1516.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 95 (156)a.

Ad doctorem Eysenach.

Obsequia parata et amorem sincerum. Reprehensus aliquando Beroaldus quod Caesarem nostrum Germanorum compellasset respondit inter commentandum aliud eo loci se egisse. Num me quoque multis saepe negotiis obrutum arbitraris, prae-

[348]) Im Datum iſt ohne Zweifel ein Fehler, vielleicht iſt die ſtatt decimo zu leſen.

stantissime vir, aliquando scribendo amicis nihil minus cogitare quam quod ago? In Erhardi litteris nullam tibi ex industria salutem adscripsi quod nolebam te eas litteras scire, ne forte negligentiae me accusares, quod parabam quottidie propriam epistolam ad te dare et quidem de matris obitu qui a litterarum studiis hoc semestri alienum me reddidit. Unde doloris [549]) vi impeditus ornate scribere ad neminem dedi litteras nisi aliena manu. Et ut est fortuna in rebus adversis quam prosperis tenacior, ante decem et septem dies erutus est Benedicto amanuensi meo dexter oculus. Res ita accidit. Praefecti rei militaris nova tormenta probabant, dumque alterum parum caute instruunt, ex improviso et nimis praematuro ictu ceciderunt quatuor, vulnerati vero ex nobis circumstantibus supra quinquaginta: alii brachia alii oculos desiderarunt, hi cerebrum hi dentes amiserunt, miserum sane et horrendum spectaculum! Vidisses mulieres quaeritantes maritos suos non secus ac ex aliqua pugna redeuntes. Haec clades occasio fuit, ut ipse scriberem et transeunter quidem et turbatius, sicut ostendunt verba transposita et signata si recte advertisti. Neque aliud tamen [550]) agere volui quam repetere mutuum, et quia nescibam si quid tibi deberem forte, iussi tibi fieri satis, saltim honoris causa. Sed Hereboredum non [551]) compellavi amicum et ita firmata est dei beneficio amicitia nostra, quod nulla praefatione aut titulis gaudet, nulla protestatione indiget, omnis [552]) testimonii et suspicionis ignara, ita omnibus nota et perspecta quod quisque ab altero rediens aut epistolam accipiens alterius salutandi tacitum mandatum habeat. Ego scio amorem nostrum ita constantem, quod nihil tale suspicatus sum: etiam si multa sinistra de te mihi nunciarentur, minime crederem; novi bonitatem, probitatem, integritatem Eysenaccnsis quae me supra multa delectat, scio te quoque nihil unquam mihi imputasse qui in amando probos viros non lubens cedo aut vincor, et quis unquam amicitiam mecum constituit et desertorem insimulavit? Nosti credo ingenium meum, non quaerito vanam gloriam. Honori sine utilitate Tullius ne digitum quidem monstrandum putabat, et ista pompa funebris num maiorem superstitibus quam decedentibus consolationem affert[553])? Et ne quid nimis: per actus [554]) collegiorum vestrorum statui meo minime congruent nec unquam cogitavi, quod suffragia petii. Quae pientissimae matris animae possent prodesse ea tu

---

[549]) Cod. dolores. — [550]) Cod. tunc. — [551]) So Cod., nostrum? — [552]) Cod. omnes. — [553]) Cod. afferunt. — [554]) Cod. peractos.

per omnes ecclesias praestitisti et ipse quottidie sacrificando praestas [555]): quid ultra facere debuisti? Dubium, si ei quae te genuit Thuringorum lumen et omnis philosophiae oraculum et singulare domicilium tantum praestiteris: ego certe ne dimidium quidem optare ausus [556]) fuissem. Gloriatus sum hanc tuam pietatem ac beneficentiam apud abbatem Sanctae Clarae, quae et ipsa pellectis litteris tuis non potuit tibi non esse grata; certe ut de me dicam in hoc meo aerbissimo casu nihil potuit mihi accidere iucundius, nihil aeque consolationem attulit. Fecerunt hoc ipsum singulari fide cantor et Otto noster. Deus sit merces et retributor omnium vestrum! Interea tibi ago et habeo gratias immortalis cupioque [557]) tibi facere satis Erhardum, modo summam indices. Nihil unquam futurum erit, quod tuo nomine non sim alacri animo facturus: te unum, suavissime patrone, reputo principem et ornamentum omnium amicorum, certe non amas me nisi mutuo. Et leve est et amantem offendit, etsi non constanter amantem. Inde minus volo turbari quod nostram amicitiam ita iudicas, quin potius tibi gratias ago quod tanti eam facis, et rogo, si per imprudentiam argumento fui non recte iudicandi ignoscas, praesertim cum vides multa excusationum genera in medium adferri quibus confido animum tuum mitigatum, quod ut facias cogitabo diligenter de te mereri bene et tibi gerere morem praecipua cura: nihil enim est quod apud me non mereatur inclita virtus tua. Sed de his alias. Otto meus quo die apud te coenare debuit et postea ex itinere de rebus nostris et seniorum animis aliquid ad me perscripsit. Gaudeo sectari te optimam partem id est nullam; officium sacerdotis est tranquillo animo et constanter deo famulari, alia alii curent. Moguntinus Saxones apud Caesarem graviter accusavit iussique Saxones per sententiam reiecta declinatoria Epiphaniae respondere. Deus statum nostrum bene vertat! Propter te unum omnibus Erpfurdensibus afficior. Pfefferkorn utraque lingua summarios edidit universi tractatus sui: si copia dabitur, ad te dirigentur. Intermitto ineptias fratrum minorum contra quas scripsit apologiam frater Caspar Schatzgeyer[558]), vicarius Argentinensis quam solus praepositus legendam dedit, monstravit etiam absurdos commentarios contra theologos, forsan in litteris suis meo rogatu illorum meminit. Ita oportet etiam digladiari bonas litte-

---

[555]) Cod. praestes. — [556]) Cod. iussus. — [557]) Cod. cupio quam. — [558]) Der Titel der Schrift lautet: Apologia Status fratrum ordinis minorum de obseruantia nuncupatorum declaratoria: Aduersus patrem Bonifacium prouincie Francie inmistrum. 42 Blätter in Quart.

ras immo religiosas; quid de alia militia prognosticetur [559]), leges ex scheda. Episcopo, decano, scholastico et compransoribus tuis cupio me commendari plurimum ac rogo in me esse velis qui semper fuisti: itidem ego futurus sum in secula seculorum. Vive et vale, eruditissime vir. Nurnbergae tertio nonas Novembris anno 1516.

Tuus Christofferus Scheurl.

Nr. 111. 18. November 1516.

An Johann Cochleus.

Cod. G. fol. 63 (101)b.

Ad dominum Johannem Cocleum [560]).

S. p. d. Communi amico praeposito Divi Laurencii utor familiariter: est mihi nempe eius ovilis pastorum conversatio paene peculiaris hereditariaque. Apud hunc de te utpote viro bono et erudito creber sermo incidit, praesertim in tractatu usurario, quin et litteras tuas quandoque communicat. Unde cogitavi ego quoque ad te scribere, Bononiensis ad Bononiensem, amicus ad amicum, qui studia tua opto bellissime proficere quae patriae et amicis futura sint ornamento, qualium praepositus se gerit praeconem ac buccinatorum nec dubito fidelem atque veridicum. Alterum scribendi argumentum obtulit Iheronimus Holtzschuher noster, qui et ipse tuo confisus patrocinio ad vestrum mittitur mercatum litterarium. Hunc certo scio ob patris auctoritatem, probam indolem, et bonitatem tuam haudquaquam mea indigere commendatione; puto tamen diligenter te rogandum ut vel meo quoque rogatu discipulum ingenuum ita fideliter commendatum suscipias, ut optimus parens sentiat me dulcissimi filii causam apud te egisse diligenter. Si quid praeterea apud vos editur Latine vel vulgariter, potissimum de diutino nostro bello, hoc velim mihi communicarier. Quod si qua in re tibi possum gerere morem, tam faciam libens quam qui desideranter optet: interea mitto quae apud nos circumferuntur vaticinia. Vive et vale felix, optime vir. Nurenbergae XIIII. kalendas Decembris anno millesimo D. XVI.

Christofferus Scheurl, i. u. d., patriae advocatus.

---

[559]) Cod. prenosticetur. — [560]) Johann Cochleus (nicht Cochläus zu ſchreiben), eig. Dobeneck, aus Wendelſtein bei Nürnberg, hielt ſich damals in Bologna auf.

Nr. 112. 10. December 1516.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 64 (102)b.

Ad doctorem Eysenach.

Obsequia parata. Arbitror, eruditissime doctor, amicorum suavissime, haud facile ob aliam causam maiores nostros tarde constituendas ineundasve amicitias praecepisse quam quod censuerunt [501]) non passim reiiciendos sed probandos esse qui amicitiam conciliare exoptant: id autem dicimur probare quod non semel sed iterum gustamus experimurque nec refert si quid initio [502]) ad stomachum non faciat atque palatum, modo postea sapiat. Numquid domus gemmarii [503]) plus intro instructa est quam foris ostentet? Scio quidem invitis canibus venari sicut invitis bovibus [504]) plaustrum ducere admodum difficile. Non me fugit, ut tuis verbis utar, invita Minerva, refragante ingenio, non favente caelo, repugnante natura quam lente omnia succedant. Hinc Plautus invitam nuptam hostem appellat, et apud Senecam male respondent coacta ingenia. Sed videamus, numquid satis sit dicere: Istius amicitia non placet, numquid Minerva possit errare vel saltim sincerius informari. Quod tarde fit, etiam fit; certe qui dixit: Tarde fias amicus, non dixit: Nunquam fias amicus. Tu non consuevisti esse qui in amico omnia ad unguem desideret polita: ut homo est, ita morem geris. Non omnia possumus omnes, nihil est ab omni parte beatum, non omnibus datum est Jodocus esse aut Georgius [505]) de quibus dicere soleo: Non tam ovum ovo, non tam lac lacti simile, non tam aqua similis aquae. Certe non usquequaque delicate et exquisite amarunt adagiorum inventores quae habent: Multas amicitias! unus deus et plures amici; ubi amici ibi opes, et: Novos parandos amicos. Commovit me aliquando celebris Eckii fama Ingolstadium declinandi: adii hominem qui me nondum facie sed nomine quoque agnitum humaniter excepit, benigne ad hospitium prosecutus est, super coenam tam familiariter interlocutus est, tam ardenter tuam amicitiam desideravit quod ego mox adactus sum sententiam meam mutare. Idem aliis puto accidere posse. In lucubrationibus suis Eysenacum citat, allegat, praedicat; si dissentit, forsan ideo facit ut ceteris accuratius [506]) subscribere videatur, et quandoque bonus dormitat Homerus vel ipse errare potest,

---

[501]) Cod. censerunt. — [502]) Cod. mitto. — [503]) Cod. gemmaticij. — [504]) Cod. bombi. — [505]) Trutvetter und Behaim. — [506]) Cod. accuratus.

quum homini nihil tam confine quam error, quot homines tot capita, tot sententiae, et in istis scholasticis quisque pro arbitrio libere sentit. Apud eos, quorum tu ferme principatum tenes, locus ab auctoritate debilissimus est et negarier non valet. Audio in Eckio celebrari ingenium versatile, extemporaneum et plane divinum; doctos doctus ipse amat, colit, suspicit, adorat; tantum sibi tribuit ut reliquis [567]) professoribus nihil detrahat; de te liberaliter loquitur, scribit, sentit, te appellat virum extra vulgi aleam eruditum. Nuper abeuntem per litteras diligentissime et quidem sponte rogavit, curarem vigilias suas ad te deferri [568]), curarem sibi retineri vel ultimum locum inter familiares tuos [569]) nihil magis optanti quam me parario necti ac vinciri amicitiam vestram vinculo indissolubili. In quam rem non multis utor haud ignarus ingenii tui qui meae voluntati nunquam defuisti, qui omnes meos tuos putas, qui nihil minus hominis arbitraris quam non respondere in amore ei a qui provocere, non immemor veteris verbi: Nihil recusandum quod donatur quod Itali dicunt: Al cavallo donato non guardar in bocca. Petit praeterea Eckius reddi certior, si Andreas Alexander Ratisponensis mathematologium [570]) super physica Aristotelis ediderit, et editum sibi communicarier qui illius scripta in logicam non vulgariter sibi profuisse testatur. Quod ad me adtinet, mitto tibi acta Pepericornea: si parum curaveris, scio praepositum meum ea vehementer desiderare. Is te et omnis tuos una mecum salvos exoptat. Vale et vive felix meque ut soles mutuo ama. Si Otto apud te agit, quidquid in eum contuleris humanitatis in me contulisti, qui una cum Eysenacensi est mel et deliciae meae, quicum omnia mihi communia. Iterum vale, integerrime vir. Nurmbergae ad IIII idus Decembris anno etc. 1516.

Tuae paternitatis devotus Christofforus Scheurlus, i. u. doctor.

Nr. 113. 14. December 1516.

An Nikolaus Kratis.

Cod. G. fol. 66 (104)a.

Domino Nicolao Kratis thoologo, provinciali servorum Mariae etc.

Obsequia parata. Petituri fratres tui Romam, reverende pater, egregie vir, salutem mihi verbis tuis adscripsere quae mihi admodum grata fuit. Unde sentias [571]) me tibi obligatum

---

[567]) Cod. reliquos. — [568]) Cod. desetori. — [569]) Cod. tuas. — [570]) Cod. Mathemalogium. — [571]) Cod. sentis.

quod tanto temporum et locorum intervallo ex amicorum rationario me non cancellasti, et rogo si paternitas tua aut qui ex tuis sunt mea opus habuerint opera non dedigneris illa uti: ego alacriter et liberalissime tibi illam impendam cui dare beneficium accipere est. Habitavi aliquando domum tuam, erit domus mea diversorium atque habitatio quamquam exigua omnium Marianorum, modo in eam divertant: non deerit caritas, non benivolentia, non gratitudo. Interea mitto quae ex officina mea nuper prodiere et sub incude nostra litteraria inter forenses occupationes excusa sunt, quae te brevi lectione dignaturum non diffido; mitto etiam quae de bellis praedicuntur, si forte magis nova placeant. Super omnia rogo, in tuis conventus orationibus commendatam [172]) habeas animam Helenae, piissimae matris meae, quae nuper defuncta est, non absque maerore et multis lacrimis nostris. Vale, pater optime. Otthonem Beckman, Wittenbergae canonicum, fratrem meum, cupio salvum tibique commendo. Datum Nurnbergae 14. Decembris 1516.

Christofferus.

---

[172]) Cod. commendata.

Druckfehler.

Seite	30	Zeile	1	lies 1506, ſtatt 1505.
-	31	-	24	- cupiam.
-	37	-	11	- Bentivoli, optimates.
-	38	-	16	- captam ſtatt acptam.
-	66	-	7	von unten lies viginti.
-	76	-	26	lies quin.
-	79	-	16	von unten lies dixissem.
-	94	-	7	- - - Vittenberga.
-	96	-	4	- - - rogavi.
-	104	Anm.	301	lies amicicie.
-	157	Zeile	17	lies viduae, utrique.

Christoph Scheurl's Briefbuch,

ein

Beitrag zur Geschichte der Reformation und ihrer Zeit,

herausgegeben

von

weil. **Franz** Freiherrn **von Soden,**
Fürstlich Schwarzburgischem Oberstlieutenant a. D. zu Nürnberg,

und

J. K. F. Knaake,
Lehrer und Prediger am Cadettenhause in Potsdam.

Zweiter Band.

Briefe von 1517 — 1540.

Potsdam.
Gropius'sche Buchhandlung (A. Krausnick).
1872.

Vorwort.

Erſt ſpät folgt der zweite Band von Scheurl's Briefbuch dem erſten: mancherlei Umſtände traten ſeiner Vollendung hinderlich entgegen. Inzwiſchen iſt der Urheber des Unternehmens, der auf dem Titel zuerſt genannte Herausgeber, aus dem irdiſchen Leben geſchieden. **Franz Ludwig Freiherr von Soden**, Sohn des fürſtbiſchöflich-würzburgiſchen Majors und Hofcavaliers Karl Auguſt Freih. von Soden, ward am 12. Auguſt 1790 auf dem väterlichen Gute zu Kitzingen geboren. Zu Würzburg in dem adeligen Knaben-Seminar gebildet, bezog er nach kurzem Aufenthalte im Alumneum zu Ansbach die Univerſität Altdorf, um ſich dem Studium der Naturwiſſenſchaften zu widmen. Die bald erfolgende Auflöſung derſelben führte ihn zu der militäriſchen Laufbahn: er trat 1810 als Unterlieutenant in die Dienſte des Fürſten von Schwarzburg-Sondershauſen. Sein tapferes Verhalten ſowohl in dem Kampfe Napoleons gegen England als dann in den Freiheitskriegen gegen Napoleon erwarb ihm Anerkennung und Auszeichnung. 1813 zum Premierlieutenant, nach dem Frieden zum Hauptmann befördert, mußte er bald, durch einen körperlichen Unglücksfall genöthigt, den Militärdienſt verlaſſen, aus welchem er als characteriſirter Major ausſchied. Das Wohlwollen ſeines Fürſten ertheilte ihm ſpäter noch den Character als Oberſtlieutenant und ernannte ihn zum fürſtlichen Kammerherrn. Durch ſeine Vermählung mit Fräulein Caroline von Scheurl im Jahre 1828 ward er nach Nürnberg gezogen und nahm dort ſeinen bleibenden Aufenthalt, von jetzt an bis zu ſeinem Tode mit hiſtoriſchen Arbeiten beſchäftigt. Am 17. October 1869 ſtarb er auf dem Scheurl'ſchen Familiengute Vorra bei Nürnberg nach kurzem Krankenlager, nachdem er ſich durch ſeine geſchichtlichen Werke [1]) ein bleibendes Gedächtniß geſtiftet.

Das Briefbuch, deſſen Schlußband hier erſcheint, hat in Betreff des erſten Theiles und ſeiner Herausgabe die eigenthümlichſten Beur-

---

[1]) Es ſind: Chriſtoph Scheurl II. und ſein Wohnhaus in Nürnberg. Nürnb. 1837. Beiträge zur Geſchichte der Reformation und der Sitten jener Zeit mit beſonderem Hinblick auf Chriſtoph Scheurl II. Nürnb. 1855. Kaiſer Karl V. in Nürnberg. Nürnb. 1858. Kriegs- und Sittengeſchichte der Reichsſtadt Nürnberg vom Ende des 16. Jahrh. bis zur Schlacht bei Breitenfeld 7./17. September 1631. 3 Bände. Erlangen 1860. 1861. 1862. Guſtav Adolf und ſein Heer in Süddeutſchland von 1631—1635. 3 Bände. Erlangen 1865. 1867. 1869.

theilungen erfahren. Was man Alles von uns verlangt, erſieht man aus dem „Literariſchen Centralblatt für Deutſchland, 1868". S. 158 f., wo der Wiſſensdurſt des Recenſenten zu wenig befriedigt wird, weil kein Wort über den Zuſtand der Quellen verlautet: wir ſollten nach ihm das Aeußere der Handſchriftenbände, aus denen die Briefe entnommen ſind, beſchreiben und über ihren Zuſammenhang mit den übrigen Schätzen des Scheurl'ſchen Familienarchivs Auskunft geben. Nun, das wäre vielleicht eine jahrelange Arbeit für das „Serapeum" geweſen, und ob das wohl in Folge ſolchen Wiſſensdurſtes im Publikum zu erſcheinen aufgehört hat? Die Codices, die wir benutzt haben, können unter den von uns gegebenen Bezeichnungen im Germaniſchen Muſeum, wo ſie aufbewahrt werden, jederzeit beſtimmt aufgefunden und bei der freundlichen Haltung des Vorſtandes genannten Inſtituts auch eingeſehen werden. Ein anderer Vorwurf wird uns a. a. O. daraus gemacht, daß wir nur eine Auswahl aus Scheurl's Correſpondenz geben, ohne die Grundſätze darzulegen, nach welchen dabei verfahren iſt. „Wiſſen möchten wir gern, heißt es da, was eigentlich die Herausgeber für unwichtig gehalten haben, um das oder jenes zurückzuhalten." Wir haben das verſäumt, und ich hole es jetzt kurz nach: ausgelaſſen ſind die Briefe, die nur ganz untergeordnete Verhältniſſe berühren, wie die Beſorgung eines Lehrherrn für den Sohn eines Freundes, der Apotheker werden will, und die Stellen, welche nach Art damaliger Gelehrten-Correſpondenz in größerem Umfange nichts als lateiniſche Redensarten enthalten; aufgenommen dagegen iſt Alles, was irgendwie zu Staat und Kirche in Beziehung tritt und was ſonſt für die Städte- und Familiengeſchichte von einiger Bedeutung ſein kann. Da wir jedoch nicht eine vollſtändige Sammlung der Briefe Scheurl's zu geben beabſichtigten, ſo haben wir uns auch nicht auf Nachforſchung in anderen Archiven eingelaſſen und diejenigen nicht wieder abgedruckt, welche ſchon, wie in Seidemann's „Erläuterungen zur Reformationsgeſchichte, Dresden 1844", durch den Druck veröffentlicht worden; hierin iſt nur eine Ausnahme gemacht mit den in „Luthers Briefwechſel von Dr. Burkhardt, Leipzig 1866" und in Dr. Preſſel's „Nicolaus von Amsdorf, Elberf. 1862" befindlichen Schreiben, welche v. Soden ſchon früher dem Briefbuche zugewieſen hatte. In Betreff der Inhaltsangabe für die einzelnen Stücke gebe ich dem Recenſenten zu, daß ſie zur Erleichterung bei der Benutzung beitragen kann, ſowie er zugeben wird, daß ſie auch leicht den Forſcher irre führt: gerade bei Scheurl's brieflichem Nachlaß gehört das genaueſte Eingehen in ſeine vielfachen Beziehungen dazu, um da nichts Falſches hinzuſtellen, und es ſchien daher beſſer, davon abzuſehen. Der hier angedeutete Character der

Scheurl'ſchen Briefe wird beſonders in der flüchtigen Recenſion im „Theologiſchen Literaturblatt, 1868" S. 341 f. verkannt, deren Verfaſſer, weil er in den Schreiben an Staupitz nichts kirchlich Bedeutendes gefunden hat, darum den erſten Band als überflüſſig für die Geſchichte der Reformation und ihrer Zeit verwirft. Solchem Urtheil darf ich getroſt neben der zuerſt genannten Recenſion, wo unſer Unternehmen trotz der berührten Ausſtellungen als „verdienſtlich" bezeichnet wird, die Worte der Glaſer'ſchen Jahrbücher 1868, S. 168 entgegenſtellen: „Der bisher allein erſchienene erſte Band (bis 1516) enthält des Neuen und Intereſſanten genug, und es wird Aufgabe der Wiſſenſchaft ſein, denſelben für die Geſchichte der der Reformation zunächſt vorausgehenden Zeit auszunutzen." Wenn hier aber auf die Werke Hutten's von Böcking hingewieſen und unſere Ausgabe damit verglichen wird, ſo geht man zu weit; auch der Meiſter in der kritiſchen Herausgabe eines Schriftſtellers hat das weniger durch die Unterſtützung und Theilnahme des Publikums als durch die ſchweren Opfer des Verlegers zu Stande gebracht. Von einem Kenner der benutzten Handſchriften, wie es ſcheint, wird in der „Hiſtoriſchen Zeitſchrift, herausg von H. v. Sybel, 1868" I. S. 195 das Briefbuch als „eine überaus dankenswerthe Publication, welche wohl geeignet iſt, nach den verſchiedenſten Seiten hin ein lebhaftes Intereſſe zu erregen", empfohlen, und freue ich mich namentlich, hier einige beſondere Ausſtellungen mit Sachkenntniß und näherer Prüfung des Einzelnen begründet zu ſehen. Noch in anderen Blättern, ſelbſt in einer franzöſiſchen Zeitſchrift, iſt unſer Unternehmen bewillkommnet worden, deren Urtheile näher anzugeben unnöthig erſcheint.

Für die etwaigen Beurtheiler des jetzt gebotenen zweiten Bandes von Scheurl's Briefbuch bemerke ich, daß uns nicht verborgen geblieben iſt, wie wenig die ſachlichen Anmerkungen genügen: aber die Grenze iſt da ſchwer zu finden, am beſten wären ſie ganz fortgelaſſen. Indeß, da der Weg einmal betreten war, ſo erforderte die Ebenmäßigkeit des Ganzen, auch darauf zu beharren. Man wolle daher über die wenigen Zeilen, auf die kein Gewicht weiter gelegt wird, hinwegſehen und nur die eigentliche Gabe in's Auge faſſen: nicht die Noten, ſondern die Briefe ſollten ein Beitrag zur Geſchichte der Reformation und ihrer Zeit ſein. Freunde derſelben, ſowie Scheurl's insbeſondere, weiſe ich zugleich hin auf die „Jahrbücher des deutſchen Reiches und der deutſchen Kirche im Zeitalter der Reformation", die zuerſt des Letzteren „Geſchichtbuch der Chriſtenheit von 1511—1521" bringen werden.

K. Knaake.

Bemerkungen zum erſten Bande.

Zu S. 11. l. Z. **marchio Delphinati** fehlt die Note: „So im Cod. ſt. **marchio del Finale**". — S. 20. Z. 9. v. u. iſt die Lesart des Cod. „**Wartenberg**" in den Text aufgenommen; es müßte aber, wie S. 131 geſchehen, dafür „**Wurtenberg**" geſetzt ſein. — **Dacia** ꝛc. hätte nirgends in **Dania** verändert werden ſollen, da jenes Wort im 16. Jahrhundert für „Dänemark" gebraucht wird.

Nr. 114. 2. Januar 1517.

An Martin Luther.

Cod. G. fol. 66 (104) b. Schon abgedruckt in Dr. M. Luthers Briefwechsel, herausgeg. von Dr. C. A. H. Burkhardt, Leipz. 1866. S. 3. f.

Ad Martinum Luder, theologum scholae Augustinensis apud Wittenb. etc. [1]).

Obsequia parata. Augustiniana professio, inclita virtus et celebris fama tua, reverende pater, ita me tibi singulatim devinciunt [2]), ut magnopere cupiam tibi fieri amicus et in rationarium tuorum familiarium inscribi. Cum communi parente et vicario nostro, quantum per utriusque occupationes licuit, conversatus sum quandoque totos dies et aliquando noctis partem; de tua praestantia, bonitate, eruditione creber sermo incidit; praeter Martinum, Othonem et Ambstorff parum desideravimus. Praedicavit autem amicissimus noster executionem aeternae praedestinationis tanto quidem populi applausu, tanto concursu, quantum vix dicere audeo, quantum ecclesia vestra [3]) saepe capere non potuit. Qui ingenio apud nos praestant, hominis eloquentiam, maturitatem, dexteritatem laudant, admirantur et ut uno verbo dicam publice asserunt huius simile antea non audisse; omitto quod alii Pauli discipulum immo linguam, alii evangelii praeconem et verum theologum cognominant: haec longe clariora reddidere humanitas affabilitasque. Non modo honesti cives sed et optimates et certe qui reip. prima gubernacula tenent pulchrum duxere [4]) sese illius familiaritati insinuare, quin honorem reputarunt se ipsos exhibere hospites et non invitatos cum doctore Staupitz cenare; qui id conciliarunt, gratiam consecuti sunt et consecutam auxere. Tantum huic senatus adficitur, quod parum non sit [5]) impetraturus. Hoc quinquennio quo patriae servivi tam amice, tam sincere, tam benivole nemini honores sunt exhibiti; tota civitas exspectat redeuntem: omnia cum ordinis nostri ingenti gloria. Quod ad me attinet, fui quidem

---

[1]) Die Ueberschrift fehlt bei Burkh. — [2]) Cod. deueniunt. — [3]) D. i. der Augustiner. — [4]) Cod. dixere. — [5]) Cod., Burkh.: non sit non.

multo tempore Augustinensis [6]), certe factus sum modo Augustinensibus: quisque ultimus ex secta vestra semper me habebit mancipatum ac deditum. Rogatu autem amicorum ad dei gloriam et Augustinensium salutem sermones Staupitzii in viginti quatuor capita distincti et fideliter traducti sunt, quos populus utraque lingua publicandos accessu paucorum dierum sed magno assensu exspectat [7]): quae omnia speravi tibi voluptati fore, unde tibi scribenda duxi, rogoque ut in bonam partem interpreteris et pro Helena defuncta matre aliquando sacrifices. Sed meam tibi operam non offero, quum sim totus tuus. Vale, pater praestantissime. Nurnbergae VI. [8]) nonas Januarias 1517.

Christofferus Scheurll, i. u. doctor.

Nr. 115. 14. Januar 1517.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 67 (105) b.

Ad doctorem Eckium.

Obsequia parata. Celebris fama tua nunciavit nobis doctrinam tuam, humanitatem coram expertus sum; amicitiam praeoptavi qui semper in deliciis habui bonis viris coniungi, unde melior reddi possem. Scivi parvitatem meam tuae praestantiae imparem; studui imbecillitatem supplere amicos praestantes si tibi coniungerentur. Quod meus Eysenacensis tua familiaritate laetus fruitur et munera tua, testes ingenii et mutui amoris, gratus accepit, ex litteris eius intelliges; quod meus praepositus Laurencius te praedicat, te celebrat, te colit, testatur epistola, quam non semel sed iterum nobis pollicitus est ad te dare. Quid plura? Amor omnis requiei impatiens est, omne otium nescit. Professus sum quinquennio in academia Wittenburgensi, recenti quidem sed certe litterata, et ita professus sum, ut si qui ingenio praestent mihi adficiantur. Inter theologos eminent Martinus Luder Augustinianus qui epistolas Tharsensis miro ingenio commentatur, Andreas Bodenstein Carlstadinus, Nicolaus Ambstorff, Johannes Feltkirchen et plerique alii: si horum familiaritati placet insinuari, scito, si quid possunt utrique nostrum posse. Vicinos Lipsenses et Franckfurdenses praetereo, quibus etiam virtus tua cognitum te fecit. Ego gaudeo undique ami

---

[6]) Burkh. verdruckt: Augustinus. — [7]) Sie erſchienen in demſelben Jahre lateiniſch und deutſch, vergl. Staupitii opp. ed. Knaake I. p. 136. — [8]) So Cod. ſt. IV.

citias conciliare, hoc amoris tributum reputo. Mea opera nihil communius Boemo [9]) et Eysenacensi, etsi nunquam se videre; sed saepe dico: Si unum vides, alium vides. Amicissimus meus Johannes de Staupitz hunc sacrum adventum apud nos praedicavit et magno quidem populi favore executionem aetarnae praedestinationis; ego traduxi et utraque lingua edo, tibi quoque missurus [10]) sicut et scedas tuas praeposito, Pirckhamer, Erffurdensibus et Wittenburgensibus communicavi qui sum eruditionis et humanitatis tuae praeco, bonitatis vero discipulus. Vale. Nurnbergae 14 Januarii 1517.

Tuus Scheurllus doctor.

Nr. 116. 21. Januar 1517.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 69 (107) a.

Ad doctorem Eysenach.

Amorem filialem. Quod, doctissime vir, officium meum multis verbis extollis, nil opus est, quia magis debitum est; ago tamen gratias quod partis meas agis: te ex multis colui cuius conversatio nonnisi meliorem me reddere potuit, nihil unquam erit in quo tibi deero. Sermones d. Sebastiani Wyman, promotoris et antecessoris tui, paratus est Johannes Koburger formis excudere, modo ut scribis aequa conditio offeratur. Nam varii et omne genus sermones et forte aliqui absque multa dignitate circumferuntur. Oportebit igitur exemplar ad nos mitti, simul et perscribi animum vestrum, maxime si commodum esset ducentos libros iusto pretio emere. Consulo nostro praeposito opus commendari: is apud Koburger auctoritate pollet, unde non posset nisi aequior conditio offerri. Si qua praeterea mihi facienda erunt, maxime gratum habebo episcopo Paulo et tibi servire. Modo conditionem Erhardi Etzlauben accipe. Is media Erpfurdia natus in parochia Divae Mariae e regione templi in aedibus zum Schuchzagel non longe ab his quas olim Zigler habitabat in via quae ducit ad Sanctum Johannem In der futter gaſſen, ut primum per aetatem licuit a comite de hohen Zorn, postea episcopo Augustensi, intitulatus sub Erico duce rectore incendii tempore in maiori collegio profecit, magistrum Nicolaum Andreae in Porta Celi praeceptorem habuit, nullo doctrinae gradu insignitus est. Apud nos iam quadriennio sustinetur accitus

[9]) Behaim. — [10]) Cod. missuros.

infirmos curare, raro cum doctoribus curae adhibetur, apud populum curiosum victum suspenditat, vulgo cognominatus Compaßmacher; nullam mercedulam spernit, quum alioquin medico sub primum accessum aureus solvatur. Callet aliquid in geometria: provinciam, distantias locorum et id genus metitur ac senatui depingit, describit, edit etiam, homo de qui nihil sinistri constat, quin potius humanus, affabilis, nam de doctrina nescio, sperat tamen apud Caesarem gradum assequi. Unde propter patriam et professionem vel forte ut lucubrationes suae in eum modum sint vendibiliores titulos quaeritat, et quamquam meo iudicio ista ad cognomentum physici Erpfurdensis non sufficiant, respondit tamen perbenigne se academiae vestrae non futurum dedecori, paratissimum autem gererc morem, si ultra haec recalcitretur non multum curaturum titulos. Ab E. Subolter etsi male solutam pecuniam meam, ita tamen ut tibi ante omnia prius satis fiat, una cum libris tuis exspecto. Hominem dudum scivi in maxima auctoritate omnia posse; vir admodum doctus, non strictae conscientiae, propterea minime scrupulosus, humanus tamen ac tractabilis quibus colitur, summo vult stare loco, omnis societatis impatiens: sed ista est fortunae inconstantia. Eckius litteras tuas accepit; praepositus te resalutat. Praesulis, abbatis decani, scholastici, singulorum compransorum ac praecipue Jodoci Jonas benivolentiam gratissimo animo accepi: ut me his plurimum commendes [11]) te oratum velim, nihil gratius hoc tempore facere potes. Si quid possum, scito me vobis omnibus posse. Nurenb. 21. Januarii 1517.

Doctor Scheurlus.

Nr. 117. 22. Januar 1517.

An Johann von Staupitz.

Cod. G. fol. 70 (108)a.

Ad doctorem Johannem de Staupitz.

Obedientiam filialem. Si paternitas tua pro meritis apud nos affecta esset honoribus, quemadmodum audio et libenter audio te Koburgi de nostra rep. et eleemosyna pleraque dixisse egregia, gratissimum mihi foret, maxime si nostram benivolentiam reditu tuo confirmaveris. Quottidie rogor ac si a consiliis tuis essem, ubi agas, quam belle valeas, quando redeas, possitne aliquid tuum reditum intercipere. Tam tibi devotus, tam te

[11]) Cod. commendas.

exspectat avide hic populus quam vix dici potest. Prout quisque praestat ingenio, prout quaeque matura sapit, ita de te praedicat, ac si tu is sis qui salvum faciet populum Israhel. Publicae devotionis argumentum fuit quod tractatus executionis tantopere efflagitatus [12]), ne dicam importune expectatus est: priusquam publicaretur, implevit fama eius totam fere urbem. Latinus imprimitur; interca accipe traductionem nostram. Sermones canticorum volente deo diligentius traducemus, si tamen in rebus tuis a nobis diligentia aut fides desiderari potest. Consobrina mea Helena Ebuerin te non adiit, vere magis ex pusillanimitate quam negligentia, quod erubuit tantum patrem alloqui, quod tam ingenuae amicitiae se imparem longe agnoscit, quod ultimis diebus propter infantulum domi se continuit, quod antea occupatissimum noluit molestare et super omnia quod scivit te rediturum, quod ut primum fiet intelliges devotionem universae domus Ebnerae. Interea meo rogatu habe nos excusatos, cuius gratia dimisso senatu coenobium accessi, cum tu [13]) alia porta abscederes. Praeterea reverentiam tuam rogo, quatinus in suis et suorum orationibus communem matrem commendatam habeat: hoc gratissimum mihi erit. Cupio praeterea illustrissimo principi Federico non vulgariter commendari, ex cuius familia me adhuc reputo. Ottonem meum velim tuo consilio Italiam commode posse ingredi: si quid in hunc contuleris humanitatis, in me duplum contulisti. Communem matrem et compatrem cum uxore cupio esse salvissimos, pariter et communes amicos Wittenbergenses, imprimis Hieronimum, Ambstorff, officialem. Decanicam optat cantor aedificare, nisi resisteret decanus. Reliquam conditionem Wittenb. non opus est perscribere. Expecto paternitatem tuam cum patre Wenceslao et Otthone. Interea cupiunt te communes amici valere optime. Datae Nurmbergae 22. Januarii 1517.

Unum praeterire nequeo: nam videtur mihi princeps canonicis multum favere, forsan ob eorum ingratitudinem ne graviori verbo utar, et doleo esse homines rigidos, austeros, illiberalis, non quales ego optarem [14]) humanos, tractabiles, qui norunt accomodare se tempori et foro paratos: certe a principe nihil non impetrarent. Quodsi talis mihi contingeret dominus, aestate fruerer accelerantis hiemis non immemor. Audio praepositum voluisse tria milia dare, si iurisdictio offerretur: ego

---

[12]) Cod. efflagitans — [13]) Cod. tua. — [14]) Cod. optare.

accepissem pecuniam, sed sunt qui suo ntuntur capite etsi non absque incommodo.

Nr. 118. 22. Januar 1517.

An Caſpar Güttel.

Cod. G. fol. 71 (109) b.

Doctori Caspari Kutel [15]).

Obsequia parata. Singularis devotio mea in ordinem tuum, reverende pater, argumento mihi fuit ad te scribendi tanquam litterae non ingratae tibi futurae essent amore communis praesulis patris vicarii, apud quem filii loco habeor. Gratulor autem imprimis doctrinae gradum [16]) te accepisse dudum meritum: hoc modo maiori authoritate exspectamus te nobis evangelium praedicaturum, tametsi antea authoritatem tuam scio fuisse maximam. Nec dubito audisse te, quanto populi assensu apud nos concionatus sit humanissimus vir doctor Staupitz. Testantur hoc lucubrationes suae: multo tempore nullum opus tam ardenter ne dicam importune exspectavit sibi edi populus iste. Omnis aetas, omnis sexus hunc colit, adorat; optimates huic amicos esse honorem ducunt: ut quisque eminet ita cupit de sua paternitate mereri bene. Inter haec unum nos cruciat, angustia templi vestri: cetera omnia ex voto succedunt, modo cito et salvus redeat. Libellum executionis aeternae praedestinationis rogo tua opera reverentiae suae praesentari: mox Latinum quoque transmittam. Cupio animam piissimae matris nuper defunctae tuae et tuorum devotioni esse commendatissimam. Si qua in re tibi possum gerere morem, uteris me ut fratre tuo. Priorem cum fratre Conrado Klinger cupio salvere et vos omnes valere. Nurnbergae 22. Januarii 1517.

Nr. 119. 27. März 1517.

An Ulrich von Dinſtedt.

Cod. G. fol. 97 (158) b.

Ad doctorem Udalricum de Dinsthet.

Dominationem tuam salvam esse vehementer desidero qui amicorum meorum decus es, mel et deliciae meae, praestantissime

---

[15]) Caſpar Güttel, zu München geboren, trat 1514 in das Auguſtinerkloſter in Neuſtadt an der Orla, ward 1515 nach Eisleben berufen und erlangte 1517 den Doctortitel. Er ſtarb 1542. Vgl. Krumhaar, die Grafſch. Mansfeld S. 68 f. — [16]) Cod. doctorine gradu.

addo etiam humanissime vir. Ex litteris tuis accepi concanonicos [17]) tuos tandem in statuta illa rigorosa assensisse, te vero diutius deliberare velle [18]). De qua re ego [19]) tantam difficultatem non facio, imprimis non sum ignarus leges hasce non duraturas, modo quae brevia sunt importabilia non sunt, et eo redacti sunt mores hominum, ut longe facilior sit descensus quam ascensus. Quid ergo impedit vitam sanctissime arctissimeque vivendam [20]) instituere, quae sponte sua labitur in malum? Praesulis vestri auctoritas in dictando iure magna est, sed circa divinum cultum tanta, ut eam te nollem sequi. Si omnibus ita decretum est quod unus aut duo recalcitrant, numquid frustra contradicunt proverbio Italico: Quod vendi non potest, donari consuevit? Quid dicam de fundatoris indignatione? numquid istic dissensio [21]) podagram et avaritiam acueret? Scio quidem te natum prorsus ingenuum [22]), sed non ita natum arbitror, ut amplis sacerdotiis frui et prorsus liber nihil agere velis. Beneficium datur propter officium, quod melius me nosti sicut et illud quoque: Potentes potenter tormenta patientur. Pono te ingenuam adolescentiam non dedicasse famulicio divino, fuisse ovibus scandalo, non satis gratum fuisse deo qui per omnem aetatem liberalissime tecum egit: forte per hunc modum decrevit te deus reddere tibi, imo sibi. Videns non semper tibi vivendum, sed aliquando et quis scit an hodie reddendam esse rationem exactae vitae, numquid velles tum fuisse te Chartusiensem? Novimus te virum: quae aliis tolerabilia sunt, tibi cur molesta erunt, qui durissima legendi provincia exoneratus es, quem debilitas, impedimentum et iusta causa, semper excusat? Et forte mitius tecum agetur propter antiquam parochiae possessionem. Invitet te templum sanctum quod ego tantopere amo peculiarem certe sedem caelestium [23]) omnium; invitent te consortia tot probatissimorum hominum, nec maneat homo terrestris et si qui sunt similes nescio cui utiles; conversatio tua in caelis sit. Vita haec peregrinatio est, quid refert unam noctem male quiescere? Sic placuit deo: multum non vivemus sed moriemur. Quod ad censum Gallinacensem attinet, laudo consilium et industriam tuam qui pari fide et diligentia oves pascis et iura ecclesiae tueris. Imaginer non posse doceri civium tuorum titulum neque praedecessores tuos percepisse [24]) laudemium

[17]) Cod. concanicos. — [18]) Cod. vellem. — [19]) Cod. ago. — [20]) Cod. sanctiss. arctisque viuenda. — [21]) Cod. dissencio. — [22]) Cod ingenium. — [23]) Cod. celestem. — [24]) Cod. percipisse.

istud, alioquin in portu navigaris: attamen ius et consuetudo pro te praesumunt: Consulo ut transigas [25]) cum adversariis, quatinus vicissim laudemium persolvatur, vel compromittas vel iure experiaris apud conservatorem aut quemvis alium: quo facto libellum porrigemus diligenter conceptum, vel si ita mavis concordi assensu [26]) figurate casum atque doctos consulite, si forte cives accepto responso cedere velint: nam meam tibi operam nihil opus est offerre, si quid possum tibi possum. Consilium dominorum qui pensionem in sthucken augere volunt non laudo: Hallam sequuntur ubi placet, non sequuntur quoties displicet. Inter scribendum accepi litteras a pastore Torgense, qui nunciat apud Wittenburgenses omnia tranquille agi, pestem nihil omnino saevire [27]): decessit tamen hospes Petri theologi [28]). Cupio reddi certior, sisne iturus Wittenburgum aliquando? Te invito ad reliquias nostras. Nobiscum praedicat doctor Staupitz quo utimur familiariter. Doltzk, Hirsfelt peregrinantur Hierosolimas, episcopus Merseburgensis Rhomam. Joachim Brandeburgensis sequitur Caesarem: sunt etiam alii vocati, meo iudicio eligatur Carolus rex Hispanorum in Romanorum quoque regem. Fridericus Aldenburgii podagra laborat. Tu vale et vive felix, nostras ineptias boni consulens qui te amamus plurimum. Iterum vale. Ad VI. calendas Aprilis anno partu virgineo 1517.

Tuus doctor Scheurlus.

Nr. 120. 31. März 1517.

An Bartholomäus Usingen.

Cod. G. fol. 98 (159) b.

Ad doctorem Usingen [29]).

Obsequia parata. Quum Eckius apud me diverteret, reverende pater, legit mihi litteras quas a te accepit et ad te dedit. Interea misit tibi muneri hasce suas disputationes [30]); sed ego putavi te honorandum fore libello aeternae praedestinationis, non diffidens illum propter authoris authoritatem gratum futurum. Is populo nostro cantica commentatur [31]) mira mehercules ut

[25]) Cod. transias. — [26]) Cod. ascensu. — [27]) Cod. seruire. — [28]) Cod. theolongi. — [29]) Bartholomäus Arnoldi, von Usingen gebürtig, Augustinereremit zu Erfurt, 1491 Magister, 1514 Doctor der Theologie geworden, war bis 1518 auch Luthers Freund, dann heftiger Gegner der Reformation, 1526 in Würzburg, von wo er den dortigen Bischof 1530 nach Augsburg begleitete. Er starb 1532 zu Erfurt. — [30]) Jedenfalls die Disputatio J. Eckii Viennae habita, vgl. Wiedemann, Joh. Eck. S. 466. — [31]) Eine Probe davon im Auszuge liegt uns wahrscheinlich vor in Staupitii opp. I. p. 36.

assolet dexteritate, ingenium optimates omnes admirantur. Ego propter patris mei Poloniam profectionem quottidianus eius compransor sum utorque supra modum familiariter et forte familiaritas mea conciliatrix [32]) illi est multarum amicitiarum et honestissimarum quidem. Nam ut vides inter medios Augustinianos educatus sum, unde tuae quoque amicitiae insinuari cupio quem vicarius noster et plerique alii praedicant virum bonum cum bonitate etiam coniunxisse ingenuas litteras. Valeat paternitas tua et patri priori ceterisque amicis communibus me commendare dignetur. Nurenbergae pridie kalendas Aprilis anno virginei partus 1517.

Doctor Scheurl.

Nr. 121. 31. März 1517.

An Johann Alberti.

Cod. G. fol. 99 (160) a.

Domino Johanni Alberti Einbeckensi, canonico et scholastico Sancti Severi Erphurdensi, domino et amico suo.

Obsequia parata. Ante paucos dies factus sum certior de adventu doctoris Martini Margariti. Quod mei fuit officii, salutavi hominem reverenter. Primus sermo de nostro Eysenachensi fuit: nam apud Erphurdenses omnes soleo de Erphurdiae gloria sermones exerere. Ab illo salutem accepi et audivi incolumem esse. Super cenam etiam [33]) tuae praestantiae facta est mentio et quidem non sine honoris praefatione. Mandavit concanonicus tuus salutem tibi adscribi renunciarique salvum pervenisse Nurnbergn, secuturum praesulem Martinopolitanum, qui una cum nepote Wolffgango iamiam praecesserat Romam et forte Hierosolimas, quos et noster Hirsfelt cum plerisque Missenensibus insequitur. Ego hoc nuncium ad te deferendum libens suscepi, ut ita ad te scribendi argumentum mihi daretur qui ob humanitatem tuam, acceptos honores et Eysenachensis consortium tuae virtuti plurimum adficior, imo debeo ac deditus sum. Verum cum in praesenti non daretur de te bene merendi argumentum et lacte et floribus etiam litent [34]) qui thura non habent, volui ad te mittere triduana Caesaris acta quae arbitrabar non futura tibi omnino ingrata, unde rogo amico animo suscipias et nostro praesuli, decano et coepulonibus super mensam pellegas, quibus omnibus tam diligenter cupio commendarier quam qui beneficii [35])

[32]) Cod. conciliaturum. — [33]) Cod. esse. — [34]) Cod. litant. — [35]) Cod. beneficio.

loco ducat de singulis vobis [36]) posse mereri bene. Interea vale, optime vir, et me ut amico utere. Nurnbergae pridie calendas Aprilis anno a partu virgineo 1517.

Cristofferus Scheurl, i. u. d.

Nr. 122. 1. April 1517.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 100 (161) a.

Ad doctorem Eysenach.

Obsequia paratissima. Communis amicus noster Eysffeldensis significat suis litteris, electoris oratores adegisse tandem concanonicos [37]) suos ad observantiam statutorum [38]), quae ita rigorosa sunt ut tolerari prorsus nequeant: decretum illud [39]) esse, ex canonicis nedum monachos sed et Charthusienses constituendos fore, se autem liberum et ingenuum natum semper secuturum tum alterius absentis vestigia qui et ipse tam vehementer contra hasce leges latret ut paene raucescat, mansurum apud Eysfeldam, dimissurum residentiam Wittenbergensem cum suis sanctionibus. Ego vero hominem mihi coniunctissimum ab hoc consilio dehortor multis argumentis persuadens: illum non vixurum semper, optaturum aliquando et quis scit an hodie fuisse Charthusiensem; veram libertatem et ingenuitatem esse famulicium dei, sequendam quidem alicuius autoritatem utpote in dictando iure, sed quod ad divinum cultum attinet nequaquam; forte hunc esse modum rectius instituendae vitae, maxime si illam per omnem aetatem non in lege dei vixisset, taceo si [40]) ovibus scandalo fuisset. Haec et pleraque id genus non diffido hominem sinceriter interpretaturum; sin minus, officium amici et partes meas egi quas tibi quoque spero non displicituras, cui hoc scribo ne tui similis apud amicissimum perpetuo mutus arguerer. Sed quoniam in principis mentionem incidimus, is multis annis in iudicio Caesareo nullum assessorem aluit, quare iudex camerae statuit hunc publice banniendum fore: unde adactus pecuniam apud nos deposuit sperans iure edocturum se iuste non aluisse doctorem. Arguunt haec modicam Caesaris benignitatem. Albertus Durer, amicus peculiaris, tuam quoque familiaritatem exoptat cui haec munuscula transmittit. Cupio omnino habere te psalterium quinque linguarum et forte Hieronimum: tua praesenti pecunia

---

[36]) Cod. nobis. — [37]) Cod. concanicos. — [38]) Cod. statutam. — [39]) Cod. illum. — [40]) Cod. sed.

nil opus est. Circumferantur etiam quaedam ex officina Rhoterodamica, inter haec moria [41]) commentata; d. Reuchlein nihil habemus. Eckius mittit disputationes suas, homo nihil superbus immo humanissimus, tametsi morum suavitatem quidam desiderent. Chalcographi consilium de edendis sermonibus praedecessoris tui ad te perscripsi qui litteris tuis diligenter respondeo per omnia; si nostrae tibi reddantur et faciant satis tu nosti, ego id unum affirmo nolle me facile vel minimam occasionem praetermittere de te bene merendi qui te super multos amicos diligo peculiariter. Matertera mea cum sororibus pridie quam stipulata est pro anima sororis tuae intercedere, ego quoque aliquas missas legendas curavi. Vale et deum pro me ora. Kld. Aprilis 1517.

C. S. d.

Nr. 123. 1. April 1517.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 101 (162) a.

Ad doctorem Johannem Eckn.

Obsequia parata. Arbitror, optime vir, summum deum tot ac tantas in te congessisse dotes, ut inde plerique celebres reddi potuissent, quae singulae ad te amandum me invitant: inter ceteras autem laudo et perplacet quod Caesarianus es et Maxime-Emilii castra sincera fide sequeris. Sum tibi in nulla virtute conferendus, sed hoc habeo tecum commune, et morum similitudo facile amicitiam gignere assolet. Rumusculos igitur Caesarianae aulae sicut noster senatus accepit ita ad te mitto: nam his tuam probitatem frustrandam non sum arbitratus. Velim illos nomine meo cognomini tuo d. Eckio ac collegis communicarier. Disputationes tuas noster Marsilius grato animo accepit, Erpfurdensibus et Wittenburgensibus suas hodie mitto. Libros Eysenachensis pro arbitrio distrahes, non ignarus Hensen tardiuscule solvere. Domus adversariae nostrae Pehamin [42]) ad forum vinarium [43]) partim corruit, quamquam istud vitii domui non accidit quod ita aperte iniustam litem mihi movit. Nosti eam

[41]) Cod. mulcra. Gemeint ist die Ausgabe von Erasmus' Moriae encomium mit den Anmerkungen von Gerhard Listrius. — [42]) Michel Behaim heirathete 1486 Hans Winters Tochter und starb den 24. October 1511. Seine Tochter Lucia verehelichte sich mit Albrecht Letzscher den 27. Januar 1517. Der hernach genannte Michel ist vielleicht der am 12. August 1523 verstorbene Michel Behaim, der Katherina Lochner zur Frau hatte. — [43]) Cod. Vinaren.

a petitione censuum absolutam, unde ego patres appellavi qui accepto libello doctorem [44]) Letzscher, filiae soccrum, in advocatum petenti assignarunt, unde vehemenler scire desidero, an noster Michel causae suae diffidens patrocinium respuerit et quid agat. Nunciatur valetudinarius, reliqui credunt amicos clam conciliare sibi matrimonium apud nos: ego hominis de me bene meriti fortunam cupio esse optimam, te vero, decus litterarum ac litteratorum omnium, valere perpetuum, interea amare me mutuo. Ex aedibus tuis klds Aprilis anno virginei partus 1517.

Princeps Federicus Saxo apud se habet Georgium Spalatinum, canonicum Aldenburgensem, bibliothecarium suum et qui chronicas scribit, mihi amicissimum. Opto vehemenler inter vos constituere amicitiam. Si aliquid hominis vis [45]) videre, lege novissimas litteras ad me: nihil facit praeter scribere et legere, vetustatis amator, antiquissimi codices usu Maecenatis ad hunc deferuntur. Propositum est nullum librum desiderari in bibliotheca principali. Nihil gratius utriquc feceris quam si aliquam rationem nostri temporis librorum reddideris. Mitto illi disputationes tuas Otthoni adscriptas, ut pellegat et domino suo reddat. Parce ineptiis meis, qui dum finirc debebam aliam telam exorsus sum: tribues hoc nostro in te amori qui tua facilitate abutitur.

C. S. d.

Nr. 124. 1. April 1517.

An Martin Luther.

Cod. G. fol. 102 (163) a. Abgedruckt schon in Luthers Briefwechsel von Dr. Burkhardt. S. 5.

Ad doctorem Martinum Luder. [46])

Obsequia parata. Amicum meum Johannem Eckium de virtute tua feci certiorem, unde amicitiae tuae percupidus nedum ad te litteras dedit, sed et libellum cum disputationibus suis mittit. Non dubito sis illi responsurus et fidem meam liberaturus, qui turpe ducis in amore vinci, humanitate superari. Rogo autem te familiariter illi rescribas, quem tua amicitia dignum iudico. Reverendus pater frequenter de te loquitur et optat te salvissimum. Orationibus tuis cupio me commendari. Res Caesaris Otto explicabit. Valeat paternitas tua. Nurmbergae kalendis Aprilis anno virginei partus dddxvij [47]).

C. S. d.

---

[44]) Cod. doctor. — [45]) vis fehlt im Cod. — [46]) Die Ueberschrift fehlt bei Burkh. — [47]) Burkh. nur: xvij.

Nr. 125. 1. April 1517.

An Andreas Bodenstein (Carlstadt).

Cod. G. fol. 102 (163) a.

Ad doctorem Carlstadt.

Salutem. Divertit apud me Eckius Ingolstadiensis, disputator acerrimus, amicus meus, quem in plerisque animi dotibus tibi iudicavi similem [48]), unde rogavi tecum amicitiam constitueret, quod et tu esses homo de litteris et litteratis bene meritus. Unde nedum epistolam tumultuarie dictavit sed et in praesenti libellum mittit, ut ita intelligas esse tui studiosum. Verum non diffido, fidem meam liberabis, respondebis humanissime, qui voluntati meae nunquam defuisti, qui semper turpe duxisti [49]) in amore cedere, humanitate superari. Vale et vive felix et utere me ut veteri amico, cuius orationibus me commendo. Ex Nurnbergo ad kalendas Aprilis anno partus virginei 1517.

C. S. d.

Nr. 126. 1. April 1517.

An Spalatin.

Cod. G. fol. 102 (163) b.

Ad magistrum Spalatinum.

Obsequia parata. Mandasti fratri tuo, suavissime amice, imprimis tris deinde quinque aureos dari mutuo, sed putabat frater facturum me tibi gratum, si tribus duos adderem. Sed quia Tuchero mittenda erat pecunia, curavi Andream quinque dare, dein a Pfeffinger sex accepi, quare tibi aureum unum debeo, nihil cuiquam mutuaturus sicut nec antea mutuavi, nisi iusseris, et aureus ille mandatum tuum exspectabit et litterae soli fratri reddentur. Quid ultra me facere vis? Constant [50]) opera Hieronimi ex officina Erasmi aureos novem, psalterium quinque linguarum fl. 4, opus mirabile. Ex Erasmi officina quaedam opuscula circumferuntur, imprimis moria commentata et quaedam Graecanica. Pirchamer dialogum quendam Luciani et quaedam alia, forsan Xenophontis etiam paralipomena edidisset, nisi podagra [51]) impedimento fuisset: is una cum Holtzschuher te salutat diligenter. Apud Ingolstadiam profitetur Johannes Eckius theologus, disputator acerrimus, amicus meus: hunc cupio cum Wittenbergensibus meis constituere amicitiam et imprimis

[48]) Cod. simul. — [49]) Cod. dixisti. — [50]) Cod. constat. — [51]) Cod. podra.

tecum qui homo es eruditus. Non cedet hoc academiae ignominiae, sicut intelliges ex libello deliciis meis Otthoni adscripto [52]) quem illi lectum transmittas. Valde autem te rogo, ut Eckio nostro familiariter scribas qui etiam Graece callet. Invenies hominem doctum et ex sententia tua, et ego te et egregiam virtutem tuam illi notam faciam. Audio te alio sacerdotio impinguatum et libenter audio. Stabius [53]) Herbipoli lustravit libros demortui Spanhemensis, invenit etiam nonnulla ad octavas nostri Maecenatis pertinentia quamquam non signavit. Adhuc unum te rogo, quatinus illustrissimo principi Federico et Pfeffinger quam diligentissime me commendes. Tam devotus Wittenburgensibus sum quam aliquis alius: testatur hoc noster theologus Staupitz quo utor familiarissime. Sermones suos dudum Wittenb. misimus. Vale, amicorum optime, et me ut facis ama. Res Caesaris ex Otthone accipies. Iterum vale. Nurenbergae ad kalendas Aprilis anno virginei partus 1517.

C. S. d.

Nr. 127. 17. April 1517.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 103 (164) b.

Ad doctorem Eckium.

S. Quum dedissem [54]) d. Staupitz meo coniunctissimo litteras ad te perferendas, redditae mihi sunt tuae una cum elementario Eckiano [55]), de qui tibi gratias ago. Mittam amicis Wittenburgensibus offeroque libellos hosce distrahere apud nos et communis amicos. Ceterum non est meum consilium superare tuam praestantiam quacunque re, non ignarus meae paupertatis et quod tibi longe sum inferior: vellem tamen tua amicitia non indignum me praestare, qui perpetuo beneficio tibi obligor, quod tanto hospite domum paternam honorare dignatus es. Quod ego non possum, referent viri docti quos tua tibi virtus conciliat. Epistolam statutariam dudum misissem, nisi quidam dissuaderent publicandam, sed quando totiens efflagitas et ego nihil negare possum, ea lege mittam ut nemini videatur sed pellecta quam primum ad me redeat, neque desunt qui litteris nostris insidiantur, quae tamen plerisque celebrantur. Multo lubentius communicassem secundam feturam epistolarum obscurorum virorum sed unum tantum exemplar huc pervenit, expecto tamen plura. Interea vale et me ut soles ama. Datae Nurnbergae 17. Aprilis 1517.

Doctor Scheurl.

---

[52]) Cod. adscriptum. — [53]) Cod. stobius. — [54]) Cod. dedisse. — [55]) S. Wiedemann, Joh. Eck S. 472.

Nr. 128. 25. April 1517.

An Erhard Truchseß.

Cod. G. fol. 104 (163) a.

Domino Erhardo Truchsess, decano Eystetensi, domino et patrono honorando.

Obsequia parata. Tametsi, dignissime praesul, certe sciam tuae reverentiae meam devotionem minime ignotam esse, putavi tamen te utpote patronum meum salutandum fore epistola illa, quam Italia nuper ad Caesarem fingitur dedisse. [56]) Circumferuntur apud nos aliud volumen epistolarum obscurorum virorum, res plena risus, et praeterea ex Erasmi officina nonnulla, item liber Capnionis contra cabalistas [57]) nuper vulgatus. Illa quoque misissem [58]), si cognovissem a tua praestantia desiderari, hoc est prius ad te non pervenissee, quando tibi plurimum debeo qui me singulari humanitate atque benivolentia prosecutus es: quare etiam tibi ac nepoti d. Wilhelmo commendari velim. Nurnbergae ad VII. calendas Maias anno 1517.

C. S. d.

Nr. 129. 4. Mai 1517.

An Johann Ketzmann.

Cod. G. fol. 104 (165) b.

Ad Johannem Ketzman [59]), scholasticum Koloniae in conventu montis.

S. d. Michaelem fratrem tuum ob singularem industriam cum humanitate coniunctam benivolentia prosequor et eo libentius prosequor quod audio [60]) eum amico meo doctori Johanni Cocleo cognatum esse, habere etiam te fratrem apud Kolonienses bonis litteris operam navantem. Quare eius rogatu non invitus ad te scripsi, ut ita habeas occasionem iudicandi quid me velis tuo nomine agere: nam etsi parum possum, vellem tamen tibi prodesse et studia tua iuvare. Unde meam tibi offero operam quantulacunque est meque uteris ut amico peculiari: tunc maxime mihi gratum facies, si occasionem dederis tibi benefaciendi. Non dubito tibi visas alteras obscuras epistolas ad theologum Ortwinum [61]) et illam ficticiam Italiae Hutteni quae apud nos

---

[56]) Die verschiedenen Ausgaben s. Index bibl. Huttenianus, ed. Böcking p. 14. — [57]) Cod. caballicos. — [58]) Cod. misisse. — [59]) Johann Ketzmann gehörte zu den Kölner Dominicanern, welche im Anfange des 16. Jahrhunderts als inquisitores haereticae pravitatis berüchtigt waren. — [60]) Cod. audeo. — [61]) Cod. Otwinum.

circumferuntur. Si quid apud vos novi depromitur, velim mihi communicari. Vale, bone vir, et vive felix. Nurnbergae ad IIII Nonas Maii anno a Cristo nato 1517.

C. S. d.

Nr. 130. 8. Mai 1517.

An Lorenz Behaim.

Cod. G. fol. 104 (165) b.

Ad doctorem Laurencium Behaim [82]).

Obsequia parata. Petrus Hohendorff Aldenbergensis ex Italia rediens me rogavit, dignissime vir, ut se pro iure familiaritatis quod aliquando apud academicos Wittenbergenses mecum constituerat tuae paternitati redderem commendatum, non dubitans tanto patrono adepturum apud Bambergenses honestam aliquam conditionem, quem audivit pollere auctoritate maxima. Non sum igitur arbitratus homini bono et litterato meas denegandas esse litteras etsi apud te parum meritas: unde d. tuam oratam velim, ut eum te experiatur qualem maxime cupit. Rursus tui mihi commendatissimi erunt daboque operam, ut aliquando de te merear bene, quem cupio valere plurimum. Nurnbergae ad VIII. idus Maias anno a partu virgineo m. d. xvij.

Tuus Christofferus Scheurl doctor.

Nr. 131. 15. Mai 1517.

An Christoph von Stadion.

Cod. G. fol. 105 (166) a.

Reverendissimo ac deo amabili dn. dn. Christophoro dei gratia episcopo Augustensi.

Obsequia paratissima cum devota recommendatione. Posteaquam Augustam veni, inclite praesul, timui quidem gratiam tuam adire [quam] occupatissimam scio in acquirenda possessione istius nobilissimi Suevorum episcopatus: attamen pro iure familiaritatis quod aliquando apud Bononienses academicos tecum constitui non potui abstinere, quin tuae paternitati summam [83]) hanc dignitatem saltim litteris etsi parum Latinis congratularer.

---

[82]) Lorenz Behaim, Canonicus im Stifte St. Stephan zu Bamberg, war der Bruder des Propstes bei St. Lorenz zu Nürnberg Georg Behaim und stand auf sehr freundschaftlichem Fuße mit Hutten, Reuchlin, Erasmus und Pirckheymer. Vgl. Hetler's Reformations-Geschichte des Bisthums Bamberg S. 34. — [83]) Cod. sumunt.

Plurimum itaque laetatus sum, ut hic nuncius Nurembergam allatus est, quod scil. deus opt. max. te elegit, ecclesiae Augustensi praefecit et ad summos honores evexit, quos religio, probitas, eruditio, humanitas ac denique integra vita tua diu meruere, in quem [64]) conventus canonicorum iudicante praedecessore tuo unanimiter assensit, quod Leo pontifex reiectis aemulis ratum habuit. Tunc bene in Christiana rep. agitur, ubi amplissima sacerdotia probatis distribuuntur, non viri honoribus dantur. Video hanc meam laetitiam mihi communem non modo cum Augustensibus omnibus qui populariter et vicatim applaudunt [65]), benedicunt, iubilant et tanto praeside felicissimos se gloriantur, ubi convenit quod dici solet: Vox populi vox dei, sed et cum plerisque concivibus meis et imprimis affine meo Hieronimo Ebner qui in nostra republica secundas partes obtinet, qui et ipse dulciter meminit aliquando se tuae insinuasse familiaritati, etiam iussit tuae reverendissimae dominationi congratulari plurimum, cui nostras quantulascunque offerimus ac pienter dedicamus operas. Rogamusque ut aliquando amplitudo tua dignetur nobis ac dediticiis familiaribus suis quidquam praecipere, tam paratissimi servire, placere et morem gerere tibi cui dare beneficium recipere est, quem deus conservet [66]) gregi suae felicem, faustum, augustum, quam qui maxime desideret: cui nos cupimus plnrimum commendarier. Augustae idibus Maiis anno a partu virgineo xvCxvij.

C. S. d.

Nr. 132. 30. Mai 1517.

An Erasmus Stella (Stüler).

Cod. G. fol. 106 (167) a.

Ad egregium virum Erasmum Stelle [67]).

Felicitatem. Quod apud plerosque bonae litterae mercibus postponuntur et minus iusto curantur, efficit ut vel librorum mercatores rariores sint addo etiam pauperiores. Apud Germanos Coburgius principatum ferme obtinet, sed ipse nihil cudit; reliqui librarii apud nos inopia laborant et negligentissimi sunt. Negligentiam [68]) Federici Peypus auget quod [69]) iussu Koburgii soli feturae inventarii Augustini operam [70]) intendit, hoc est quod sexcenties inaniter pollicitus est gemmeam nostram

[64]) Cod. inquam. — [65]) Cod. applaudent. — [66]) Cod. conseruit. — [67]) Ueber ihn s. Jöcher's Gelehrten-Ler. — [68]) Cod. negligencia. — [69]) Cod. et — [70]) Cod. operum.

editionem maturare, quibus pollicitis in hunc usque diem me tenuit renitentem, invitum, iratum etiam, hodieque tenet sed ita tenet, ut vel Koburgii assensu iuramento firmaverit gemmas tuas absoluturum paucissimis diebus. Quae prorsus non scribo in meam excusationem qui tuum de me iudicium tam parvi non facio, quem scio de fide, de officio meo nihil dubitare, quando res tuas non secus curo ac meas, sed tantum ut librarii occupationes intelligas, qui respondet tarde non fieri quod bene fit, et iterum, sat cito si sat bene. Certissimo scito, eruditissime vir, non futurum me quietum, donec gemmeus ille splendor ad Cigneos tuos penetraverit. Practerea quod ad Dioscoridem [71]) attinet discusscram nedum bibliopolas sed et nostratum physicorum officinas, nusquam Hermolai traductionem inveni neque adduci poterat [72]) quam miseram prius tibi non visam: sed hoc me fefellit quod vel Hermolai vel alterius latinitatem petieras, quamquam parum caute adverti, tantum novam translationem tibi desiderarier. Cupio istam veterem ad Coburgium redire idque absque tuo dispendio: interea veniam dabis curaturo ex Italia fieri tibi satis. His diebus apud Augustam Vindelicicam super mensa amicissimi mei Conradi Pewtingeri, Germani historiographi litteratissimi, de te incidit sermo honorificus et Germanis, Borussis [73]) et gemmis tuis ea commentatus sum quae viro humano illorum relegendorum maximum desiderium ingesserunt. Hieronimum septem aureis [74]) hucusque habere non potui. Si qua alia in re tibi mea opus est opera, utere me liberaliter, in hoc uno gratificaturus maxime, si de gratissimo atque liberalissimo animo tuo aliquam bene merendi obtuleris occasionem, cui me dedo atque trado. Vale perpetuo, litterarum atque litteratorum decus eximium. Iterum vale. Nurnbergae ad tertium kalendas Junias anno salutis MDXVII. Si obscuras epistolas novissimas duplicatas habes vel parum curas, peto mihi remitti, quando apud nos nullae sunt. Litteras tuas curavi reddendas, mitto et copiam epitaphii [75]) quod Newburgi ad Danubium sculptum exscribi curavi. C. S. d.

Nr. 133. 24. Juni 1517.

An Nicolaus Ziner.

Cod. G. fol. 109 (170) b.

Domino Nicolao Ziner [76]) amico suo optimo.

Salve, mi amabilissime Nicolae. Litteras tuas plenas humanitatis addo etiam eruditionis una cum dialogo gratissimo

---

[71]) Cod. discordiam. — [72]) Cod. poteram. — [73]) Cod. boruscis. — [74]) Cod. aureos. — [75]) Cod. Epithamij. — [76]) Nachrichten über ihn auch aus ungedruckten Briefen giebt Will's Nürnbergisches Gelehrten-Lexicon.

animo accepi atque pellegi: imprimis laudo ingenium tuum et hortor ut quottidie studeas evadere doctior atque melior, quod facile efficies, si datorem scientiae deum opt. max. reverenter colueris, eius praecepta servaveris memineriſque omne tempus perire quod studiis non impenditur. Haec aetas, hic locus, hi anni studiis accommodandi sunt fideliter: redeuntem te aliquando cum dignitate vendicabit patria, vendicabunt amici, non tibi sed aliis studendum erit. O me terque quaterque felicem, si quandoque ista mihi proposuissem! Jam eo ventum est, ut a scribendis his litteris non semel sed iterum ad alia declinandum sit, et quod molestius est in humanis litteris recreare animum vel nunquam licet vel rarissime. Redeo ad vigilias tuas quas nonnihil adiuvabunt favor et patrocinium domini de Sancto Laurentio atque Hieronimi Ebners quem ego delicias populi Nurnbergensis appellare soleo; consulo, ut eis quandoque scribas: argumentum sum ego et praeterea res novae et humanitas sua quibus tua te virtus me praecone commendatum efficit efficietque semper; pariter et ego res novas Italiae, altricis studiorum facile dixissem factionum, et quid [77]) de istis cardinalibus in carcerem coniectis agatur ac de bellis scribatur, magnopere a te exspecto ac desidero. Quamquam [78]) autem moleste feram contubernalis tui Erhardi Vinkel obitum, longe tamen plus me conturbat atque excruciat ita nefarie peremptum esse utriusque nostrum amicissimum et plane humanissimum Nicolaum Untenon canonicum, cuius manibus deus iustus iudex aeternam beatitatem praebeat: aliud precari nequeo. Litteras tuas exopto iterum qui tibi sum deditus. Vale et vive. Nurnbergae ad VIII. kalendas Julias anno a partu virgineo 1517.

Christophorus Scheurl, i. u. doctor.

Nr. 134. 24. Juni 1517.

An Johann Ketzmann.

Cod. G. fol. 110 (171) a.

Domino Johanni Ketzman, scholastico Coloniensi, amico iucundo.

S. Litteras tuas quae te plane indicant [79]) et humanitatis et bonarum litterarum candidatum relegi non absque voluptate. Meretur virtus tua, meretur frater tuus, ut tui sim studiosus: quapropter nuper dedita ac dicata opera mea aliquando utere, tam lubenter facturus tibi sum gratum quam tu desideras, modo

---

[77]) Cod. quod. — [78]) Cod. Quamque. — [79]) Cod. iudicant.

vivam. Da operam ut deum colas et quottidie melior et doctior evadas, ne tibi ipsi turpe desis. Consulo ut d. Jeorgii Behem theologi, Sancti Laurencii praepositi, ac d. Hieronimi Ebners, senatoris praecipui clarissimique, familiaritati litteris te insinues. Hi docti doctos amant et tuas litteras me buccinatore in pretio habent, quae res oblata occasione tibi cedet utilitati, neque nostra quantulacunque tibi deerit opera atque diligentia. Transmissum mandatum gratus accepi ac rogo, ut si quid amplius apud vos invulgabitur mihi communices fratri pretium redditurо: sum enim harum rerum desideriosus lector, iudicium aliis cedo. Cuditur triumphus Reuchlini [80]). Tu vale et praestantissimum theologum d. Conradum Kollin, Suevium nobilem, verbis meis salvere iube. Generalem ordinis praedicatorum nihil dubito cum plerisque aliis forte 18. refcrendum fore in senatum cardineum. Iterum vale. Nurnbergae ad VIII. kalendas Julias 1517.

C. S. d.

Nr. 135. 18. Auguſt 1517.

An Erasmus Stella (Stüler).

Cod. G. fol. 110 (171) b.

Domino doctori Stueler medico, senatori ac historiographo Zwickauiensi, viro bono, claro et erudito.

S. In publicandis gemmis tuis omnem meam operam tibi antea devovi liberaliter. Nihil maluissem quam sine intervallo id exitu praestare, sed manibus et pedibus adnixus rem citius maturare omnino non potui: in causa fuit librariorum paupertas et nescio quae alia opera prius finienda. Tarditatem hanc resarciri curabo, si reliquas lucubrationes transmiseris, modo punctate et ad amussim scriptae mittantur: quare ut hoc nomine nedum me sed et occupationes et quandoque etiam absentiam nostram, ubi ab archetypo ut fit aberratum est, excusare digneris te oratum velim. Quae tibi debentur volumina, sacerdoti tuo tibi transvehenda tradidi. Koburger autem prorsus negat Iheronimi opera remissius octo aureis divendi posse; Dioscoridem [81]) expectat, sin minus curabo una cum annotationibus Galeni Veneciis adferri. Legimus Clodium et Cleopatram uniones aceto mersos liquefecisse: id per naturam fieri posse nostri opifices constanter negant. Lego praeterea unionis nomen maioribus margaritis tempore Jugurtini belli nonnullos imposuisse. Haec

[80]) Cod. Reuchlinus. Die verſchiedenen Ausgaben ſ. Index bibliogr. Huttenianus ed. Böcking p. 26. — [81]) Cod. discoriden.

fere subdubium me faciunt, an per unionem perlam intelligere debeam: quare quid mihi sentiendum sit, a te certior reddi velim. Ceterum noster iureconsultus expositurus titulum de in inte. restit. protestatur se nulla praefatione usurum, propterea quod res se ipsam commendet, et ut ille ait vino vendibili suspensa hedera nihil opus est. Quae eo pertinent tuae vigiliae quum sint undequaque emunctae et politae, ipse cogita quantis indigeant praefationibus atque testimoniis, maxime cum prologus fabula longior esse non debeat. Vale, optime Stella, vive felix et quae apud me sunt ad honorem et commodum tuum pertinentia, his utere ut tuis. Iterum vale. Ex aedibus nostris Nurnbergensibus 18. Augusti anno a reconciliata divinitate dddxvij.

Christofforus Scheurll, i. u. d. patriae advocatus, tibi deditissimus.

Nr. 136. 27. September 1517.

An Erasmus Stella (Stüler).

Cod. G. fol. 111 (172) b.

Ad doctorem Erasmum Stuler medicum [82]) etc.

Obsequia parata. Litterae tuae humanae ac elegantes, praestans vir, nedum non importune adveniunt sed grate mihi leguntur. Sola librarii tarditas molesta est, habet tamen sub incude chartam illam emunctoriam [83]), accessu paucorum dierum tibi mittetur una cum reliquis libris. Quid Franckfordio allatum sit praeter illustres viros [84]) praedicatorii ordinis et ritus Romanae curiae, nondum satis scio, conveniam tamen quam primo Johannem Koberger teque reddam certiorem. Audio sub prelo esse quam plura laudem Capnionis pertinentia; parat praeterea edere Franciscus Irenicus Etelingiacensis octo volumina [85]) tanta magnitudine quam Erasmi proverbia maiora ultimo excusa [86]) circumferuntur. Primus Germaniae situm complectitur 47 capitibus, alter antiquitates veterum Germanorum 38, tertius de bellis Germaniae a principio usque ad Maximilianum in 67 capita distinguitur, IIII. Germaniae fertilitatem continet capitibus XX., quintus de humilitate Germaniae scribitur capitibus 28, sextus, septimus et octavus libri villas, monasteria, plurima oppida, civitates, urbes, provincias, regiones, regna Germaniae et illius principum et episcoporum genealogias continent, [87]) res

[82]) Cod. medico. — [83]) Cod. emunnctoria. — [84]) Cod. vires. — [85]) Dies Werk erschien im folgenden Jahre, nach von der Hardt unter dem Titel: Germaniae exegeseos volumina duodecim etc. — [86]) Cod. excussa. — [87]) Cod. continet.

omnium laboriosissima quae nobis haud dubie laudi cedet ingenti, neque est quod amplius queramur nostrorum scriptorum penuriam. Interea vale et certus sis parum gratius mihi accidere posse quam mereri bene de te viro docto et humano. Iterum vale cum pudica uxore, domino d. Konig, cum Jo. Egrano, praeside Perinsprungk et Voiten, quibus commendari cupio. Nurnbergae ad V. kalendas Octobris anno 1517.

Tuus Cristofferus Scheurll doctor.

Nr. 137. 30. September 1517.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 113 (174) a.

Ad doctorem Eysenach.

Soli deo servire. Quod multis verbis mihi gratias agis, reverende pater, praeter officium facis, si modo non videris diffidere de amicissimo tuo. Ego rursus te semper habui amicum principalem et de bonitate tua omnia mihi persuasi constantissime, olim etiam persuadebo. Propterea si velim tibi placere, morem gerere, de te bene mereri, si quicunque tibi noti ne dicam coniuncti sunt me habent paratum, ago partis meas, debitum meum gaudeo et lubens facio; si quid a te cupio, certe nihil minus quam retributionem aut gratiam cupio, quibus rebus mihi ruborem incutis. Hoc autem te rogo, ut cum tuis omnibus utaris famulatu meo sine intermissione. Verborum lepore vera id est nostra amicitia nihil indiget: arbitrare me eum esse in te qualem ego te certo esse scio, quod te facturum non dubito qui homo omnium humanissimus meae voluntati nunquam defuisti. Quos desiderasti libros Scubolter transvehendos dedi: deus faxit ut salvi ad te perveniant. Si mandatum excessi, amicitiae absque tua iactura tribuendum erit: nullus liber adeo malus quin aliquid boni contineat. Praeterea parum novi editum est, speramus tamen ad futurum mercatum commentarios Erasmi in Pauli epistolas et forte Matheum aut tractatum de pace, nonnulla etiam Reuchlina. Itali et Germani pro Capnione scribunt, Nazarenus [88]) quidam et vester ille Ulrichius Hutten triumphum. Pro viro stat tota ferme Agripina, tametsi sententia differatur; Pfefferkorn [89]) noctu parum tuto ambulat edito nuper

---

[88]) Cod. Nazazenus. Gemeint iſt die Defensio praestantissimi viri Joannis Reuchlin, a reverendo patre Georgio Benigno Nazareno edita, welche in Deutſchland zuerſt im September 1517 erſchien. — [89]) Cod. pfferkorn.

libello Streitpuchelin omnium famosissimo, qui iudicat Capnioni alteram linguam eruendam: unicus ad nos pervenit Caesari remissus. Circumferuntur additiones obscurorum etsi sacris interdictae. Persuasus sum secuturam quandoque mutationem grandem studiorum theologicorum, ut etiam quis Christianus theologus evadere possit absque Aristotele et Platone, cuius opera veneunt sesquiaureo. Quantum ad id laboret Martinus Luder, ex disputatione sua intelligere potes. Insuper Franciscus Irenicus Etelingiacensis octo libros iustae quantitatis de [90]) Germanorum rebus conscriptos Kobergero invulgandos tradidit. Mirum quantum litterae vel apud Germanos proficiant, si modo altera aetas discendi nobis daretur vel saltim lectioni nos permitterent occupationes illae diurnae. O me felicem, si in Italia otiosus continuo didicissem! Ego, cum omnia mea vel labore parta et secreta tibi optime communia, mitto exemplum quarundam [91]) epistolarum ad Reuchlin pertinentium et praeterea dialogum Divi Petri, Julii et illius genii, cuius eruditio, experientia, calliditas authorem Erasmum ni fallor plane non mentitur. Communicabis haec secreto amicis communibus, domino episcopo, abbati, decano, scholastico, Jonae cum aliis compransoribus, rem certe lectu dignam, quibus omnibus meam operam offero velimque commendari plurimum. Vale. Nurnbergae pridie kalendas Octobris 1517.

Christofferus Scheurl doctor.

Nr. 138. 30. September 1517.

An Ulrich von Dinstedt.

Cod. G. fol. 114 (175) a.

Ad doctorem Dinsthet.

Felicitatem. Proximis litteris tuis, egregie vir, petis certior reddi, si quis legatus et quibus facultatibus agat apud Caesarem nostrum, quod abbas amicus tuus infula cupiat insigniri. Sed audisti credo ad kalendas Julias Leonem X. unum et triginta cardinales pronunciasse et inter hos Laurencium Campegium Bononiensem qui saepe dei gratia dominicis diebus mihi legit privatim, ut [92]) ita publice eum audirem, quippe genitor Johannes Campegius clarissimus iureconsultus, qui stipendio mille aureum Patavii professus est, me anno abhinc undecimo iuris civilis doctorem declaravit, sicut et canonici collega Ludovicus Bolong-

[90]) Cod. et. — [91]) Cod. quorundam. — [92]) Cod. et.

ninus eques. Is quem [93]) dixi Laurencius multis annis pro pontifice egit oratorem apud Maximilianum et vidi quidem facultates suas, etsi [94]) hanc infulandi scil. arbitror sibi non datam. Si quid tamen in hac re tui ac tuorum causa qui tibi omnia debeo promovere possum, scis quam tibi sim paratus. Interea famulus meus petit Erpfurdiam vini coemendi gratia, eo poteris uti; si rursus operam tuam implorabit, velis ei pecuniis et quibuscunque aliis esse praesto. Vale. Nurnbergae pridie kalendas Octobris 1517.

Doctor Scheurllus.

Nr. 139. 30. September 1517.

An Martin Luther.

Cod. G. fol. 115 (176) a. Abgedruckt schon in Dr. Martin Luthers Briefwechsel, herausgeg. von Dr. C. A. H. Burkhardt S. 6.

Ad Martinum Luder, theologum Aurelianum [95]).

Salutem in Jhesu Christo. Quod amice ad me scribis et silentium tuum excusas, reverende pater, vir doctissime, certe bene facis, quippe quod multis constat, Augustinianus sum turpissimum ducens in amore vinci. Testatur hoc Wenceslaus noster amicus peculiaris, vir bonus et doctus. Habet is nedum auditores sed et convivas Heronymum Ebner duumvirum et Hiero. Holtzschuher septemvirum, quippe reverendus pater vicarius sua inclita virtute apud optimates nostros egregia autoritate pollet, quos eo impulit ut Aurelianis certe sint deditissimi, faventissimi: cedit hoc nobis nedum honori sed et commodo. Inter reliquos eminet doctrina et sanctitate conspicuus duumvir quem dixi Hiero. Ebner, ni fallor mel et deliciae populi Nurnbergensis, homo omnium humanissimus, integerrimus. Is tuae quoque praestantiae adficitur: super cenam saepe de te audit, loquitur, catalogum [96]), disputationes et reliquas vigilias Luderinas in manibus habet, legit, miratur. Una tecum praeter Christum et remp. nihil quaerit. Nedum communi praefecto sed et mihi facies rem plane omnium gratissimam et certe te minime indignam, si ad hunc perscripseris aliquod Christiani ut soles vel publice vel privatim; reliquam hominis conditionem potuisti intelligere ex vita Anthonii Kressen nostro Othoni transmissa. Vicarii libellos rursum [97]) quindecim traditurus [98]) tibi muneri

[93]) Cod. Isque. — [94]) Cod. si. — [95]) Cod. theologo aureliano. Bei Burkh. fehlt die Ueberschrift ganz. — [96]) So Cod., decalogum? — [97]) Es kann auch nunc gelesen werden, doch vgl. Luther's Br. an Scheurl vom 11. September 1517. — [98]) Burkh. tradituros.

ut primum licuerit per tabellarios Eckio disputationem dudum nobis habitam communicabo, cupiebam quoque theologis Coloniensibus et Heidelbergensibus mittere: plerisque doctis notus sum. Tu vero vale. Pridie kalend. Octobris 1517.

Nr. 140. (30. September 1517.)

An Spalatin.

Cod. G. fol. 115 (176) b. Das Datum ergiebt sich aus der Stellung des Briefes im Cod.

Ad magistrum Spalatinum.

S. Inter redeundum scripsi ad te ex Cignea, ubi publice privatimque honoratus sum. Dei benignitate magna mihi copia amicorum est in provincia vestra, inter quos tu quoque emines, mi optime Spalatine, quicum omnia mihi communia. Velim autem te scire qui solis litteris vitam dedicasti, scripsisse Franciscum Irenicum Ethelingiacensem octo praegrandia volumina, quorum primo complectitur Germaniae situm capitibus 47, altero antiquitates veterum Germanorum 38, tertio bella Germanorum a principio usque ad Maximilianum 67 cap., quarto Germaniae fertilitatem 20, quinto Germaniae humilitatem 28, 6. 7. octavo villas, monasteria, plurima oppida, civitates, urbes, provincias, regiones, regna Germaniae et illius principum et episcoporum genealogias: quae omnia Koberger noster tibi quoque communicanda invulgabit. Tua aliorumque diligentia non dubito brevi futurum, ut Germani minime queramur res nostras tenuiter perscriptas. Perveniet ad mercatum nostrum Lipsensem Jo. Bab. Egnacius [99]) de Caesaribus a Carolo Magno ad Maximilianum cum quibusdam aliis, item viri illustris praedicatorum, ritus ecclesiasticus et de planctu ecclesiae. Apud Mar. Luder magni nominis theologum leges dialogum mirabilem, quem optimo principi [100]) nostro velim praelegi: ridebit certe scio. Vale etc.

Nr. 141. 30. September 1517.

An Johann Doltz.

Cod. G. fol. 116 (177) b.

Ad dominum Johannem Doltz.

S. p. Renunciatum est nobis aliquando te cum quodam alio torpescere otio, ac si constituissetis non progredi sed subsistere potius, et quidem pro iure nostrae amicitiae dolui consilium

[99]) Johannes Baptista Egnatius, geboren zu Venedig 1473, Politian's Schüler und mit Papst Leo X. erzogen, lehrte mit großem Beifall in seiner Vaterstadt schöne Wissenschaften und starb daselbst 1553. — [100]) Cod. principe.

pestilens, haud ignarus tam praeclaro ingenio te dotatum, ut inde plures celebres reddi possent. Rursus gaudeo rem aliter accidere, quod disputationes tuae facile arguunt quas amicis communicavi. Nati sumus ad laborem, sursum tendendum est, vigilandum, aestate etiam fruendum: accelerat enim hiems. Parvo tempore multam gloriam comparare possumus, quamquam ego in illa felicitatem non constituo, sed potius in servire deo, in observantia praeceptorum. Deme (quod absit) bonas litteras ex ecclesia illa collegiata tota Germania celebri, remanebitne stabulum quale ante fuit? Estne clericus mutum pecus absque litteris? Hoc est quod subinde me movet in media Wittenberga natum vel saltem educatum, tam indiscreta onera imponi quae asinariis potius conveniant quam liberis, ac si in stridore et ululatu perpetuo consistat divinus cultus aut etiam cogi queat, ut ille ait, ne quid nimis, moderata autem durant. Disputationes amici nostri probantur; spero quandoque futurum ut praeter Aristotelem (et ipse scit multa Aristotelica et queritur) theologari liceat, id quod tu quoque cum nostro Martino labora. Litteras pueri tui tradidi Wenceslao Monacum mittendas. D. decanum nomine meo saluta cum amicis communibus. Vale etc. Datum ut supra [101]).

Nr. 142. 30. September 1517.

An Otto Beckmann.

Cod. G. fol. 117 (178) a. Abschrift von Scheurl's eigener Hand.

Ad M. Ottonem.

Opto te salvum esse et istam novam dignitatem proficere etiam ad animae salutem, sine qui nulla salus est neque voluptas, mi amabilissime Otto, iureperite clarissime. Etsi arbitror cum ista tua nova dignitate, quam tamen diu ante meritus es, ita te occupatum ut parum de nobis cogites vel etiam litteras nostras pellegas, durum tamen atque inhumanum arbitratus sum ad plerosque amicos scribere, Ottonem praeterire qui amicorum caput est sine controversia et columna etiam. Ubi per otium licuerit et graviora cessabunt, leges litteras nostras et forsan respondebis etiam: nam nolimus tibi esse molesti. Sed haec per iocum, qui certi sumus paucos tibi esse amabiliores, etiam si episcopatus tibi contingeret, futuros tamen nos ex aulicis

[101]) Die Datumsbestimmung ist offenbar vom Abschreiber so gefaßt und bezieht sich zurück auf den Brief an Luther vom 30. September 1517.

Ottonianis forsan non postremos. Caesar agit in Inspruck. Sequitur hunc legatio Turchorum, quorum potentia gravis est Veneto et Christianis suspecta. Cum Seckingen pactae induciae, donec utrique parti placuerit. Audio supra 150 cives Florentinos in exsilium actos Mediceis suspectos, nunciabatur Urbinas proditus, sed haec parum fama constant. Scripsi etiam ad te ex Cignea per Aldenburgensem. Relatum magistri Jonae retulit Eysnach profecturum Ottonem Nurnbergam ad suum Scheurlum, quod tuo cum commodo fieri velim. Quid enim dulcius in hac vita contingere potest quam vel coram frui amico dulcissimo, qualis semper fuit Otto? Iterum [102]) vale. Nurnbergae pridie cal. Octob. 1517.

Nr. 143. 1. Oktober 1517.

An Nicolaus von Amsdorff.

Cod. G. fol. 114 (175) b. Fehlerhaft abgedruckt in Preſſel's Nicolaus von Amsdorf. Elberf. 1862. S. 159. Anm. 5.

Ad dominum Nicolaum de Ambstorff.

Sobrie vivere, in dei timore ambulare et aestate frui: accelerat enim hiems. Ex Misna redeunti litterae tuae redditae sunt. Nihil est quod de mea amicitia dubitas [103]), qui sine intermissione me habebis amicum, id quod litteris nisi forte aliud arbitrabere non indiget. Cum Francisco pactae sunt induciae, donec partibus placuerit. Magis itaque quiescunt bella quam bonae litterae, quibus maxima est contentio: deus faxit ne olim vestrum aliqui acie cedant liceatque theologari praeter Aristotelem, quod Wittenburgenses fideliter laborant tanquam antesignani strenui. Testantur hoc multae academiae. Ut in rebus novis fieri solet pro arbitratu quisque iudicat: de nobis tunc bene iudicabitur, si legem dei observaverimus, hoc scientes non ad otium sed labores et litteras nos natos, quamquam de fratribus et qui otio et ebrietate torpescant nihil altius cogitantes pleraque sinistra nuncientur. Tu vero vale et deum pro me ora. Hospitem Margaritam Wenceslai et nostro nomine saluta. Iterum vale. Nurnbergae calendas Octobris anno a partu virgineo 1517.

Conclusiones tuas transmisi Eckio Ingolstadiensi, quicum utpote viro bono opto te constituere amicitiam.

Frater tuus Christofferus Scheurl, i. u. doctor.

---

[102]) So Cod. Interim? — [103]) Sc Cod.

Nr. 144. 13. Oktober 1517.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 117 (178) b. Abſchrift von Scheurl's eigener Hand.

Ad doctorem Jo. Eckium.

Salve, reverende pater, vir undecunque erudite, mi amabilissime amice: sit enim haec tui praefatio verissima. Quod abiens atque etiam rediens profectionis tuae rationem mihi reddis et undique amicum geris, quid aliud tibi reddam quam ut tuus esse perseverem, qualis semper fui, et tibi si non eruditione saltim humanitate respondeam, ubique vinci turpe ducens, etsi ubique excellas non vulgariter? Quod itaque in amicorum tuorum etiam extra vulgi aleam comparatorum me adscripsisti rationarium, ago tibi gratias, daturus operam, ut semper in tua amicitia inveniar. Mea quoque scribendi tarditas tribuenda erit peregrinationi nostrae Misnensi. Velim autem communem amicum d. Michaelem apud nos esse, quod omne patrocinium in hunc unum repositum foret, quoniam advocati partim mortui sunt partim clientulos abiurarunt. Magnus Carolus cum sorore tandem Hispanias navigavit maximo triumpho, expectamus Ferdinandum. Optimo viro doctori Eisnach misi librum suum et litteras: quoniam unum sumus, non potes uno beneficio non obligare utrumque. Interea indicium benevolentiae vel etiam observantiae nostrae mitto Lucianum Pirckhamerium [104]), non ignarus haud minus alacri voluntate quam moenerum magnitudine oblectari te solitum. Vale et vive felix, communium [105]) studiorum atque etiam studiorum omnium patronus. Nurnbergae 13. Octob. anno 1517.

Nr. 145. 23. Oktober 1517.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 117 (178) b.

Ad doctorem Eysenach.

Bene agere. Quod, praestans vir, familiari meo in coemendo vino praesto fuisti, pecuniam mutuasti [106]) atque etiam hospitio eum recepisti, agerem tibi multis quidem verbis gratias, si hoc unicum aut primum benivolentiae genus in me exercuisses, sed sunt tot ac tanta quae tibi debeo, ut merito non tibi gratiam agam aut habeam sed referam necesse sit, quod faciam tam

[104]) Luciani piscator seu reviviscentes B. Pirckheymero interprete erſchien Nurenbergae sexto nonas Octobris 1517 bei Friedrich Peypus. — [105]) Cod. communis. — [106]) Cod. mutasti.

lubens quam qui maxime cupiat. Igitur non utar pluribus: tuus sum, iube, manda, paratus sum. Aureos triginta novem mox ubi et quando voles gratissime restituam etc. Vinum optimum bene allatum est, sed unum me torquet, quod salutem tuam ita negligis [107]), ut tantam aëris intemperiem periclitari non dubites: unde communem amicum rogavi, quatinus te invitet, fugam consulat. Est mihi domus paterna quae utrique sufficiet: advola oro, rogo, obsecro si me unquam amasti, obtestor, conceditur occasio concionandi, ne forsan temporis [108]) facias iacturam, experieris humanitatem civitatis nostrae, tam gratus omnibus futurus hospes quam pauci antea. Qui meae [109]) nunquam defuisti voluntati, scio non tentabis fortunam, potes adhuc longum tempus militare, scribere, legere, servire deo, prodesse populo; neque patronus vester Magunciacus recusavit ea lege vitam, tu tibi cur turpe defueris? Nunquam quiescam, nunquam ero non anxius, donec intelligam mutatum consilium. Rothorodamus scripsit apologiam contra Stapulensem, quicum sibi intercedit simultas propter diversimodo versas Pauli epistolas: mitto copiam cum Victoribus. Ex Erasmica officina circumferuntur id genus plura lectu dignissima. Augustini repertorium non quidem in opuscula dirigit, sed opera antea non excusa: plerisque occasio est illa emendi [110]), venduntur voluminibus undecim vel novem charactere Basiliano aureis non minus septem, excudentur tamen accessu annorum forte trium aureis 4, scilicet littera minuta. Quodsi Joachim in apocalypsin ad nos veniet, tibi quoque transmittetur [111]), sed me hercule summulas commutare nullo modo valeo, deficientes quaterniones non expecto neque debeo. Praedestinationes Staupicias ut [112]) Ludero mittas moneo. Interea velim me orationibus tuis necnon domino licentiato Brunopolitano, studii [113]) moderatori, commendari diligentissime et te valere felicissime, mel et delicias meas. Vale et in aevum vale et si me amas valitudinem tuam non negligas. Datae Nurnbergae ad X. kalendas Novembris anno 1517.

Nr. 146. 31. Oktober 1517.

An Johann Dolz.

Cod. G. fol. 118 (179) b.

Ad magistrum Johannem [114]) Veltkirchen.

Soli deo constanter servire et legem illius inviolabiliter observare, mi amabilissime amice. Ego quum homo sim qui

---

[107]) Cod. negligens. — [108]) Cod. tempus. — [109]) Cod. me. — [110]) Cod. emendet. — [111]) Cod. transmutetur. — [112]) Cod. ac. — [113]) Cod. studio. Bernhard Ebeling aus Braunschweig, Canonicus am Severusstifte zu Erfurt, war 1517 Rector an der dortigen Universität. S. Motschmann S. 361. — [114]) Cod. Johannes.

humanitate cedere et amore vinci plane omnium turpissimum ducat, certe fateri cogor litteras tuas admodum gratas mihi fuisse et id quidem multis nominibus. Primum ni fallor locupletes testes sunt sincerae cuiusdam mutuae in nos benivolentiae [115]), quam nedum pluribus annis continuasti pure quidem et sancte sed et perpetuare velle videris cum eo, qui amicos veteres et vinum vetus mirum est quam approbet, et quum principium amicitiae sit bene loqui, putasne nos immemores te tantam sustinentem exspectationem aliquando vel publice dubitare non debuisse [116]), attuleritne magnificus et plane tranquillus ille magistratus gymnasiarchae sine controversia omnium Wittenbergensium amicissimo plus dignitatis an ille rectoratui? Bone deus, qua charitate [117]), quibus officiis anno abhinc octavo ex Lacio redeuntem ad portam Feltkirchiam excepisti, tractasti atque etiam abeuntem deduxisti! O montes caelum tangentes qui me tantillum remorarunt vel potius inviderunt adesse tibi primum offerenti deo patri unigenitum suum! Certe, optime vir, ut Carolum illum Magno longe maiorem taceam, ut illustrem et fidelem patriam tuam praetream caelico ac prorsus divino pavone insignitam, hostium turrim ac formidinem, quoties in mentem veniunt fustes illi quos (nosti, opinor) proficiscens tibi ridens commonstravi, toties cogito aliis telis, aliis armis nihil opus esse, visurum me aliquando futurum, ut agrestes illi meminerint sortis suae tenuis [118]), magis suum [119]) fuisse semper agrum [120]) colere, pecora mulgere et id genus officia quam leges dare, quam esse modo harum modo illarum partium, aliud stantes aliud sedentes sentire, quam praedari et denique principes et duces suos deserere, ne graviori verbo utar, peculiare habere et pulchrum ducere fidem ac omnem integritatem quatinus leviuscula pecunia vendere, vel hoc certissimum mihi persuadeo vel deum opt. max., omnem iustitiam negligere et res humanas contemnere. Interea gratiam tuarum litterarum auxit, quod [121]) nedum suasu meo dulce natale solum reliquisti, sed et monentem ad quem nonnihil desidiae perlatum erat tam benigne audisti, ut continuo doctorandi facultatem animo complexus sis. Sed quid sibi vult istaec quae dicitur licentia? quin potius si litterae nostrae tibi calcar sunt, si apud te quidquam possunt, pro iure mutui nostri amoris te rogo, obsecro, moneo, obtestor, doctoreas

---

[115]) Cod. beniuole. — [116]) Cod. dubitasse. — [117]) Cod. claritate. — [118]) Cod. tenue. — [119]) Cod. sum. — [120]) Cod. egrum. — [121]) Cod. et.

infulas cogita, ad quas meas si opus est operas liberaliter spondeo. Hoc ipsum amicissimo d. cantori persuasi, nunquam paenituit neque tu paenitebis consilii: digna dignis conveniunt eveniuntque apud Libanum [122]); qui pietate atque honesto sua consilia metiuntur his demum solent res ex sententia succedere et, ut eleganter dixit antiquitas, suos cuique mores antiquitas facit. Satis superque eruditus es, sat scio: quottidie eruditior [123]) evades accepto stimulo ut dignitati correspondeas. Alia vita alios mores expostulat, eaedem ferme sunt expensae, tantum emolumenti accedet ut conducticius pro te legat arteis, si modo a sarcina illa non exonerabimini, ut consulenti Pfeffinger pollicitus est. Plura commoda scius praetereo, ne videar de te dubitare qui fraterna consilia nosti et libenter et facile sequi soles et meae voluntati defuisti nunquam. Tertium in litteris tuis nobis probatur, quod tu capitulares leges non prorsus improbas. Quantis me putas obstrictum vinculis? Extra civitatem tuto pernoctare non licet, singulis horis oportet me esse praesto: strictius obligari non possem, sed scio hominem natum non ad otium sed laborem, beneficium dari propter officium. Numquid clericum et deo dicatum immo quemcunque qui cupit salvus fieri oportet deo constanter famulari et in vinea Christi laborare? praesertim cum leges vestrae non totum hominem sed aliquando die festo, qui divino cultui peculiariter destinatus est, requirant et substitutum non respuant, nisi forsan stipendium petitis coniunctum soli otio atque inertiae. Plane decani vestri intentio non potest esse nisi salubris, nisi sancta, nisi Christiana, modo moderata sit. Adde, initia maxime fervida esse oportere, quum natura procliviores simus ad malum quam bonum, unde magis formidandus descensus quam sperandus ascensus. Quare cohortare fratres tuos, forti sint animo et quantum cum deo licet constanter obediant principi, decano, ut et maiora largienda inducant. Ego plane Pfeffingero inter convivandum haud obscure refragatus sum: ceterum tua epistola consilium mutavit, quam tu die Divi Maximiliani utpote Caesareus scripsisti, id quod postremo gratum mihi extitit. Juro deum, nihil maius habet Germania magno Maximiliano Caesare semper Augusto, patre patriae, neque me movent quidam inertes modicae fidei nescio quos latrunculos obiicientes, quasi vero Austria piratas [124]) curet et non potius pavo ille suis aureis alis nedum Christianum sed et universum orbem complectatur: cuius rei sane pulcherrima initia iecimus,

[122]) Wittenberg? — [123]) Cod. erudior. — [124]) Cod. perratas.

modo salvus sit felicissimus avus, salvi sint invictissimi nepotes et [125]) imprimis Karolus monarcha. Ceterum quidam sibi persuadent universum imperium duobus aut tribus mercatoribus niti, pauculis mercibus direptis aquilas Romanas pessumdari, sed non vident hi his artibus, his consiliis civitates et principes oportere in officio continerier. Iterum audio susurrantem nescio quem: Quorsum progreditur filius mercatoris? Sed non moveat mihi bilem quisquis is sit: forsan non importunum erit his legibus refrenari quorundam dolos, usuras, fraudes, avaritiam, monopolium. Hoc unum concludo, firmo, statuo, unum Maximilianum esse vicarium dei, deum terrenum, deum vero caelestem per hunc unum gubernare Christianum populum suum, vel non est apud prophetam: In manu dei cor regis? hoc est consilia Maximiliana vere a deo sunt, a deo exeunt, in deum tendunt. Hoc uno principe nemo alius est dei observantior, expertior, animosior, fortior, iustior, Christianior: successus hoc commonstrant. Attendant [126]) homines miseri, visurine sint in omni vita successorem aliquem (Austriacos semper excipio) qui huius legationes et canes venaticios enutrire possit. De praeteritis hoc ausim affirmare, neminem memoria hominum extitisse, cuius exercitus plus valuerit quam huius litterae. Vides, bone vir, quam accurate tuis litteris respondeam, quanti singula verba faciam, sed facit hoc meus in te amor vel saltim tua in nos benivolentia: parum nempe ista cogitavi, sed prout quodque verbum in buccam venit ita in calamum incidit neque dubito boni te ista consulturum, qui ipse bonus es atque humanus. Nunc venio ad mea, ut tandem scribendi finem faciam, ne tua prorsus abutar facilitate. Tuae fidei, tuae eruditioni trado, commendo cognatum meum Johannem Tucherum: illius studia diriges, mores firmabis et imprimis adulescentem in dei timore atque lege fideliter educabis, ipse te sequetur venerabiliter ut praeceptorem atque in omnibus obediet. Quodsi commendationem nostram sensero non fuisse inanem, multum tibi et cognationem et me obstringes gratissimum omnibus facturus et olim referetur gratia. De singulis igitur, qui libri, quae alia necessaria sint, quomodo se habeant omnia, nos reddes certiores. Quod ad disciplinam iuris civilis pertinet, si opus fuerit, uteris socio atque adiutore doctore nostro Iheronimo, quem verbis ita salvere velis ut hominem eruditum et plane iustum et bonum, undecunque etiam laude dignum (nam patriam nihil imputandam arbitror), quicum mihi

[125]) Cod. vt. — [126]) Cod. attentant.

semper convenit Caesarem et aquilas coli oportere, tametsi quid sit imperium convenire nunquam potuit. Sed haec per totum. Commoratur apud nos vir certe humanus ac egregius d. Udalricus de Dinsthet, summus meus amicus, mel et deliciae meae, collegii vestri gloria haud contemnenda. Tu parteis meas ages et quae ad amici officium pertinent nihil intermittes; sed et Vincencius Mays cui has ad te dedi de nobis bene meretur: si [127]) Franckfordio redierit te quoque amicum nostrum experiatur, et si illi litteras dederis fac sincere scribas, nullis titulis utere, nihil laudi, nihil ambitioni tribuas, pura sit oratio nostra, amicitia non phalerata. Ego vanitates istas ita abhorreo, ut neque lectione neque responsione digner. Instanti autem celebritati Divorum omnium, quorum templum diligenter veneror, utinam adesse liceret, sed mente officiis vestris non longe abero. Unde te rogo, ut pro optimae genitricis meae quae industria tua oblectabatur admodum et mea salute intercedere velis. Si qua rursus in re tibi potero gerere morem, tam faciam lubens quam qui maxime cupiat tibi esse amicissimus. Interea va'e. Nurnbergae pridie omnium Sanctorum anno ab orbe redempto 1517.

Unum paene oblitus eram. In provincia nostra vehementer excellit Johannes Eckius theologus, disputator grandis, canonicus Eystetensis, procancellarius Ingolstadensis. Pro iure nostrae familiaritatis conciliavi illi amicitiam cum doctoribus Eysenacensi, Luder, Carlstadino et Otthone, quamquam hic ei [128]) omnium tardissimus, quod eum moneri [129]) velim, parum respondeat: velim te quoque in illius amicorum rationarium adscribi, unde ad cum dabis conclusiones tuas et litteras, familiarita'e et consortio tuo dignum et amicum egregium.

Tuus Christofforus Scheurlus, i. u. d. patriae advocatus.

Nr. 147. 31. October 1517.

An Otto Beckmann.

Cod. G. fol. 132 (193) b.

Ad Othonem Beckman.

Decalogi observantiam, sobrietatem, castimoniam. Etsi crebris imo magis quottidianis litteris nostris parum respondeas, non putamus tamen cum facultate illa doctorandi superbiam quoque induisse te neque istud silentium tuum fieri per arrogantiam aliquam qui omnium es plane humanissimus, nominis

[127]) Cod. tī = tibi. — [128]) Cod. in. — [129]) Cod. moueri.

etiam nostri studiosissimus. Unde neque ego committere potui, ut aliquem sinerem ad te pervenire absque meis litteris, praesertim quum aliis scriberem quos posses timere Ottoni amico primati anteferri, potissimum cum optem nedum sincere amicitiam colere sed etiam ab omni quaque specie et sinistra suspicione longe abesse. Si quid praeterea efflagitas, facile praestabo qui iamdudum meipsum qualis sim tibi devovi. Quod ad Caesarem attinet omnia bene habent. Ferrariensium princeps Hipolitus dicitur hunc adire. Carolus apud Hispanos triumphat: illi Geltrensis Frisiam cedit accepta pecunia. Naturalis quidam Borgundiacus Traiectensem sedem accepit atque ut ferunt tutelam Gruningensem. Italia fere pacata est, speramus tamen futuros aliquos tumultus. Interea vale et vive felix, gratissimum mihi facturus si pro communis matris et nostra salute apud Divos omnis aliquando intercesseris meque de rebus tuis et communibus certiorem reddideris: est namque suspensum et anxium de eo quem ardenter diligas tam diu nihil sentire. Iterum vale. Nurnbergae pridie kalendas Novembris 1517.

Nr. 148. (Zwiſchen 31. October und 3. November 1517.)

An Ulrich von Dinſtedt.

Cod. G. fol. 133 (194) a. Das Datum ergiebt ſich aus der Stellung des Briefes im Codex.

Ad doctorem Dinsthet.

Felicitatem animi et corporis qualem ipse exopto. — — — Euern wirden bin ich 3 fl ſchuldig die ich bis auf vernern beuelch wo ich die hingeben ſol wil Innebehalten, die ſtain hab ich probiren laſſen halten aber nichts dann ſchwefel, meins achtens iſt der legat oder cardinal de campegio nymer beym keyſer derhalb ich gein rom ſchreiben vnd erfarn wil der inful halben.

Nr. 149. 3. November 1517.

An Spalatin.

Cod. G fol. 133 (194) a.

Ad magistrum Spalatinum.

Amare deum. Vellem quidem te consulere lippitudini tuae a libris contractae, attamen non possum mihi temperare quin te lectione litterarum mearum onerem. Qui enim fieri potuit aut debuit, ut familiaris nostris ad amicos litteris onustus ad te nihil perferret? Causa profectionis istaec est. Etsi plerique academici vestri nescio quid causantes aut etiam quo malo omine

abitionem ne dicam fugam aut desertionem moliantur, ego tamen diversa consulo. Nullam aliam academiam acque laudo, probo, extollo, quae mihi mater et parens est, ubi adolevi, crevi, profeci: cives plane humanissimi mei semper ita amantes ac cognati. Quicunque igitur meo utuntur consilio, illos Wittenbergam mitto tanquam ad mercatum litterarum et religionis fertilissimum, sicut in praesenti mitto Conradum Volckhaimer quem una cum Johanne Tucher et Hectore Pemer compatriciis tuae fidei diligenter commendo. Fac, obsecro, te experiantur patronum ad quem tuto confugere possint ut ad amicum Scheurlinum. Cupio namque nostros relicto Ingolstadio gymnasium vestrum immo meum deligere domicilium et studiorum suorum sedem peculiarem, unde nonnisi doctiores reverti possint atque etiam meliores. Tu fac, ne mea me frustretur expectatio qui de Spalatino omnia nobis pollicemur. Domino Pfeffingero utpote homini [130]) suavissimo, per hunc etiam principi illustrissimo cupio me diligenter commendari. Germanorum commentarii [131]) quos tantopere desideras mea opinione prelum subiere, te quoque adituri. Vale et consule valitudini, ut ita litteris diu consulere possis, pro me vero deum exora. Mirum in modum et toto corde optavi hac sacra celebritate templo et sacris nostris adesse, ubi te pie rogo in honorem Divorum omnium vel unam missam pro me celebrare digneris. Iterum vale. Nurnbergae 3. nonas Novembris 1517.

Tuus C. S. d.

Nr. 150. 3. November 1517.

An Martin Luther.

Cod. G. fol. 133 (194) b. Abgedruckt schon in Dr. Martin Luther's Briefwechsel, herausgegeben von Dr. C. A. H. Burkhardt. S. 7.

Ad Martinum Luder [132]).

Christi theologiam restaurare et in illius lege ambulare. Qui Augustinianae familiae plane devotissimus sum, committere nec potui nec debui, ut familiaris meus ad plerosque amicos litteras perferret, tibi vero qui doctrinae arcem tenes et pro egregia bonitate tua inter primores amicos numeraris nullas litteras a nobis redderet. Communis pater vicarius pro industria sua animos [133]) concivium meorum mirum in modum sibi con-

[130]) Cod. hominem. — [131]) Das Werk des Franciscus Irenicus. — [132]) Die Ueberschrift fehlt bei Burkh. — [133]) Cod. amicos.

ciliavit, magnum [134]) sui desiderium reliquit. Quottidie rogor, numquid reversurus sit brevi. Sequitur huius vestigia et hunc pulchre refert totus bonus et amicus familiaris Wenceslaus noster. Audiunt hunc Jeronymus Ebner, deliciae populi Nurnbergensis, Caspar Nuzel, Jeronymus Holtzschuher septemviri, iure consulti tres et alii plerique Staupiciani. Digniorem consessum [135]) apud nos nemo habet: hi [136]) etiam plerumque secum cenitant, se ipsos invitant, nobis architriclinis qui amicitiarum Augustinensium [137]) nunquam fui infidelis conciliator. In hunc modum fratrum tuorum auctoritas, amor, favor apud nos profuit non mediocriter; ego vero gaudeo qui haec communia existimo, scripturus aliquando pluribus ad te. Conclusiones tuae decano Eystetensi, homini erudito, et plerisque aliis probantur. Ihe. Ebner ut doctus et religiosus est ita te quoque amat et praedicat quem excellenti fama novit, cuius monumenta in manibus habet, legit, miratur, nostrae reipub. secundus moderator. Auctoritate tua facies rem dignam et nobis longe gratissimam, si ad hunc, coniugem Helenam, consobrinam meam, aut etiam communem filiolum et cognominem Ihero. scripseris aliquid ex officina tua religiosa catholica Christiana, quod ad animarum salutem pertineat, cuius plane sunt sitientissimi [138]). Vale, reverende pater, et si qua in re tibi aut tuis possum obsequi habes me tuissimum. Datum ut supra [139]).

Nr. 151. (3. November 1517.)

An Nicolaus von Amsdorff.

Cod. G. fol. 135 (196) a. Fehlerhaft abgedruckt in Preſſel's Nicolaus von Amsdorf. Elberf. 1862. S. 160. Anm. 5.

Domino licentiato de Ambstorff.

In lege dei ambulare. Qui in statu sint omnia, renunciabit familiaris noster quem ad te mittimus, atque rogamus Conradum Volckhamer una cum meis Tucher et Pemer habere commendatum, ut ita apud te gloriari possint commendationem nostram apud academicos Wittenb. aliquid valuisse, si modo dicendi sunt academici desertores et qui fugam moliuntur. Renunciatur praeterea esse te desidem, bibulum, antiqui hominem, religionem, litteras et parsimoniam parum curare [140]), quod minime arbitror

[134]) Cod. magni. — [135]) Cod. consessu. — [136]) Burkh. hic. — [137]) Cod. augustinen. Burkh. augustinensis. — [138]) Cod. sicientiss. Burkh. scientissimi. — [139]) Das Datum iſt vom Abſchreiber ſo gefaßt und bezieht ſich auf den vorangehenden Brief an Spalatin, vgl. De W. I., S. 79. — [140]) Cod. citare. —

qui te velim esse omnium eruditissimum, religiosissimum, cogitare etiam hominem senem et frugi [141]) patrem familias qualis semper esse debuisti. Ceterum haec scripsi per iocum, ne nihil scriberem ad te qui amicorum principatum obtines. Wenceslaus egregius praedicator te salutat. Vale etc.

Nr. 152. (3. November 1517.)

An Andreas Bodenstein (Carlstadt).

Cod. G. fol. 135 (196) a.

Ad doctorem Karlstadt.

Bene agere. Non sum arbitratus, praestans vir, pro iure amicitiae nostrae familiarem meum debere ad te pervenire sine litteris meis, ne forte in suspicionem veniam alios tibi in amore praeponere [142]), qui tui similes omnis eruditos et bonos semper plurimi feci, colui, observavi: ista etsi prius scis volui tamen te iterum scire. Eckii communem amicitiam ne intermittas et nobis ut amicissimis utere. Concives meos Johannem Tucher. Hectorem Pemer, Udalricum Pinder et quem nunc ad mercatum vestrum academicum aliis longe praestantiorem mittimus Conradum Volckhamer tibi commendo. Si quid humanitatis in hos [143]) contuleris, si te senserint patronum et amicum nostrum experiantur, gratissimum mihi efficies. Vale et deum pro me ora. Datum ut supra [144]).

Nedum procancellarius Ingolstadensis sed et amici praecipui Erhardus Truchses iureconsultus, decanus Eystetensis, et Kilianus Leib, prior in Rebdorff prope Aistatiam [145]) multifariam eruditus, conclusiones tuas admirantur, in pretio habent, ingenium coniunctum industriae laudant. Tu fac, ut ita progrediare ut fias quottidie melior, doctior, religiosior et imprimis divinae legis observantior: ita enim deo et hominibus placebis, beatus es et bene tibi erit.

Nr. 153. 5. November 1517.

An Erhard Truchseß.

Cod. G. fol. 136 (197) a. Abschrift von Scheurl's eigener Hand.

Ad dominum Erhardum Truchses decanum.

Obsequia parata. Reverendae paternitatis tuae epistola ad XII. calend. Sextiles ad me data, inclyte praesul, multis no-

---

[141]) Cod. fragi. — [142]) Cod. proponere. — [143]) Cod. hoc. — [144]) Die Fassung des Datums rührt vom Abschreiber her und bezieht sich zurück auf den Brief an Spalatin vom 3. November 1517. — [145]) Cod. Aistauiam.

minibus admodum grata mihi fuit. Imprimis pro iure meae in te observantiae gaudeo tantam te eruditionem cum vita Christiana coniunxisse: nam ego litteras tuas non intelligo aut ipsae locupletes testes sunt, nuper exisse te scholas aut continuo legere, videris mihi non scribere sed docere, singula verba tua apud me pondus habent et sententiae [146]) sunt. Potui quidem apud Plautum legere, indigna digna habenda esse quae faciat herus et plus scire satius esse quam loqui, item apud comicum, oportere minoris sortis homines domitos habere oculos et manus, orationem quoque, decere etiam videntem non videre et audientem non audire: tua vero auctoritas, quae continuis viginti annis maxima apud me fuit, stimulus mihi erit, ut horum perpetuo futurus sim memor, amicis etiam memoranda praedicaturus, utpote quae multis argumentis nonnisi salubria esse queunt. Unde tibi gratias ago et habeo, partim quod me quid de cetero faciundum sit tacite monuisti, partim quod consilio meo quod [147]) tu modestum appellas nihil de fide mea dubitans tantis authoribus et tua etiam gravissima sententia subscribere non dubitasti. Nihil eo infitias, gravissime me commovit praesertim principem stipulatis pactis refragari, donec mihi restitutus etsi tardus et prorsus invitus persuasi principem quidvis decere, ius esse quod sibi placeat, maiorem hunc legibus ne dicam conventionibus, regium esse non ex praescripto sed ex animi libidine vivere. Julia Anthoninum [148]) Caracallum privignum legitur ad incestas nuptias impulisse dogmate turpissimo: Si libet licet, Nero gloriari consueverat neminem ante se principem scisse quantum sibi liceret. Si leges et placita pedibus calcare licere est, faxit deus, ut solus Nero scierit, post eum quoque nemo nostrorum principum sciat quantum sibi liceat. Ceterum si incredibili humanitati tuae omnia debeo, ut certissime debeo, non potest mihi non esse molestum, non possum non subvereri ne in suspicionem tibi venerim, fuisse litteras tuas tam doctas apud me vulgares, nihil habuisse ponderis, quibus praestantem virum Joannem Cusanum tam diligenter mihi commendaras, in quem ego tam nihil humanitatis contulerim. Quod sic accipe. Pellecta eleganti epistola tua Cusano me et omnem operam meam liberaliter spopondi, mox in Misnam ad montem S. Annae profectus sum, unde rediens hominem non vidi neque quantum profecerit aut quo successu legerit sat scio, nisi quod a me petiit nihil. Tam autem

[146]) Cod. sententia. — [147]) Cod. quem. — [148]) Cod. anthonium. Vgl. Spartiani Carac. c. 10.

gratificaturus sum lubens excellentiae tuae et qui ex tuis sunt omnibus quam qui parum magis desiderat. Istud tibi de me persuadeas et velim et obsecro. Interea mitto tibi ac amicis communibus d. Eckio et priori Kiliano propositiones vere theologicas et admirandas, unde auctoritate tua dignas sum arbitratus. Dominationi tuae ac humanissimo d. Gabrieli de Schumburg concanonico cupio me plurimum commendarier. Valeat reverenda paternitas tua. Nurenbergae nonis Novembribus.

Nr. 154. 5. November 1517.

An Kilian Leib.

Cod. G. fol. 136 (197) a. Abſchrift von Scheurl's eigener Hand.

D. Kiliano Leib [149]), priori in Rebdorf undecunque erudito.

Bene agere. Etsi nihil unquam de tua celsitudine meritus sim, pater reverende, vir undecunque erudite, nullum tamen officii genus, nihil humanitatis in me excipiendo dimisisti, unde tibi ago et habeo gratiam maximam, relaturus etiam si unquam facultas dabitur tibi aut tuis gratificandi. Ita enim poteris me uti ac procuratore fideli conventus Rebdorf: tam serviam vobis omnibus lubenter quam qui maxime cupiat. Quum autem amicitiam tuam non vulgarem honorem arbitrer et eam perpetuari velim, mitto ad te amici mei theologi Luder propositiones quasdam, confisus illas tibi minime absurdas futuras. Vale et deum pro me ora. Ut supra [150]). Nam piscatorem Pirchamerum non dubito accepisse te. Iterum vale.

Nr. 155. 5. November 1517.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 137 (198) a. Abſchrift von Scheurl's eigener Hand.

Ad doctorem Joannem Eck.

Bene et moderate agere in dei timore omnia. Salve, praestans vir, amice amabilissime. Sunt qui excellentiam tuam calumnientur, sugillent atque redarguant, quod Basileae contra Roterodamum, Germanicum Ciceronem, publice exclamare, in illum invehere, compellare etiam bonum patrem non dubitaveris, tamquam his artibus maius nomen tibi conciliare satagas, quod non

[149]) Kilian Leib, der gelehrte Prior von Rebdorf im Eichſtädtiſchen, iſt beſonders bekannt durch ſeine Annalen, welche von Aretin und von Döllinger herausgegeben haben. — [150]) Die Faſſung des Datums erklärt ſich durch die Beziehung auf den vorhergehenden Brief an Erhard Truchſeß.

disputes sed arguas, non arguas sed convicieris, actoris et iudicis partes sustineas, quod nonnulla propere emittas, non omnia temperate agas, unde cum praeter aetatem solus velis sapere teipsum apud graves viros deprimas, donec procedente aetate ipse reprobaveris ea quae nunc vehementer solida videantur. Interea apud alios invidiam conflas, alii indigne ferunt conscriptum te his qui cum Capnione sentiunt. Quae ego plane nequaquam iudico, nisi quantum aliorum scriptis et verbis utor: hoc tantum iudico nihil ab amicitiae lege magis abesse oportere quam assentiri, adulari, annuere, connivere, applaudere, subscribere, nihil magis proprium esse amicorum quam monere, quam sinistra referre. Quum igitur tu te undequaque mihi geras amicum, non putavi te de his monendum quidem sed tantum certiorem reddendum. Si alia ad me allata essent, etiam perscripsissem. Quodsi aliquid egregiae tuae virtutis mihi vendicare soleo, cur non rursus stomachabor quos audio te parum bene audire? Quae pro iure nostrae amicitiae nihil dubito consulturum te sinceriter, qui cum eruditione multiiuga summam humanitatem atque etiam sapientiam coniunctam habes. Librarii nostri pauperes et admodum tardi sunt, certis etiam operibus adstricti, unde iuramentis tuis [151]) parum apud hos sperandum. Conclusiones iuridicas misi Vittenb., unde alias sed vere Christianas et plane theologicas accepi, quas decano Eichstetensi et priori in Rebdorff tibi communicandas transmisi. Quid de his sentias cupio cum Martino Luder reddi certior. Doctori Michaeli salutem ex me dicito et vale et omnia tibi de me persuade. Nonis Novemb. 1517.

Nr. 156. 5. Januar 1518.

An Conrad Peutinger.

Cod. G. fol. 137 (198) b.

Ad doctorem Conradum Peutinger.

Obsequia paratissima. Quod me superioribus mensibus, clarissime vir, multa humanitate excepisti, cupio tibi aliquando gratiam referre, interea ago. Pari modo me honorarunt praestantissime socer tuus et socii aureis duodecim, etsi non totidem denarios meruerim: ut illis me et operas meas devoveas atque dedas, te oratum velim. Mitto conclusiones amici Martini Luderi theologi quas auctoritate tua dignas sum arbitratus. Venit

[151]) Eck's Schrift De materia Juramenti acutiss. decisio erschien im folgenden Jahre zu Augsburg, s. Wiedemann, Joh. Eck I S. 483.

praeterea ad te Hispanus admodum pauper quemadmodum vides: non est qui hominem excipiat, pascat aut intelligat, sub divo dormit ut pecus, quem amici Saxones mihi commendarunt et plane peregrini fortunam doleo sinceriter. Quatinus autem votum [152]) Loretanum persolvere queat commodius, te obsecro ut causa dei et pro ingenua facilitate tua famulum dei omni ope destitutum iuues [153]), amicis commendes vel etiam Tridentino episcopo atque eius iter dirigas. Non dubito facturum te gratum deo, qui tibi una cum pudicissima uxore retribuat felicitatem perpetuam. Nurenbergae Nonis Januarii 1518.

C. S. i. u. doctor.

Nr. 157. 5. Januar 1518.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 138 (199) a.

Ad doctorem Eysenach.

Domino Jodoco Eysenacensi theologo hunc annum valere bellissime [154]) et vivere perpetuo. D. cantor, amicus communis, verbis tuis salutem mihi adscripsit quam ipse nunciasses, nisi paululum aegre sensisses. Plane gavisus sum qui de salute tua hoc tam periculoso tempore anxius fui, tunc autem plurima salute impertior ubi te audio valere bellissime. Arbitror legisse te apologiam Erasmi contra Stapulensem super versu: Minuisti eum paulo minus ab angelis, pariter et conclusiones Martini Luderi indulgentias interpretantes. Rogo ut dialogum meum domino cantori transmittas ac ipsi Martino Luder tractatus executionum aeternae iustitiae. Si voles mittam opera [155]) Augustiniana aureis septem: neque enim meliora expectantur. Numeravi aureos triginta novem, tantum opto qui commode ad te perferat. Adagia Erasmica et testamentum novum ita locupletata, ut nova censeri queant, una cum querela pacis recuduntur. D. Martinum Margaritum expecto salvum redeuntem Herosolimis. Interea velim me tibi et amicis nostris esse commendatissimum. Nurnbergae 5. Januarii 1518. C. S. d.

Nr. 158. 5. Januar 1518.

An Ulrich von Dinstedt.

Cod. G. fol. 138 (199) a.

Ad doctorem Dinsthet.

Obsequia paratissima. Opto te, clarissime vir, hunc annum ita feliciter vivere, ut perpetua felicitate frui queas. Quod te

[152]) Cod. notum. — [153]) Cod. viues. — [154]) Cod. beniss. — [155]) Cod. operam

pro humanitate tua offers fratri meo patrocinaturum, ago tibi gratias, et quando non datur occasio in re maxima tibi morem gerere, nihil gravor in modicis placere cui dare beneficium recipere est. Unde mitto 10 lot ſaffran pro 1 fl. et 7 lot Zimetroren pro 6 fl. Quidquid praeterea iusseris, lubens expediam et in rationes tuas referam una cum 3 grossis nuncio mutuatis. Conclusiones Martinianas grato animo accepi, quas nostri traduxere et in pretio habent. Erasmus perscripsisse creditur dialogum Divi Petri, Julii pont. et genii, rem plane festivam et auctoritate tua dignam: hunc duplicatum misi communi amico Eysenacensi, ut alterum redderet, sed homo cum bonitate tarditatem coniunxit; da operam ut lectum ad nos remittas et valeas felicissime. Nurnbergae 5. Januarii anno 1518.

C. S. d.

Nr. 159. 7. Januar 1518.

An Johann von Staupitz.

Cod. G. fol. 138 (199) b.

Ad doctorem Staupitz.

Domino Johanni de Staupitz theologo, Augustinensium primati, viro claro et erudito, felicitatem. Plerumque accidit, reverende pater, ut iumento ineptiori manticae et sarcinulae imponantur: sic et mihi quoque impedito minusque idoneo sodalitas ista Staupiciana apud Nurnbergam id oneris imposuit, ut te omnium nomine salvum iubeam, tibi bene esse exoptem, non tuas litteras quae status tui certiores nos efficiant sed teipsum expostulem atque etiam vehementer obsecrem, quatinus hanc quadragesimam verbum dei apud nos concionari digneris, quod ea re totum populum maximo sis devincturus beneficio omnia tibi ac tuis promittentem. Scimus te quoque apud Monacenses et Saltzburgenses benigne foveri et excipi, sed ut nostri plerumque sunt singulares ita in te amando nemini se cedere credunt vellentque in rationario tuorum amicorum non esse ultimi, utpote qui etiam iocos tuos [150]) reverenter accipiant, te praedicent, honorent, tibi placere velint. Unde etiam se tibi commendat pater patriae Anthonius Tucher, Heronimus Ebner mel et deliciae vel certe margarita populi Nurnbergensis, Caspar Nuzel homo gnavissimus, Heronimus Holzschuher, Andreas et Martinus Tucher, Sigismundus et Christofferus Furer, Lazarus Spengler,

[150]) Beiſpiele derſelben ſ. in Staupitii opp. I. p. 42 ff.

Albertus Durer Germanus Appelles, Wolffgangus Hoffman et ego imprimis et ceteri quorum nomina me fugiunt. Valeat reverenda paternitas tua. Nurnbergae ad 7. idus Januarias 1518.

C. S. d.

Nr. 160. 8. Januar 1518.

(An Caspar Güttel.)

Cod. G. fol. 139 (200) a. Ueber die Adreſſe vgl. Staupitii opp. I. p. 49 f. 13 f.

S. Nedum amicitia quam in academia tecum constitui sed et consuetudo et ius illud familiaritatis, quod cum omnibus Augustinensibus mihi intercedit, pollicentur te meas litteras benigne accepturum, maxime si mitterem sermones convivales reverendi primatis nostri, quos ex illius ore eo nihil minus cogitante perscripsit Lazarus Spengler; circumferuntur etiam eius doctrinae ecclesiasticae [157]): quae omnia indicant [158]) mirum studium, summam benivolentiam omnium nostrorum erga paternitatem suam. Ebner et Nuzel toti sibi dediti sunt, sua apud nos memoria frequens et quae praedicavit auditores in corde conferunt sedulo. Alii lubentius mori cupiunt, alii de salute minus diffidunt, plerique gemmas et potum ab illo denominarunt: omnia d. Staupitz resonant. Quottidie iubeor illum salutare et rogor, ubi agatur, quam belle valeat [159]), quando venturus, num praedicaturus sit hanc quadragesimam, num sibi amantiores sint Monacenses aut Saltzburgenses aut etiam quivis alii, ingenuo [160]) promittentes, si quod honorum genus omisere se liberaliter cum fenore etiam recompensaturos, modo redeat, modo non tardet, modo praedicet hanc quadragesimam, ne se neglectos censeant: quasi vero reverendus pater solam Nurnbergam curare habeat aut ego illius consiliorum particeps sim aut suum redire in mea manu sit. Interea partim suo nomine partim propria virtute colimus doctorem Wenzeslaum, quem continuo audiunt, ut tres iureperitos et reliquos taceam, Ebner, Nuzel et Holtzschuher, quippe tam praestantes optimates neminem alium audiunt: apud p. priorem et hunc frequenter cenamus utpote viros totos bonos, integros, rectos, nihil in convivio desideratur praeter reverendum patrem, interea subinde commemoratur. Paulatim quoque insinuo optimatum amicitiae d. M. Luder: eius conclusiones de indulgentiis admirantur ac in pretio habent Pirckhamer, A. Tucher et Wenzeslaus, C. Nuzel traduxit, ego Augustam et Ingolstadium misi.

[157]) Abgedruckt in Staupitii opp. I. p. 15 ff. — [158]) Cod. indicant. — [159]) Cod. valeant. — [160]) Cod. ingenio.

Rescripsit Eckius petiturum se decem miliaria ad d. illius disputationem, quippe inter eos amicitiam conciliavi. Quid de illo sentiat meus Ottho, rescribet familiaris noster, qui Wittenberga rediens duodenas litteras nobis reddidit nihil novi significantes praeter principis veterem tenacitatem et quod nihil minus curat quam litteras, Esticampianum tamen condixit et duas parochias scil. Westhausen 70 fl. et Rotha 40 fl., quas Henningus et Valentinus Mellerstat apud Herbipolin possident, incorporari fecit. Soror mea amitina Helena Ebnerin r. p. salvum cupit esse ac libellum de morte [161]) emendarier. Vale 8. Januarii 1518.

C. S. d.

Nr. 161. 20. März 1518.

An Spalatin [162]).

S. Ernest. Ges. Archiv. Weimar. Reg. O. pag. 87. Ll. 51. Orig. Papier.

Dem Wirdigen Wolgelerten Herren Georgio Spalatino chorherren zu Altenburgk meinem lieben herren vnd sonderlichen frewndt.

Freuntwillig dinst. Wirdiger hochberombter herr, sonder lieber frewndt, vnserm gemainen gonner Bernhardten von Hirffelt wollet anzaigen, das Burgermeister vom Stain hie gesagt hat, wie das die von Solotorn dem Herzogen von Wirtemberg 10000 fl. auf die graffschaft Mumpelgartten die Innen ze haben funff vnd zwanzigk Jar langk geligen hab, sonst ist wenig Newes vor augen. die 4 fl. euren bruder zugehorig sein mir nit behendigt noch von Im erfordert, doch will ich sie, wo euch domit gedinet ist, gern darlegen, so bin ich auch gepeten, einen Muffel vnd ainen Loffelholtz gen Wittenberg zufuren. Wollet neben herren Licenciaten Otten ..... nen zu bequemlichen anwesen verhelffen, dann bemelten von Hirffelt vnd euch willig dinst zuerzaigen wist Ir mich schuldigs vleis beraytet, mich In euer wirden Innich gebet zu allen heyligen beuelhende. Datum Nurmberg Sonnabent nach Letare den 20 Marcij anno 1518.

Christoffel Scheurl Doctor.

Meiner Herren New erlangten Ablaß brieff vbersende ich Doctor Ludern vndter anderm Inhaltent, das kein frembder ablas bey vnns hinfure publicirt sol werden. Weyl Ir dann zu Wittenburg ablas genug habt, wer euch meines achtens ein solche freyhait zu bedencken auch nit vnnutz, sonderlich die weyl man dieser zeit zu Rom allerley begern fayl macht. Datum vt in litteris.

---

[161]) Offenbar meint Scheurl Staupitzens Büchlein von der Nachfolgung des willigen Sterbens Christi, vgl. Staupitii opp. l. p. 50 ff. — [162]) Den folgenden Brief verdanken wir der gütigen Mittheilung Herrn Archivars Dr. C. A. H. Burkhardt zu Weimar.

Nr. 162. 5. April 1518.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 140 (201) b.

Ad doctorem Johannem Ecken.

Cum Christo resurgere in vitam aeternam. Egregie vir, frater honorande, quod interdum opera amanuensis ad te scribo, puto te magis imputare occupationibus quam desidiae nostrae, qui tui causa ad omnia paratus sum. Quod frequenter ad te scribens tua abutor humanitate, facit meus in te amor, quippe bonitatem tuam et sinceram benevolentiam vellem mutuis officiis compensare et in amore nequaquam cedere. Ceterum hesterno vesperi Franckfordio ad me allata sunt acta inter dominum Capnionem [et] Hochstraten, eiusdem apologia et obscurorum lamentationes: quae omnia etsi desideranter desiderem legere, statui me tamen tui amore ea voluptate suspendendum et tibi potius imprimisque communicanda, haud ignarus ita me gratificaturum Eckio quemadmodum maximo opere cupio. Non tamen mitto ea lege, ut singula approbem quippe quae nondum legi, sed ut nobis missa sunt: ipsi viderint. Apologiam Erasmicam et nostram excusationem si misero omnino remittas. Unanimiter ad me scribunt et frequenter amici Wittenburgenses: Tuus Eckius, tuus Eckius parcius, modestius cum bono Martino agere debebat, qui et ipse pleraque Viennae disputavit magis indagandae veritatis gratia quam ita statuendi. Quid quod Martiniana fundamenta nondum vidit, hominem non audivit et condemnat? Rogo igitur te pro iure fraterni amoris atque etiam obsecro, ut amicitiam cum meissimis Wittenbergensibus initam non manu tegas tantum, sed etiam augeas. Ego qui apud ipsos multum possum interim curo diligenter, ut tua amicitia dignos se praestent, ut te amare [163]) non intermittant, ut boni consulant Eckiana omnia, et quando meae voluntati nunquam defuisti, non dubito officiose et nostri causa curaturum singula recte, quippe princeps et academici omnes cum Martino sentiunt et forte etiam cum Capnione. Multa de Wittenburgensium conditione [164]) accipies ex Paulo licentiati Feltkirchensis servulo quantulocunque: etiam is Monacum proficiscitur reversurus cum tuis litteris, quem sua dextera gnava [165]) commendatum tibi reddet. Interea vale, frater amicissime, et nos mutuo ama et d. F. Burckhart non vulgariter commenda. Nurnbergae nonis Aprilis anno 1518.

C. S. d.

---

[163]) Cod. amore. — [164]) Cod. Multam Wittenburgen: conditionem. — [165]) Cod. gnauia.

Nr. 163. 19. April 1518.

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 141 (202) a.

Ad doctorem Ecken.

S. Apud montem S. Annae pro ducibus Saxoniis Albertus frater meus monetam probat curatque, ut integra, ut iusta edatur. Is familiariter utitur praefecto [166]) ducali Alberto de Schreibersdorff monetario, cuius privignus Christofferus Thumbshirn adolescens in academia vestra bonis litteris studet, unde arbitratus sum unico beneficio meriturum te egregie de nobili praefecto, fratre et nobis, si scholasticum hunc tibi redderem commendatissimum, si hunc precibus nostris ita foveas, ita amplexeris, ut parens intelligat amicos apud proceres Ingolstadienses valere plurimum. Interea quem tibi commendamus te honorat chartaceo munere, orthographia Hebraica [167]). Si quae praeterea ex his quae illi coemimus placuerint, uteris illis pro arbitrio tuo. Ego quoque, ne prorsus vacuus scriberem, tibi Caesareo mitto Karolum Maximum: nam meipsum dudum misi, tradidi, obtuli, devovi. Expecto autem litteras tuas tantum amicitiam fraternam nunciantes, praeter animum sincerum cupio nihil qui eruditione excellis, amore cedere nescis. Vale, egregie vir, frater suavissime. Iterum vale. Nurnbergae ad XIII. kalendas Maias anno 1518.

C. S. d.

Nr. 164. 19. April 1518.

An Jodocus Trutvetter.

Cod. G. fol. 141 (202) b.

Ad doctorem Eysenach.

S. Ego qui natura mea longe libentius credo quam debeo, quippe qui debere nescio vel saltim invitissime debeo, nuncio nostro iurato Henrico Winckler nona Aprilis ad te dedi perferendos aureos undequadraginta egique gratias. In praesenti autem mitto Hochstratinam apologiam, lamentationes obscurorum, acta iudicii [168]), quod his speravi te et contubernalis tuos haud vulgariter oblectaturos, quippe qui vellem de vobis omnibus mereri

---

[166]) Cod. profecto. — [167]) Wahrscheinlich die Schrift Reuchlins De accentibus et orthographia linguae Hebraicae, welche im Februar 1518 bei Thomas Anshelm erschien. — [168]) Vgl. Nr. 162. Die Acta Judiciorum inter F. Jacobum Hochstraten et Johannem Reuchlin sind gemeint; sie erschienen im Februar 1518 bei Thomas Anshelm.

optime quibusque cupio commendarier plurimum. Sororium tuum non vidi, accepissem tamen cum dignitate. Quod aedes tuas mihi offers, ago gratias, etsi nihil novi offeras, quando tua et mea communia sunt iamdudum. Vale feliciter. Nurnbergae ad XIII. kalendas Maias anno 1518.

C. S. d.

Nr. 165. 14. Mai 1518

An Johann Eck.

Cod. G. fol. 37 a.

Ad doctorem Johann Ecken.

S. Ego vero, optime vir, nihil minus cogito quam Eckium beneficiis obruere, quem dudum scivi humanitate superari non posse, quin potius tibi quod vitae tuae rationem mihi reddis et importunas amici litteras non modo non gravate suscipis sed et his accurate etiam respondes, ago gratias. Unum autem imprimis a te peto: seponamus titulos, non utamur pluribus; oblectentur alii verborum lenocinio, sit inter nos etsi tibi longe sim inferior vera charitas, mutuus amor, sincera fraternitas quae fingere nesciat, quae adulari respuat. Quidquid de nobis et officio nostro tibi persuaseris, esto certus non frustra persuasurum. Ego benignitate dei pluribus et his quidem praestantissimis viris utor familiariter, nullius unquam opinionem frustratus sum. Inter horum primores inclita virtus Eckiana sibi vendicat peculiarem sedem: omnia tibi tribuo, credo, confido, me tibi permitto, haud ignarus causam meam tibi communem esse; nihil minus formido quam a te falli, decipi aut mihi imponi. Unde de his satis. Venio nunc ad litteras tuas et dudum compertum habui B. Adelmon ad nos misisse quae de Martino extemporaliter scntis. Quo animo Aurelianis id [169]) communicatum sit, alii viderint. Ipsi nuper Hedelberg attulere defensiones suas, quas ille ita plausibiliter legit, aliis interpretatur et tam continenter in manibus habet, ut mihi etsi iterum atque iterum rogitanti nondum copia fieri potuerit: audio tamen, quia de his multus sermo est, Martinum propriis telis te confodere et mirum in modum se tueri. Ego illa tamquam ex alta arce olim praevidi, scripsi etsi iniussus pro officio meo ad Wittenburgenses quibus familiaritas nostra notissima est. Propterea, ut etiam antea obscure tibi significavi, clamarunt omnes: Tuus Eckius,

[169]) Cod. ad.

tuus Eckius! Heu [170]) praeceps cogitatio! quam velox iudicium! Quid inter hos sentiat Spalatinus meus, clarum faciet epistola sua, quam una cum litteris Martini mitto ea lege, ut non modo remittas sed et pro non lectis habeas, pari conditione defensionem Martini ut primum licuerit missurus. De qua re etsi aliquantulum dubitavi, arbitratus tamen sum id de prudentia et integritate tua fore diffidere, qui tui ipsius es moderator et arbiter, singula etiam diligenter circumspicis et praecogitas. Age vero quam inique agerem, quam dignus essem omni reprehensione, si me conciliatore (quod deus avertat) inter vos [171]) amicos meos orientur iniuriae, simultates et quae his sunt peiora. Ceterum audio mercatores nostros circumferre tralatam epistolam Hochstraten ad pontificem et Caesarem, sed magis a te expecto iudicium libelli, cui quippe non desunt ex ordine vestro qui vehementer approbent. Interea nostrae reipub. secundus moderator affinis et amicus amicissimus Hieronimus Ebner multum a me efflagitat libellum de paenitentia quo te donavimus: si commode fieri potest, illi remittas velim, quippe dignus est beneficio tuo. Circumactus est his diebus annus quum Augustae degi et episcopo tuo pro iure nostri diuturni condiscipulatus per litteras congratulatus sum, etsi nihil responderit forte impeditus in adipiscenda possessione tam nobilis episcopatus. Velim me illi aliquando una cum nostro Ebnero commendarier non vulgariter. Nuper etiam apud Montem Gratiae [172]) tuo Fabiano Philadelphiensi conversatus sum, quae consuetudo multum me recreavit tum ob hominis eruditionem, dexteritatem, praestantiam, tum quod animadverti enim tibi amicissimum de te integerrime loquentem, quippe de Eckio communi amico multum et diu et familiariter etiam interlocuti [173]) sumus et dulce est de amico prospera, honesta, recta nunciari. Familiaritatem cum homine abhinc quadriennio constitutam tua commendatione cupio augeri, te autem valere plurimum et nos amari mutuiter. Datae Nurnbergae 14. Maii anno 1518. C. S. doctor.

Nr. 166. 15. September 1518.

An Andreas Haindel (Hanlin).

Cod. G. fol. 38 b. Die Ueberſchrift iſt von Scheurl's eigener Hand.

Domino Andreae [174]) episcopo Naturensi, suffraganeo Bambergensi.

Obsequia parata. Quod reverenda paternitas tua cognatum et filium meum Johannem Tucher benigne excepit et mihi vel

[170]) Cod. heus. — [171]) Cod. nos. — [172]) Gnadenberg, ein ehemaliges Kloſter bei Altdorf, deſſen Ruinen noch ſtehen. — [173]) Cod. introlocuti. — [174]) Ueber Andreas Haindel oder Hanlin aus Kranach ſ. v. Soden's Beitr. S. 51.

incognito gratificari cupit, quid retribuam tibi, pater reverende? an hoc tribuam tuae humanitati, tuae virtuti? an commendationi fratris nostri theologi Johannis Hubschenawers? an forsan quod ita peculiariter mihi convenit cum multis propraesulibus? et inter hos cum Erpfurdensi, Aichstatensi, immo cum Eckio et pluribus bonis? Interea ut aliquam tibi gratiam referam, mitto quaedam ex officina mei Lutheri, missurus alia quoque si haec humanitati tuae sensero non displicuisse. Si qua praeterea in re tibi possum gratificari, iube, indica [175]), impera: tam faciam libens quam qui tibi, omnibus Eckianis, omnibus bonis placere cupit maxime. Interea vale et me in rationarium tuorum familiarium inscribe, ita tamen, ut non ultimum locum habeam. Iterum vale, pater reverende. Nürnbergae 15. Septembris 1518.

R. p. t.

Cristofforus Scheurl, i. u. doctor.

Nr. 167. 17. September 1518.

An Johann Rhagius.

Cod. G. fol. 40 (54) a.

Johanni Rhagio [176]) Aesticampiano Lusacio, rhetori et poetae laureato, theologiae doctori et professori Wittenburgensi ordinario, domino et amico inclito, dulci, honorando.

Bene agere. Inter amicos Wittenburgenses, doctissime vir, te quoque numero: facit hoc tua probitas, modestia, eruditio et diuturna nostra familiaritas utpote in felici Felsineo studio [177]) anno abhinc vicesimo inita, quum [178]) tu hos versus scribebas. Sed in praesenti unum a te peto, ut amicum meum Burchardum medicum atque etiam filium nostrum Johannem Tucher commendatos habeas. Quodsi rursus tibi possum prodesse, tam faciam lubens quam qui maxime [179]) desiderat. D. Baltazarum Phachum cupio esse salvum, te quoque valere perpetuo. Nurnbergae ad XV. calendas Octobris anno restitutae salutis 1518.

Nr. 168. 17. September 1518.

An Rector und Senat der Wittenberger Universität.

Cod. G. fol. 82 (143) a.

Undecunque praestantibus et eruditis viris rectori ac senatui illustris academiae Wittenburgensis, dominis et praeceptoribus honorandis.

---

[175]) Cod. iudica. — [176]) Johann Rhagius oder Rack aus Sommerfeld studirte lange in Italien, erlangte vom Papste den Lorbeerkranz, lehrte an verschiedenen Hochschulen, seit dem October 1517 zu Wittenberg, und stand mit vielen Gelehrten in freundschaftlicher Verbindung. Die Literatur über ihn s. D. W.-Seidemann VI., S. 448. Anm. 3. — [177]) Cod. studeo. — [178]) Cod. quin. — [179]) Cod. mox.

Obsequia parata. Petrus Burchardus, insignis medicus, artem suam medicam in gymnasio Ingolstadiensi aliquamdiu professus est et etiam apud Nurnbergam, Ulmam, Ratisponam et alias civitates excreuit, ubique publico inauctoratus stipendio et cum laude etiam atque nominis celebritate. Eum tandem selegit Maecenas vester princeps Focdericus, qui Wittenbergae quoque doceat, persuasus id litterariae vestrae reip. haud mediocre commodum allaturum. Unde nil dubito, patres conscripti, futurum hunc integritati vestrae sua inclita virtute commendabilissimum: tamen quia homine utor familiariter nolui [180]) eum ad vos venire absque meis litteris, quod sperabam vos vel pro vestra in me benivolentia diligenter curaturos, ne is meas [181]) frustra desiderasse videatur, quin potius utcumque nobis sentiat charissimos quibus nos commendamus atque etiam dedimus. Valete feliciter. Datae Nurnbergae ad XV. calendas Octobris anno a reconciliata divinitate 1518.

C. S. i. u. doctor.

Nr. 169. 2. October 1518.

An Spalatin.

Cod. G. fol. 46 (84) b.

Domino Georgio Spalatino.

Fidem fraternam. Festinans mea abitio in Aschaffenburgenses cogit me esse breviorem. Rogas, mi optime Spalatine, an litteras tuas acceperim XXIII. die ex Koburgo. Non accepi: unde vide cui dederis vel quid scripseris. Unum te scire volo: heri venit ad me frater tuus cum uxore, cum supellectile; ego homini permisi tuguriolum in hortis meis suburbanis portae quae ducit ad D. Sebaldum adiacentibus, ni fallor opportunum et commodum hospitium. Quodsi gnaviter se habuerit, arbitror illi provisum: adceptus est in famulicium honestum habeturque commendatus. Reliqua ego curabo, ne amodo indignans me alioquin in rebus tuis solicitum urgeas, quid velim et possim et si deo placet an velim an possim quicquam in re fraterna: unde officium meum impertitus tibi sum libentissime, quod spero deinde crebriores adcepturum litteras, futurum etiam te nobis coniunctiorem, addo devinctiorem etiam. Ceterum te salutant utriusque amicissimi Jeronimi Ebner, Holtzschuher, praepositus Augustinensis et reliqui boni. Tu si me amas sicut certe me

---

[180]) Cod. volui. — [181]) Erg.: litteras.

amas, cura, da operam, ut Martinus, ut Spalatinus de deliciis nostrae reipub. Ebnero bene mereantur: parum mihi gratius accidere potest. De re Martiniana bene speramus. Refert cognatus meus Melchior Pfinzing, praepositus D. Sebaldi, in illius favorem scripsisse Caesarem pontifici maximo, miror tamen cum ceteri sint desides magis. Homini omnium probissimo et fratri nostro Othoni commenda nostrum Ebner et nos et nisi molestum fuerit nostram profectionem excusa. Ubi benignitate divina post XI. dies redierimus, silentium nostrum compensabimus diligentissime, neque propterea te praeteriemus epistola longissima: numeraris etenim inter primores amicos, quare cupio te valere et tibi bene esse plurimum. Nurenbergae 2 Octobris anno a partu [182]) virgineo 1518.

Tuus Cristofferus Scheurll, iuris utriusque doctor.

Nr. 170. 21. October 1518.

An Otto Beckmann.

Cod. K. fol. 260 (442) b.

Ad dominum licentiatum Otthonem.

Se totum. A proximis nostris litteris nihil ferme accidit, suavissime Ottho, quod ad te scriberemus: nam id vulgatum non arbitror te [nescire] instituisse pontificem Leonem ordinem quintum mendicantium, cardinalium scilicet, admodum enim pauperes sunt et si quid habuere hoc in pileum expensum. Rogas de Martino nostro: Caesarianorum, Augustensium et plane omnium doctorum aut bonorum mirus in hunc favor; Caesariani assecurarunt, Augustani auxilia polliciti sunt. Res cum legato coepta disputari. Legatus furibundus arrepto libro, extravaganti scilicet Unigenitus, seipsum proprio mucrone confodit neque scripto agere vult. Martinus pleraque protestatus est; fideli Christiano digna fundamenta in articulos digessit, more suo egregie, mox invulgandos [183]): petit examen Parrisiensium, Levoniensium, Friburgensium, Basiliensium, petit doceri, melius informari, sua sponte daturum manus. Cardinalis absque omni ratione hoc unum agit, clamitat, perseverat: Revoca, revoca! etsi tandem stationariorum [184]) abusum corripere non prorsus improbet, modo claves non attingantur, hoc unum retractetur, reliqua soluturum per distinctiones. Martinus perseveranter

[182]) Cod. parto. — [183]) Es ſind die Acta F. Martini Luther August. apud D. Legatum Apostolicum Augustae. — [184]) Cod. staciariorum.

renuit, appellat pontificem et hunc melius informandum, appellat futurum concilium si ita opus fuerit. Vicarius et Wenceslaus re infecta ad nos rediere, forte voluit esse complices: timent anathema. Expectamus Martinum omnia prospera illi precantes, etsi durum sit certamen et inaequalis pugna privata cum pontifice maximo de potestate pontificia, de visceribus pontificiis. Sed deus bone vertat! Praeterea invulgatum circumquaque petendos nos bello. Casimirus bellum et quidem castra parat. Hostem adhuc incertum habemus, iustam victoriam precamur, bene agere Trevirens. et alios, quod in multis dissensere. Moguntinus utpote decanus diem edicet Franckfordiam regis eligendi, ad illius citationem venire quidam respuent: omnia fuere venalia. Nauclerus refert, pium Carolum 4. emisse Wenceslao tandem destituto singula suffragia singulis centenis milibus. Nos non possumus nisi expectare tempora omnium periculosissima, tantum igitur ad solum deum profugiondum. Sed tu vale. Nurnbergae 21. Octobris 1518.

C. S. d.

Cardinalis patri Martino duo obiecit. Primum est extravagans illa Unigenitus Cle. VI. in qua thesaurus indulgentiarum asseri videtur esse merita Christi et Sanctorum, quod Martinus in positionibus videtur negare. Respondet Martinus duplici via, contentionis et concessionis, idque per multa egregia. Obiectio altera est, quod in conclusione septima declaranda Martinus dicit, neminem iustificari [185]) posse nisi per fidem, sic scilicet, ut necesse sit cum certa fide credere se iustificari et nullo modo dubitare quod gratiam consequatur; si enim dubitat et incertus est, iam non iustificatur sed evomit gratiam: quae theologia nova videtur et erronea. Respondet Martinus per multa fundamenta more suo erudite, commendans se Sanctissimo et cardinali, petitque rectius informari et interea ad nullam revocationem cogi.

Nr. 171. 21. October 1518.

An Ulrich Pinder.

Cod K. fol. 272 (462) b.

Ad Udalricum Pinder.

S. Cogit me quidem humanitas tua, impellunt varia genera officiorum, ut tibi multa debeam: sed quid vis me facere, optime Pindare, quando mater omnis pietatis immemor est, ita noverca,

[185]) Cod. Justificare.

pater ita durus, agrestis, ut nullo modo stipendium peti patiatur? Stipulatur tamen pignoraturum domum aureis C., his futurum studiis tuis auxilio, modo per carnificinam liceat. Consului illam in ius trahat, pronunciabimus ei licere, non defuturam pecuniam. Etsi necessario libens litem emat, solicitavi procuratorem, quum [186]) assidentibus nobis hoc non liceat sicut neque auxilium a senatu rogare contradicente patre. Mutuaveram illi nuper aureos decem arbitratus tibi mittendos: vix extorsi. Discurrit mater, si hoc nomine meretur appellari, furibunda protestatur nihil reddituram; ita indigne fert, ut contra vociferando paene raucescat, cupit tamen paternis libris opem ferre: si distrahi possunt, tu videris. Praeterea pater tardus, piger, inconstans, quasi aliud sedens aliud stans sentit. Iterum adibo hominem, cupio nempe studia tua iuvarier: parteis amici agam, quoniam tu in me ita confidis, ita benevole agis, quae omnia grata mihi sunt, agoque gratias quod eum Philippo, homine erudito qui aetatem virtute superavit, amicitiam mihi constituisti. Reliquum non sinit me petere pudor meus, non petitur tamen non gratiss. evenire [187]). Unde me commendabis amico non vulgari haud vulgariter. Cura etiam, ut filius Tucher una tecum bonis litteris indesinenter operam impendat: quod ad me attinet tuae voluntati non deero. Vale, mi Pindare. Nurnbergae XXI. Octobris anno 1518.

C. S. d.

Nr. 172. 21. October 1518.

An Spalatin.

Cod. K. fol. 275 (465) b.

Domino Spalatino.

Spalatine, salve. Quod cum nostro Martino non sum profectus [188]), excuso absentiam meam senatus causa, cui miereor, et quod de ea profectione dubie me praemonueras [189]). Quid de Martino agatur, ex illius litteris intelligis. Mirus in hunc omnium favor. Ubi ad nos applicuerit, dabimus operam ut Saxonum ditionem tutissime attingat, nullum in hominem officii genus praetermittentes. Nunc advenit pater vicarius quem adeo: nam Wenceslaus pridie rediit. Quidquid apud nos communicato consilio in re Martiniana decretum fuerit, perscribam ad te. Interea iussu tuo domino Johanni Bossenstaino praesente priore Augustiniano annuente etiam Martino numeravi aureos 4: ni

[186]) Cod. quin. — [187]) Die Stelle iſt dunkel, auch im Cod. nicht genau zu leſen. — [188]) Näml. nach Augsburg. — [189]) Cod. promonueras.

incommodum fuerit, cura mihi fieri satis moneta principem referente apud nos excusa. Vale et hac sancta celebritate pro me ora et filium Johannem Tucher commendatum habe. Iterum vale. Nurnbergae XXI. Octobris anno a Cristo nato 1518.

C. S. d.

Nr. 173. 23. October 1518.

An Philipp Melanchthon.

Cod. K. fol. 138 (175) b.

Undecunque erudito ac celebri domino Philippo Melanchthoni [100], professori Wittenburgensi, amico honorando.

S. Redeuntem me Aschaffenburgo, Philippe undecunque erudite, tantum me oblectarunt litterae tuae suavissimae quantum haud facile exprimere possum; certe omnis laboris immemor summa perfusus sum in his pellegendis voluptate. Quis enim non gauderet tam doctum, tam humanum amicum, qui ultro sua sponte nullis meis meritis de se bene merendi occasionem attulit? Professus sum accepto doctrinae [101]) gradu apud Wittenb. quinquennio: quantulus sum apud Wittenbergenses factus sum, his omnia accepta [102]) ferenda. Nullum hi in me officii genus praetermisere: tantum Wittenbergae debeo quantum patriae, tantum Wittenbergenses amo quantum ex meo sanguine natos. Nunquam aliud mihi persuadere potui nisi deum sibi, matri, Sanctis et Musis omnibus delegisse ab aeterno Wittenbergam peculiarem sedem. Res ipsa hoc monstrat: ut quisquis inter academicos addo etiam cives pollet, ita illo familiariter utor; longum esset amicorum catalogum recensere. Quod tu quoque quae tua est modestia, etsi ego sperare non audebam, meam amicitiam non aspernaris, ago habeoque immortales gratias. Hoc unum superest, ut me utaris amico: si tibi possum gerere morem, cui dare beneficium accipere est, qui Irenico, Hutteno et reliquis eruditis non vulgariter celebraris, qui [103]) tua virtute Vittenbergam immo Saxoniam illustras, tam faciam lubens quam qui maxime desiderat. Interea mittit Koberger unicum quod habet exemplum bibliae Graecae Lipsiensi institori suo, quod aestimat aureis octo; forsan cum meo nomine aliquid remittet. Fratrem Otthonem, D. Carlstadt et reliquos amicos cupio valere. De re Martiniana perscribo Otthoni, quicum seria et omnia communia habeo. Imprimis autem commendo tibi filium meum

[100]) Cod. Melanchdo. — [101]) Cod. doctrinis. — [102]) Cod. accepto. — [103]) Cod. que.

Jo. Tucher gaudeoque [194]) tua eruditione rediturum qualem maxime expecto. Sed iam me totum tibi dedo. Vale, mi optime Philippe, et me mutuo ama. Datum Nurnbergae ad X. kalendas Novembris anno 1518.

C. S. d.

Nr. 174. (Anfang November 1518.)

An Otto Beckmann.

Cod. L. fol. 93 (318) a.

Ad Otthonem Beckman.

Jesus.

Servire deo et hunc solum amare, mi amabilissime Ottho, frater honorande. Primum absolvemus res publicas, de quibus cupis reddi certior, et sunt qui in hoc sacro principum [195]) conventu nihil actum garriunt. Heus omnia acta sunt, nulli principum quidquam negatum, Marchionibus et Palatino amplissima vectigalia concessa, addita huic etiam quae privare nefas erat, [nefas] concedere, et quidam fabam cum pileo forte commutavit [196]). Quid plura? Caesar Veronam et id genus urbes contemnit, totum orbem ambit, molitur, cogitat. Quatuor electoribus decretum est, non Ferdinandum quemadmodum cum plerisque falsus sum sed Karolum Maximum asciscere avo collegam. Hac lege facile dominabimur provinciarum reginae Italiae ac finitimis. Refragatur quidem, sed frustra, nescio quo consilio Treverensis et item alter, qui omnia, etiam perpetuum vicariatum imperii quem amiciss. Herbipolens. nisus obtulit respuit. Indignissime fert hoc senex, ex omnibus unicum cognatum tantopere discrepare [197]): nihilominus perstat [198]) ille, clamat non licere nondum Caesari successorem designare, iurasse se, servaturum iurisiurandi religionem, nequaquam indicaturum [199]) animum donec secundum Karoli constitutionem conventum fuerit. Ridet Maguntinus, oriuntur iurgia [200]), decernitur alius conventus Vormaciam, in hunc omnia reiiciuntur: interea deliberet quisque, quid apud pontificem et Romanos quaerendum sit. Haec summa actorum. Unde intelligis de Boemo nemini cogitatum: fortasse enim mallet Saxonem Saxo, quamquam ego quoque mirer comitiis Vormaciam praefinitam, an quia Franckfordio finitima? an ut istic cunctando incertus Karoli appulsus excipiatur? Si

[194]) Cod. gaudioque. — [195]) Cod. principium. — [196]) Cod. tum mutavit. — [197]) Cod. discerpare. — [198]) Cod. prestat. — [199]) Cod. iudicaturum. — [200]) Cod. virgia.

modo Caesar praesentem vellet suffici, alioquin quid expectamus ver [201])? Si quod dicitur inter os [202]) et offam, cur non hodie? Sed haec supra crepidam nec cuiquam temere communicanda: praeterquam uni Otthoni et etiam iucundissime amico Udalrico de Dinsthet illud nuper scripsimus, non venturum illum a Moguntino arcessitum [203]), cuius apud suos non admodum grandis est auctoritas qui ei pontificatum precantur et sibi Bertoldum. Nos vero annuente deo quiete hiemabimus. Quodsi ille adoptato collega perseveraverit, et nobis pugnandum erit: pugnabimus pro libertate animo invicto acerrime usque ad medullam etiam. Sed sunt et hi quidem non contemnendae auctoritatis, qui electionem hanc difficile progressuram autumant: ego vero arbitror omnia plana, nisi malis tumultuari omnia Ferdinandum. Legatio venit Augustam, ipse Antverpiae egit, in ducatus [204]) avitos tamen [205]) modo successurus. Reliqua Karolo parebunt. Ceterum unum hoc subiiciam, quando me libenter legis, audis, relegis, Otto, et ego pari voluptate tecum fabulor. Communicavit mihi decanus Aschaffenburgensis imaginem Karoli super leonem stantis: circum figuratae erant coronae regis XVI, cuique singula nomina scripta, scilicet Castilia, Leon, Granata, Galicia, Viscaia, Muricia, Canaria, Antilias, Acrica [206]), Maioricas, Crebena [207]), Cecilia [208]), Neapolis, Castilea, Valencia, Argon; in exteriori circulo scriptum erat: Leva in circuitu oculos tuos et vide, omnes isti sperant in adventu tuo. Quae res admodum nos oblectavit, maxime si tibi communem fecerimus fructum peregrinationis nostrae. Venio nunc ad quaternas litteras tuas. Imprimis Vincencio Meysen eunti Franckfordium dedi aureos in auro [209]) 20 tibi reddendos, tu hominem benigne suscipies curabisque mihi curatores Volchameri restituturos [210]): facile enim efficies, ut propinqui eius et Tucheri, Paumgartners, Reichels aliorumque expensas futuri anni modo solvant, qua re tibi consuletur absque alicuius incommodo. Scripsit etiam Koberger librario suo, ut tibi sub fide vestra quoscunque libros credat. Si quid amplius nos facere voles, iube; unum tantum oro, vive temperanter, abstine [211]), contine: sunt enim qui convivia tua improbent, et quid nobis molestius [212]) nunciari posset quam incuria [213]) tua tantopere exoptata valetudine fraudatum. Da

---

[201]) Cod. veren. — [202]) Cod. hos. — [203]) Cod. accessitum. — [204]) Cod. ducatos. — [205]) Cod. tum. — [206]) So Cod. — [207]) So Cod. — [208]) So Cod. — [209]) Cod. aureo. — [210]) Cod. restituros. — [211]) Cod. absque. — [212]) Cod. molestus. — [213]) Cod. in curia.

hoc nobis, nostrae amicitiae, amori mutuo: si secus experiemur, molestissimum nobis erit. Martinum spero III. kalendas Novembris salvum rediisse, de qui antea praescripsimus, quia legatus pontificis cunctatur [214]): si is excommunicaverit (hoc opus, hic labor), tunc consulendum erit. Litterae Federici principis ad Anthonium Tucher et aliorum testes sunt illum in patrocinium nostrum plurimum confidisse et profecto [215]) libenter illi officium nostrum impertissemus. Celeberrima hominis in tota Germania fama. Deus bene vortat! Adhuc de Augustinensibus, cum quibus quottidianus sum, unum sum. Agit apud nos communis amicus vicarius: quorundam industria effectum, ut ubi Saltzburgensibus hunc adventum praedicaverit delecturus sit sedem peculiarem Nurnbergam. Mirum quam illum amplectitur [216]) noster Jeronimus Ebner, verissime Ebner, ita planus, ita apertus et integer ut non iniuria appelletur deliciae populi Norici; sed et tibi amicus qui munera tua gratissime accepit, modo cura nepotem atque etiam a molestationibus illorum defende. Horuberg et Alman me absente praeteriere. Quod nisi Petrum Purchardum novissem [217]) doctissimum medicum et qui Hypocratem ad unguem callet nunquam principi indicassem [218]): gaudeo academiam et etiam scholam medicorum eo nomine egisse principi gratias. In convivio potest quidem esse liberior sed in scholis disputator acerrimus. Habet fratrem Franciscum, iuris ordinarium apud Ingolstadenses, Eckii peculiarem amicum: illius defensionem mittemus cum provinciali Carmelitarum et priore Augustano [219]) liberalitate principis doctorando, vellem illi collegam nostrum Feltkirchium. De libellis Martinianis agimus gratias: quod in hominem minus officiosi fuimus, excusa temporis rationem. Omnibus Sanctis mittimus receptaculum reliquiarum minutum quidem, tu cura illis offerri et impleri etiam. Salutant te et Martinum vicarius, Wenceslaus, Ebner et Albertus Durer: cura, ut valeas et valitudinem recte cures. Optamus quidem toto animo hac sacra celebritate apud vos divinis adesse: si [220]) quando hoc negatur, digneris pro nobis fideliter intercedere et etiam vices nostras agere. Iterum vale, suavissime frater.

Cardinalis Sancti Sixti adhuc agit Augustae, forte pontificis mandata aut proxima comitia expectans. Praeter pecuniam nihil

---

[214]) cunctatur fehlt im Cod., es ist aus dem folgenden Briefe zur Ergänzung entnommen. Statt praescripsimus muß es auch wohl perscripsimus heißen. — [215]) Cod. expecto. — [216]) Cod. amplectetur. — [217]) Cod. nouissime. — [218]) Cod. iudicassem. — [219]) Johann Frosch. — [220]) sed?

quaerit: percontatur summam [221]), si viritim penderetur solidus et num de utroque sexu cautum esset, vehementer dubitans plures se subtracturos communioni, ne tantillum pecuniae pendant, metitus nostros ex suis, quae res ignominiae sibi cessit. O hominis vecordiam [222])! Agit igitur nedum inglorius et non aestimatus sed et miserrimus, cui pontifex hebdomadatim [223]) parum supra XXXX aureos tribuit: sed iam tempus, ut Germani fraudes Italicas intelligant. P. Burchardum commendavi academicis; quo vultu litteras nostras exceperint, tu magis scire potes. Sed modo vale.

Nr. 175. (Anfang November 1518.)

An Spalatin.

Cod. L. fol. 95 (320) a. Das Datum des Briefes ergiebt sich aus seinem Zusammenhange mit dem vorhergehenden und folgenden Schreiben.

Ad Georgium Spalatinum.

Bene agere. Cenanti mihi pro more meo cum reverendis vicario et Wenceslao, suavissime frater, redditae sunt binae litterae tuae, quae Martino inscriptae fuerant: vicarius accepit. Quod vero ad me attinet, nunquam certo intellexi adhibiturum me principem Martino. Interlocutus [224]) quidem mecum es dubitanter ad scholam primumque audio de ea re Anthonio Tuchero verba facta: sed si addecretum erat principi, cur ipse praesens ad senatum non retulit? Quid quod Petzenstainer constanter asserebat, non moturum Martinum nisi se redeunte: interca ego quoque redire poteram. Adde quod senatui improviso dicta fuit sexta dies Aschaffenburgi post litteras redditas, unde summa legationis magis mihi credita quam multis verbis explicata aut commissa: abii enim celerrime. Propter incertum aut etiam alieno nomine rogare nondum rogatum et plane inscios? Unde arbitror accepisse excusationem meam principem optimum sumque non parum meam profectionem abominatus, qui Martino supra quam dici potest lubentissime astitissem, certo sperabam agere officium amicissimi. Sed bene habet. Cunctatur legatus, unde mea opinione nihil statuet; in pontificem omnia reiecta. Hoc opus, hic labor: eo omnia tendenda consilia, quomodo [225]) illius decretum excipiatur declineturve. Scio principem nihil

---

[221]) Cod. per qui sunt sumam, jedoch mit Abkürzungszeichen, die auf die in den Text aufgenommene Lesart als ursprünglich führen. — [222]) Cod. verecordiam. — [223]) Cod. ebdomidatim. — [224]) Cod. interlocutos. — [225]) Cod. quē ſtatt quō = quomodo.

intermissurum quod ad rem Martinianam, id est publicam, id est causam dei spectat, quamquam scribant Augustani principem nostrum frigidissime agere: hoc ipsum sentiunt plerique alii quos referre longum esset, sed hoc omnibus convenit, stante Martino celebrius esse gymnasium nostrum omnibus aliis Germaniae atque Italiae, de qui alias plura. Hic unus per omnium ora versatur offertque maiorem academiae et principi celebritatem quam reliqui omnes. Quod Philippus Melanchdon et noster Purchardus felicissime profitentur, admodum gaudeo: prae [226]) multis Germaniae medicis imbibit hic Hippocratem [227]) quo peculiarissime utitur, non dubito me fecisse operae pretium principum principi indicasse medicorum principem. Familia fraterna in suburbano meo commodissime habitat, sed ipse frater a Spalatinis plus aequo sollicitatus et sua sponte parum firmus iam praefecto suo claves resignarat, quem ego in tempore ex instituto itinere revocatum durissimis verbis tractavi, effecique [228]) ut ille recognito errore veniam petierit atque etiam animum famulicium me fideiussore stipulatus sit. Interea utrimque actum tranquille. Cessit maiori laudi Steffano, quod inventum [229]) aureum manifestavit et socio criminis particeps aut socius esse noluit [230]), unde patronum habet admodum propitium. Uxorem commendavi medico, qui hydropisi [231]) tumet; ego nedum iussu tuo patrem et filiolam vestiam, sed et in omnibus patrem me geram neque officium meum frustra implorabunt. Fraternam fratris familiam fraterne commendatam habebo neque unquam commendationem tuam iudicavi importunam, multo minus aegro animo tuli: tantum abest, ut excusatione indigeas, pro iure nostrae consuetudinis omnia apud me potes, omnia tibi licent. Hoc unum volui significare, non oportere te de officio nostro vacillare vel iniuria vacillasse, si dubitasti unquam. Bossenstaino aureos 4 mutuavi; quantum expensurus sim in vestes, nondum scio. Si commodum fieri potest, gratum mihi erit, si Alberto fratri meo qui apud Montem [232]) Divae Annae pro ducibus Sax. monetam probat curaveris fideliter reddi numismata ducalia pro aureis X.; de residuo diligentem rationem reddam. Mirum quam ille appetat, quam me molestet. Sin minus, utere consilio tuo. Maius nempe tenet me desiderium hac potissimum celebritate aedis sanctae. O quam vellem me quoque adesse! Tu si me amas, obsecro, oro, sacrifica pro fratre tuo semel atque iterum. Nuper domi-

---

[226]) Cod. per. — [227]) Cod. hipocrite. — [228]) Cod. efficique. — [229]) Cod. inventam. — [230]) Cod. voluit. — [231]) Cod. hitroposim. — [232]) Cod. Juonem.

nico aderam divino officio in cathedrali Herpipolensi. Heu [233]) bone Jhesu! conspiciebantur altaria nuda celebraturis vicariis, per canonicos [234]) viliter aperiebantur, mox finita missa pallia detrahebantur ac si fures timcrentur. Concessi in aedem contiguam das new munster, quam [235]) incolunt lxij praebendati, sub divino officio nec unns quidem celebravit. Cogitavi ego sincero animo Wittenbergam quae solo cantu Herpipolens. ritum servat, ceterum divino munere prorsus impar: multi nempe episcopi nostri temporis nihil minus quam dei ecclesiam curant. Agit apud nos columen istud canonicorum, plane nobilis Udalricus de Dinsthet.

Nr. 176. 2. November 1518.

An Ulrich von Pinſtedt, Otto Beckmann und Georg Spalatin.

Cod. L. fol. 96 (321) b.

Ad doctorem Dinsthet, Othonem et Georgium Spalatinum.

Bene agere, honorandi ac dulcissimi fratres. Nudius quartus scribentem ad vos interrupit coena Augustiniana, quippe Jeronimus Ebner, optimatum flos, plebis margarita, Caspar Nuzel qui in senatu primus sententiam rogatur, praecipuae auctoritatis, ingenii dexterrimi, Jeronimus Holtzschuher qui cum divitiis et litteris animi integritatem [236]) coniunctam habet, Andreas Tucher, rei militaris et copiarum praefectus, Martinus Tucher, homo gnavus et omnium horarum, Albertus Durer, Germanicus Appelles, Lazarus Spengler, secretarum epistolarum magister, et illius frater Georgius, adfinis meus, Venetus mercator ingeniosus, addo etiam quem primo loco referre debui Georgius Behem theologus, praepositus noster, inculpatae vitae, et Jacobus Welser, plane egregius civis: hi inter multos alios apud D. Augustinum frequenter conveniunt, me architriclinum vel nt ipsorum vocabulo utar marsalcum [237]) decernunt qui compransores convocem, instruam, supputem, exigam. Mirum quam patris vicarii et Wenceslai consuetudine oblectentur. Omnis ferme super coenam sermo de uno Martino: hunc celebrant, adorant, propugnant, omnia pro illo subire parati, officinam recitant, ut quisque sententiam memoratu dignam memineiit in medium affert, applauditur; omnes non possum ulla oratione assequi quam Martini sint studiosissimi, quam illius libellos exosculentur, omnes quam

[233]) Cod. heus. — [234]) Cod. canonis. — [235]) Cod. quem. — [236]) Cod. integritate. — [237]) Cod. marsalsum.

charos habeant, quam avide pellegant; horum tamen antesignanus est noster Ebner, totus quantus est Martinianus. Omnes etiam dominationibus vestris bene volunt: vos si de eis bene mereri vultis, certatim cuique mittite aliquid ex officina Martiniana, facturi haud dubie operae pretium. Interea bene valete, quos reverenter salutat clarissima ista sodalitas seseque principi suo Martino admodum cupit commendarier, cui omnia fausta [238]) et prospera precatur, quem deus servet ecclesiae suae sponsae incolumem. Iterum valete. Nurnbergae 2. Novembris 1518.

C. S. d.

Nr. 177. 24. November 1518.

An Johann Eck.

Cod. I. fol. 210 (320) a.

Ad doctorem Eckium.

Fidem fraternam. Circumfertur auctarium aliquot [239]) selectarum epistolarum Erasmi, cui tua quoque ad hunc inseritur item Erasmi ad Eckium et rursus ad N. amicum ex animo dilectum, qua examinat libellum quendam de doctrina sua concluditque aliquando authorem, si ita vult, picturum doctis suis coloribus: nemo dubitat ex Eckiana officina prodiisse [240]) eum libellum. Interea Huttenus in epistola qua Vilibaldo vitae rationem reddit [241]): Eckius, ait, proscidit [242]) Carstadium [243]), civem meum, probum theologum; eidem cum Luthero bellum est; Luthero cum multis: en viros theologos impactis [244]) mutuo genuinis [245]) se concerpentes; multa Erasmum monet [246]) Eckius, ad quae ille (quid faceret aliud enim?) Erasmum praestat. Et Philippus Melanthon, Capnionis necessarius, in sermone nuper ad iuventutem Wittenburgensem de corrigendis adulescentiae studiis [247]): De dialecticis, inquit, videamus, quae adhuc ex Tartaretis, Bricoo, perversore, Eckiis, copulatis bursae montis, exercitiis taurinis et caninis, et aliis huius farinae petimus. Quae ego etsi tumultuario legens putavi tamen ad te scribenda. Audio etiam Carlstadium triplicam moliri quae tuam duplicam elidat, quin etiam domum sibi partam [248]) apud Erphordenses Henningi Gode praepositi, omnium quos ego noverim iurecon-

---

[238]) Cod. frustra. — [239]) Cod. aliquod. Es handelt ſich um das Auctarium selectarum aliquot epistolarum ad eruditos et horum ad illum. Basileae, J. Froben. 1518. — [240]) Cod. prodesse. — [241]) Die Stelle ſ. in Hutteni opp. ed. Böcking I. p. 216. — [242]) Cod. pro procidit. — [243]) So Cod. und die beiden erſten Ausgaben. — [244]) Cod. in pactis. — [245]) Cod. geminis. — [246]) Cod. monet. — [247]) Die Stelle ſ. im Corp. Ref. XI. p. 19. — [248]) Cod. partum.

sultorum facile principis, quod te eo mox evocaturus sit in harenam atque etiam ea lege disputaturus, ut singula verba calamus excipiat diligentissime. Interim de Eckio varia iudicia et quidem libera, pro suo quisque stomacho sentit: Eckius in Erasmo Augustinum, illi in Eckio nescio quid desiderant; nolo enim iterum tua abuti humanitate qui me monitore non eges, vellem tamen esse Eckium qualem amicissimi maxime optant, omnes aliquando futurum augurantur. Martinus noster salvus rediit Wittenbergam pridie kalendas Novembris, desideranter exceptus applausu ingenti, mox Altenburgium [249]) a principe evocatus. Hucusque Roma tacet neque mihi etsi Martini familiarissimo constat nisi duos articulos abiectos. Hos revocato, ait Caietanus, reliqua per distinctiones solvamus. In altero agitur de thesauro Christi de quo in extravaganti Unigenitus, alterius materiam tractat conclusio VII.: quos ille multis modis dissolvit, scripsitque ad cardinalem non semel sed iterum humanissime, tandem appellavit, eam appellationem ex Lipsensi expectamus. Breve parum quosdam movet, quod pontifex scripserat nondum audito Luthero ad diem XVI ab insinuata [250]) citatione, quum illi dicta esset dies lx. Quum doctrina sua pestilens videatur, admirantur plerique agente illo in medio gymnasiorum neminem contra hunc scribere. Tuae defensiones apud Wittenb. publice distrahuntur. Meus Sbrullius, cui destinandae erant litterae Othonis, Augustae agit apud d. Paulum, Caesaris ab organis. Sed tu vale. Nurenb. ad VIII. Cal. Decembris anno 1518.

Burchardus egregia celebritate Hippocratem [251]) profitetur, quem super ceteros Germaniae medicos ad unguem callet et familiarem habet, ita ut nedum schola medica [252]) sed et academia per publicas litteras principi gratias egerit. Egregiam igitur ego quoque navavi operam, sed tu fratrem Franciscum nomine meo salvum dices. Quod in defensionum exordio Lutheri meministi ac si eius quoque iudicio non respondere non potueris, consilium istud amicos hostes constituendi, etsi parum processit, omnes tibi imputant tamquam minus sincere actum, ita ut neque excusationem recipiant.

Nr. 178. 10. December 1518.

An Johann von Staupitz.

Cod. C. fol. 177 (213) b.

Ad doctorem Johannem de Staupitz.

Reverentiam. Vellem quidem, pater optime, immo hoc tempore nihil ferme magis vellem quam occasionem dari iucundissima

[249]) So Cod., wohl Eilenburgium, vgl. De Wette I., S. 167 f. — [250]) Cod. instimata. — [251]) Cod. hipocritem. — [252]) Cod. medicea.

quaeque de Martino nostro ad te perscribendi, sed quando ipsum nihil audire de Martino tibi, communi patri nostro, suspensum est, anxium, molestum et olim de aliis audire oportebit et potentum perfidia huc appulimus, necesse est fortunam feramus animo aequo, invicto, constanti. S. Sixti cardinalis litteras ad principem post multas adulationes finit, ne maculam in maiorum gloriam ponat propter unum fraterculum. Sed quod gravius est Carolus de Miltitz attulit et rosam et brevia non rosacea sed crudelia, immania [253]), dira, quibus execrantur Luthero faventes et beantur occidentes non auditum, non convictum, praeconem veritatis, tubam [254]) evangelii, praedicatorem unius Christi, per quem solus Paulus loquitur. Horum omnium [255]) copiam fecit non Georgius sed Federicus, obtulit expensas litis, modo celerrime fuga sibi consulat atque citissime abeat. Accepto tam insperato nuncio Martinus, omnis consilii expers, potissimum quo discedendum sit nihil prius habuit quam die Divae Katherinae et dominica sequenti conscenso suggesto Omnium Sanctorum ac aedis parochialis protestari publice, nunquam revocaturum quae docuerit, scripserit, praedicarit vera credere, rogare pro inimicis, obtestari ne iniurias ulciscantur atque etiam valedicere [256]) populo, appellare ad futurum concilium, ubertim collacrimantibus optimis quibusque et inter hos [257]) Melanchtone nostro. Quae res commovit nos omnes vehementissime, confidimus tamen non in aliquem principem sed solum deum daturum gratiam parato pro sua veritate quaecunque tormenta et mortem etiam subire: unde non utar pluribus, cum sciam reverentiam tuam in solo Christo constituisse pacem, mundi pressuram ferre magnanimiter. Sed transeo ad alia. Volavit hac unus de Wildenfels solo iuvene [258]) comitatus pro duce Saxoniae Johanne ad Caesarem in Lintz, quem et legatus apostolicus ex Augusta movens sequitur. Quid adferat, non scio sicut neque illud quod quidam etsi constanter affirmant, Federicum scriptis mutato consilio consensisse in Karoli electionem. Reliqua tacent: nam et Palatino et Pohemis [259]) pactae sunt induciae in diem D. Georgii certis conditionibus. Wittenburgi eduntur acta coram cardinali, quae proximo mittam. Interea te salutant tui omnes et prae ceteris probus Ebner cum uxore pudica: valeat r. p. tua cui scio me commendatum plurimum. Nurnberg X. Decembris anno 18.

---

[253]) Cod. mania. — [254]) Cod. tribam. — [255]) Cod. hominum. — [256]) Cod. Valediccio. — [257]) Cod. hoc. — [258]) Cod. vinene. — [259]) Cod. pohenis.

Unum tacere non possum, praesertim apud te quicum seria et ioca, dolorem nostrum communem habemus cum pluribus: sunt qui non dissimulanter clamitent aluisse hunc clam in Schweydnitz nescio quod et armorum quidem vi non posse, fovere quoque aliubi pro evangelio exulantem, periclitantem, derelictum, qua gloria ipsi viderint. Sed tu vale, forsan mox laetiora auditurus.

C. S. d.

Nr. 179. 17. December 1518.

An Ulrich Pinder.

Cod. C. fol. 179 (215) a.

Ad Ulricum Pinder.

Vellem quidem nunciare tibi iucundissima [260]), mi Udalrice, tum propter commendationem Melanchtonis nostri tum quia ita meretur virtus tua. Ceterum quod ad patres attinet, stipendium hoc fundatorum instituto nonnisi civibus pauperibus, egentibus dari consuevit: alioquin intuitu Lutheri lubentissime te iuvisset noster duumvir J. Ebner. Apud patrem, si modo id nominis mereretur, praesentibus magistro Morlin et Benedicto causam tuam iterum egi et quidem sinceriter et diligenter: indignatur homo supra modum, multa de te queritur quae ex aliis intelliges; tandem negat sibi pignorandae domus ius esse, quod ea communis sit repugnanti matri et quod tu litteras abstuleris contracto multo aere. Verba dat: videtur velle iuvare, ubi firmatur refugit, negat, ipse opus habet; nobis succenset, calumniatur spolii, impietatis, aliud stans aliud [261]) sedens sentit, ubique tamen querelam [262]) agit. Unde cogor hominem suis moribus relinquere, meas autem res spero propediem eo deducere, ut timeam futurum mihi opus nedum meis sed et aliquantisper amicorum facultatibus. Exspectamus Pfeffingerum, cui te commendabo: forte paterna aut etiam aegrotantis matris mors aliquando tibi succurreret. Interea cogitanda aliqua vitae ratio, ne tibi ipsi turpe defuisse videare. Principium [263]) actorum Franciscus Calvus Italus abstulit: gratum mihi est officium tuum. Vale et me ut soles ama et apud Margaretam viduatum nomine meo doleas [264]). Nurnbergae ad XVI. kalendas Januarias 1518.

C. S. d.

---

[260]) Cod. Jucundissime. — [261]) Cod. alius. — [262]) Cod. querelum. — [263]) Cod. principum. — [264]) Cod. doleo.

Nr. 180. 17. December 1518.

An Spalatin.

Cod. C. fol. 180 (216) b.

Domino Georgio Spalatino.

S Male mi sit, Spalatine, si sciam hunc annum aut curiae aut foro acerbiorem allatum nuncium quam qui percrebruit, Christianum theologum valedixisse populo Wittenbergensi, protestatum ex suggesto non revocaturum, appellasse futurum concilium, alioquin omnis consilii inopem quod sibi electoris Spalatini manu litteris principatu sit interdictum, unde celerrima fuga sibi necessum sit consulere: cui rei fidem addebant Augustensium litterae. Crede mihi, ita consternati sumus, ita indoluimus eam indignitatem ne dicam sacrilegium ac si alea [265]) uno bello amissa esset. Dubitavi aliquantisper, si Augustum plus promovisset Variana clades a Germanis illata: vidisses nostros convictores et plerosque mercatores miris lamentationibus Martini vim ac iniuriam prosequi. Ceterum peropportune mihi retulit Seubolsdorffer cenasse intra decendium Altenburgen cum Spalatino huius novitatis prorsus insonte atque nescio. Satis praeterea ex amicorum litteris comperi ortum huius fabulae, dimisisse [266]) hunc praedicaturam et a te evocatum in colloquium festinanter quidem, quatinus ad Carmelitani insignia reditum maturaret et gallum ageret. Unde nihil prius habui quam in aulam [267]), quam in forum cursitare, deficientium [268]) a te animos confirmare, ut quemcunque obvium habui expurgare hanc calamitatem, asserere [269]) Martinum stare, valere, docere, scripsisse diligenter in illius favorem maximo gaudio [270]) patres academiae ad principem hucusque nondum deserentem: id quod omni sexui supra modum gratissimum accidit, quod illi omnia prospera ex animo precantur, iamque satis persuasum est inanem fuisse famam, quod gaudemus et deo gratias agimus. Quid plura? Constantibus facile erit defendere paratum stare iuri, unde nobis immortalis gloria debebitur atque etiam participatio rectorum studiorum. Quantum credis nobis debebunt ecclesiastici post multos annos postliminio redeuntes, quos et Usingensis [271]) apud Erpfordiam cognito tandem errore amplectitur? Rursus si veritatis praeconem destitueritis, cum ingenti vestro [272]) et gymnasticorum addo Christianae [273]) etiam reipub. detrimento

[265]) Cod. ala. — [266]) Cod. dimisse. — [267]) Cod. aula. — [268]) Cod. definiencium. — [269]) Cod. assere. — [270]) Cod. gaudeo. — [271]) Cod. Vsingenses. — [272]) Cod. vestri. — [273]) Cod. christiani.

id facietis: si unum Paulum loquentem, si evangelii et Christi tubam semel eieceritis [274]), persuasum habe nunquam rediturum, non deerunt qui convicia prosequentur, qui iusti sanguinis reos facient. Vis me audire? Dudum mihi persuasi, ab antiquo deo omnium opifici delectam Wittenbergam peculiarem sedem qua sui Sancti venerarentur, qua litterae reviviscerent, qua studia Christiana non absque nostro gravi iactura ab Aristotele et ethnicis praescripta libertatis vendicarent atque excusso infidelium iugo et servitute in patriam libera redirent, unde iuvenes theologi Martino vitam precarentur, veteres paulatim resipiscerent: id mihi vero esse persuasum in vestra manu est. Si vis, Spalatine, uno verbo quod sentiam exprimere, plus contendendum Saxonibus censeo pro Luthero quam Erpfordia. Declararem id pluribus, nisi scirem semper nobis convenisse neque equo forte sponte currenti subdenda calcaria [275]): tu qui animo scribimus interpretare. Ego interea ad tuum fratrem venio, quem multa diligentia hucusque in officio continui, posthac continere nequeo, ipsum sibi permitto: magis optat Spalatinos qui hominem sollicitatum ipse viderit. Illius rationes si forsan redditae non sint iterum mitto; pecuniolam hanc numerabis nostro Otthoni Beckmanno, ego vero Stephano et avunculo litteras abs te fideliter reddi atque etiam Spaltum mitti curavi. Munusculum Divis Omnibus oblatum nihil laudis meretur, monumentum est Elsneri vasculo aereo deaurato, neque unquam mei consilii fuit id summae arae includi aut illo in maximis celebratibus sed privatim tantum uti, et qui non habent thura, lacte et floribus litant, haud ignari deum alacri voluntate gaudere, corde contrito et humiliato. Sed tu, Spalatine, frater mi amicissime, vale et vive, id quod tibi precantur meus Ebner, Holtzschuher, Tucheri, Wolffgangus Volbrecht prior noster, Wenceslaus Lutherum non mentiens, Durer et plerique alii, et cura aliquando ut litteris tuis amabilissimo Melanchtoni meo plurimum me commendes. Iterum vale. Nurnbergae XVI. kls Januarias 1518.

C. S. d.

Bartolomeus [276]) Calvus Cumanus, quem aliquando agnosces, de litteris plura mecum interlocutus est, Martini ita studiosissimus quam qui studiosissimus. Primum quaternionem actorum Martinianorum apud Augustam non potui negare homini humanissimo in Italiam deferendum: addita oratio Melanchtonis cui opusculum

[274]) Cod. eieceretis. — [275]) Cod. calcarea. — [276]) Vgl. Nr. 179 und 185 wo er Franciscus genannt wird.

inscribendum parat, manum in libello Tuchero filio transmisso iubebis. Vale.

Nr. 181. 17. December 1518.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 182 (218) a.

Ad Othonem Beckman.

Primum de repub. nostra sic accipe, satis convenire nobis cum Cazimiro, eum non servati pacti minime nos arguere aut quidquam perperam in aulicos molitos, attamen quaedam Hermannus scriba, illi aliquando a consiliis, in carcere fassus nescio quot annos constitutos sibi aureos quinquaginta, ut res novas ad nos secreto deferret, unde in partes [277]) sectus et eius rei memoria abolita est, quippe principe nihil unquam hoc nomine nobis imputante. Sed contentiones nostrae civiles sunt de iure investiendi, venandi et id genus, ut inter finitimos assolet, quae consilio magis quam armis dirimentur. Attamen suspicamur brevi petendos nos bello, quippe qui exploratum habemus, Franciscum de Sickingen [278]) unicum cum [279]) germanis iustitiae praefectum iterum litteris sollicitare ad diem constituendum, latrunculos suos conscribere exercitum. Sunt qui eum affirment Erpfurdiensium credite stipulari illisque facturum negotium, cui accedit inclementia illius et quod Brandenburgii nihil magis quam Erpfordiam cogitant. Nos duces conducimus, civitates munimus et per omnia diligenter vigilamus ac si certissime congrediendum sit, quemadmodum si ita necessum sit iusto exercitu congrediendum alacri et unanimi animo constituimus, sed non cum Francisco tantum sed et illius receptatoribus: hoc indicimus nobis deligere hostes, quicunque illi sint iam agros dedimus in praedam. Ceterum ut viri boni, fortes, constantes [280]) pro patria, pro libertate sanguinem fundere nihil dubitabimus. Quod nisi deum, quod absit, adversum habuerimus, arbitratorem et belli et rerum omnium, tandem re ipsa et eventu abunde intelliges Nurnbergensium virtutem et animum invictum. Interea rogo te constans esto; tunc primum manum porrige, ubi ego scripsero gnaviter nos bellasse aut etiam turpiter pepigisse.

Amicissimus noster J. Ebner nuper ad te perscripserit, quippe una cum uxore, sorore mea consobrina, ex animo te diligit: quodsi de utroque bene mereri cupis, cura Conradum

[277]) Cod. partus. — [278]) Cod. Sinckingen. — [279]) So Cod., viell. una cum — [280]) Cod. constante.

diligenter ut studeat, ut de te bene sentiat, qua re nobis quam gratum facias respondebis aliquando vel domino vel Helenae [281]) uxori, Conradi statum significans et aliquid etiam de nostro Martino, cuius mirum in modum studiosi existunt. Petasones longo tempore expectamus. Nihil opus fuit Spalatino munus nostrum laudari, neque nostrum consilium summae arae [282]) includi sed privato usui accommodari, unde sugillationem illorum patientius ferimus: qui non habent thura, lacte litant et floribus. Ab Spalatino accipies aureos decem, quos Volchamero numerabis et dimidium, cum eo in usum tuum convertendos, reddendos ubi licuerit et utriquc fuerit opportunum. Petrus Clement, librarius Lipsensis, a domino suo Koburgio monitus est, ubi voles sub fide nostra daturum se tibi libros aureorum XXX. Abitionem tuam in patriam non probo, qui maioribus apud Wittenb. reservaris, neque circa divinum cultum idem tecum sentio, quem non in otio et meditationibus pono sed in laboribus magis et curis, modo in deum tendantur et publice prosint. Adhuc opto te vivere continentem et abstemium ac sobrium: temulentiam non reprehendo quam nullam audio [283]), scio tamen apud Lutherum in quodam praeceptorio argui, quod nullum peccatum faciunt, donec evomuerint [284]). Curae mihi est et valetudo et universus status tuus: propterea nihil te moveant scripta fraterna. Dudum certum nobis fuit creatum Mediceum regem Etruriae seu Tusciae et Florentinis et Bononiensibus designatum ducem: imitatur [285]) Leo Nicolaum III., qui nisi ruina novi aedificii subita morte correptus duos Ursinos constituisset reges Etruriae et Lombardiae, et Caesar Ferdinando molitur regnum Austrasiorum. Hessi 35000 aureorum ante mensem Francisco solvere, maiori forsan restituenda. Vestri equites mittendi erant auxiliares Palatino, nisi cum Bohemiorum regulis certis conditionibus usque ad S. Georgium inducias pepigissent. Koberger chronicon illud ex Silvio congestum non minoris vendit aureis duobus. Litteras Hornburgio et Alman [286]) scripsi, per Sebaldum misi. Vale et nos de Martino et amicis redde sedulo certiores: salutant te Ebner, Wenceslaus et alii. Vale ex aedibus paternis anno 18 ad XVI. kls Januarias.

C. S. d.

---

[281]) Cod. Helena. — [282]) Cod. summe a te, vgl. jedoch Nr. 180. — [283]) Cod. audeo. — [284]) euomuerit. — [285]) Cod. mittatur. — [286]) Cod. aua mit dem Abkürzungsſtrich, doch vgl. Nr. 174. Statt des folgenden scripsi iſt vielleicht scriptas zu leſen.

Martino consignabis versus hos atque etiam nomine Ebneri et nostro salutem dices: ut primum per otium licuerit, illi ac Phi. Melanch. scribemus, amicissimis interea nos excusa.

Nr. 181. 19. December 1518.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 183 (219) b.

Ad dominum magistrum Otthonem.

Leo Decimus Carolo de [287]) Miltitz ad nos deferenda dedit et rosam et bina diplomata, quibus de qualibet particula C annos, non dies largitur indulgentiarum, iubileum per octiduum Omnium Sanctorum prorogat, septem festa addit cum facultate dispensandi in 3. gradu et de male acquisitis usque ad quingentos aureos et id genus, quae petere potuistis. Ceterum haec omnia apud Augustam dimissa, donec cum Martino conveniat, si forsan his illecebris facilius convenire possit: quippe ad nos venit Carolus dimisso commissariatu et fulminibus penes rosam privatus, si quo modo conciliare possit Martinum pontifici, nobis ultro pollicitus praestaturum omnem operam. Nos pro veteri consuetudine biduum hoc cum homine versati multa de Luthero familiariter sumus commentati, annuente Pfeffingero, Maltitz [288]) et plerisque aliis. Quod autem aliqui constanter asseruere, hic negat, Laurencium Etruscis regem praefectum. Fuckeriani rursus affirmant Carolum avae mittere quadraginta milia ducatorum iamque in Cathalonia diademate insignitum parare iter in ..... [289]), ut mox Neapolim commigret, instructis interim novem [290]) navibus quae [291]) ex India aromata vehant atque etiam sex milibus equitum gravis armaturae qui Siciliam praeeant, quibus forsan Catholicus in Italos utetur, quippe ingentia sunt, quae Maximilianus dudum animo concepit, molitur, parturit, quorum exordium proxima comitia commonstrabunt. Qui ex Galliis veniunt, asserunt se convivatos cum Franciscano Cumensi, cui potus praelibari consuevit, qui in Helvetios et plerasque provincias iubilium invehit ad Petri basilicam usque ad 40000 ducatos deductis expensis. Hic peregrinationem Romanam in duos, Jacobinam in IIII aureos et mille perperam acceptos in modicos pro arbitrio commutat, homicidiarios quorumcumque clericorum demptis episcopis absolvit, si cui cimiterio benedicit mox animae evolant

---

[287]) Cod. et. — [288]) So Cod. — [289]) Das fehlende Wort lautet im Cod. gramatecam, viell. Granatam? — [290]) Cod. noue. — [291]) Cod. qui.

etiam [292]) ante C annos mortuorum, et id genus portenta. Quae omnia velis nomine meo communicare cum meo d. Martino atque ei litteras nostras fideliter per filium Tucherum reddi curare. Pfeffingero te commendamus, optat te decanum: fac hominem verbis nostris salutes; nam multa sibi de nobis persuadet, bene sentit ac loquitur, modo dictis facta respondeant. Interea vale. Datum 19. Decembris 1518.

C. S. d.

Nr. 182. 20. December 1518.

An Martin Luther.

Cod C. fol. 184 (220) b.

Ad Martinum Luther.

Accepto nuper acerbissimo nuncio, valedixisse te populo, appellasse concilium, patrocinio destitutum, consilii inopem fugere, et cum plerisque bonis indolui atque etiam recordatus sum apud Anthonium titu. XXII. ca. I. §. III. Barbadorium pro [293]) Florentinis suis ad dei effigiem conversum a praesente pontifice Gregorio XI. appellasse deum his ferme verbis: Deus, nos legati Florentini populi ab hac sententia vicarii tui inique lata ad te tanquam aequitatem appellamus, tu, qui falli non poteris nec ira inflecteris nec servitutem populorum sed libertatem amas et tyrannos libidinesque odisti, Florentino populo libertatem suam defendenti subvenies ac propitius protectorque aderis. Et quod magis movcat, apud Baptistam Fulgosium de dictis factisque memorabilibus li. I. titulo de mirabilibus capi. de equite Hiero. ordinis lego, Neapolitanum militem templarium in Burdegala quae Vasconum urbs [294]) est igni condemnatum conspectis in fenestra Clemente V. et Philippo Pulchro exclamasse: Saevissime Clemens tyranne, posteaquam mihi inter mortalis nullus iam superest quem appellem, pro gravi morte qua me per iniuriam afficis ad iustum iudicem Christum qui nos redemit appello, ad eius tribunal te voco una cum Philippo rege, tanti mali suasore, ut ante eum intra annum diemque appareatis, ubi causam meam exponam et ius sine pravo ullo affectu ministrabitur, — et intra constitutum tempus Clementem repente mortuum nec multo post Philippum quoque obiisse. Haec illa. Accessu autem paucorum dierum cum ingenti voluptate (nam ex animo te diligimus et tibi bene esse volumus) audivimus te salvum et

---

[293]) Cod. aut. — [294]) Cod per. — [295]) Cod. vrbis.

acceptis litteris rursus praedicare, praedicasse etiam de conceptione pro more [295]) tuo saluberrime, et ad XV. Decemb. acta tua legimus uno spiritu, cancellatum etiam verbum appello maiusculis litteris, graviter tamen fero meorum ea mittentium tarditatem.

Interea venit ad nos cum Pfeffingero Carolus de Miltiz, scriptor apostolicus cubicularius. Nos hominem ante V. annos novimus, unde illi conversati sumus hoc biduum integrum ad multam etiam noctem perquam familiariter; de uno Luthero omnis sermo fuit, tu summam paucis sic accipe. Carolus eques est Missenensis, Germanus: homo est, humani a se nihil alienum putat; non disputabit praeter hoc unum, non esse contradicendum papae sed magis obediendum. Disputationes, conclusiones, resolutiones non tam vehementer improbat quam vulgarem sermonem indulgentiarum, quo laici passim illarum virtutem doceantur. Casparem de Anchona, virum doctum, dicit lecto sermone de paenitentia qui et ipse traductus sit magis in te probasse inventionem quam doctrinam. Dicit se pontifici declarasse de tinniente grossulo, indignabundum exclamasse: O ribaldo! o porcaccio! [296]) corripuisse etiam Silvestrum Prieratem [297]), quod tam pueriliter scripserit opus non [298]) tribus diebus sed mensibus pensandum, ha dato [299]) uno bono rabbuffo [300]), ut [301]) suis verbis utar, et hominem haberi ludibrio. Asserit quinta vel sexta decima Novembris acceptis tuis responsionibus edidisse pontificem decretalem Leoninam declaratoriam Unigenitus ad cardinalem S. Sixti, eam se utroque sermone invulgaturum apud vos, et quod rosam et saccum veniarum prorogantium iubileum etc. apud Augustam dimiserit exploraturus principis ingenium. Non negat se huius controversiae mandatarium apostolicum instructum diplomatibus [302]), accedere tamen principem non commissarium sed privatum de Miltitz rogatu et pollicitationibus Pfeffingeri, si forsan amice concordia iniri queat, quam meo iudicio facilius sperat quam si rosa et veniae ad manum essent. Legi Leonis [303]) X. et vicecancellarii litteras ad Pfeffingerum, quibus homini Carolum commendant, quatenus zizaniae [304]) istao extirpentur; legi principis Federici litteras sua manu, quibus

---

[295]) Cod. morte. — [296]) Cod. pulcracio. — [297]) Cod. patrum patere. Obige Lesart ſcheint eine kühne Conjectur, iſt es aber weniger, wenn man Scheurl's Handſchrift, die der Abſchreiber in jedem Falle falſch geleſen hat, in Betracht zieht. — [298]) Cod. Jam. — [299]) Cod. ladato. — [300]) Cod. robuffo. — [301]) Cod. et. — [302]) Cod. deplomatib. — [303]) Cod. lemis. — [304]) Cod. quantus zizanns.

iubet p. [305]) Caesarem adire, rogare pro te scribere pontifici, quibus te et frequentiam [306]) scholasticorum commendat, quod sibi turpe sit dimittere te non auditum qui paratus sis edoceri et corrigi. Pfeffinger dicit papae obediundum, facile habiturum te episcopatum et quamcunque dignitatem, modo revoces: pontificem hoc [307]) sufferre non posse, nihil magis fuisse anxium [308]) toto pontificatu, pollicitum suis cardinalatum si revocationem procurarint [309]). Eas litteras tamen non vidi, contradixi autem pro papa revocaturum te sed sponte, sed gratis, modo diversa doceare. Quae Tezel praedicavit saepe repetimus: de animabus monialibus et militibus concessis Carolus supra modum dedignatur, scripturus pontifici modo testari possit. Multa disputatione [310]) ipse movetur, indignatur, afficitur praedicans te pontifici.

Reliquum est, egregie vir, rei tuae diligenter consulas, futura tamquam e specula praevideas, nihil temere, nihil per imprudentiam agas, consulas, acquiescas, ne pacem aedibus tuis allatam spernas, reiicias. Cogita, quo abeundum [311]) fuerit deserente principe: multi Gallis parum fidunt [312]); Carolus certum habet non affuturum tibi Franciscum regem triduo contradicente pontifice. Cui etiam cum imperatore convenit, qui ut audio consulit te obedire pontifici. Pfeffinger dicit se emensum ob tuam causam multa milia passuum, mense tardius [313]) redire, propter te unum non redire legatum, sequi Caesarem, expendere mense 1200 aureos. Tanta est et veritatis et evangelii vis, ut dubitem quisnam princeps [314]) tandem cum discrimine sit pugnaturus. Quantum his fidendum sit, consulit tuus vates regius [315]). Numquid cardinalibus deficientibus Caesar et Gallus autores fuere concilii coeundi et mandata dedere? Numquid ille accepta grandi pecunia cum Julio perstitit? Ad [316]) Sanctae Crucis rediens revocaturus ita testatus est, etsi crederet se non errasse, tamen si [317]) secutum esset scandalum agnosceret errorem.

Si tu petis audiri, dignum est: at apud iure imperitos non oportet in notoriis ordine progredi, ubi praeposterus ordo summus est ordo, et declarare notorium apud potentes consistit, quippe as est in armis. Movet te conscientia plus obedire scripturae quam papae, at multis videtur papae datum scripturam declarare, et omnia agenda sunt circumspecte, prudenter, habenda ordinis

---

[305]) Wohl = pfeffingerum. — [306]) Cod. frequencia. — [307]) Cod. hic. — [308]) Cod. axium. — [309]) Cod. procurarit. — [310]) Cod. disputacionum. — [311]) Cod. obeundum. — [312]) Cod. fident. — [313]) Cod. mensē tardus. — [314]) Cod. principes. — [315]) David in Ps. 118, 9. — [316]) Cod. Et. — [317]) Cod. se.

ratio quippe curis nihil exosius vicario nostro. Si principes desunt, tu quid efficies? Quid possis, satis ostendisti: formidat te Roma. Sapientis semper fuit cedere tempori, reliqua in commodius tempus asservanda; placet mihi istud: Laudabilius ceditur cum lucro quam cum damno vincatur. Haec a me sinceriter scripta, pater reverende, rogo ab amico fideliter interpretanda: nam eo pertinent nequaquam, ut velim te aliquid indignum agere, turpe, ignominiosum, sed tantum ut summa diligentia quaeratur aliquod honestum medium, quo pontifici et tibi fieret satis, quod non dubito inveniri posse, intuitu obedientiae ad quam redeundum esset, scandali vitandi, honorandi pontificis ita declarantis, et danda opera ne principis, aulicorum, populi animus abalienetur. Sunt quibus appellatio nimis superba iudicatur. Enitendum ne Carolus indignabundus discedat, sed potius ut tuum et gymnasii negotium unum fiat, ut hi te commendent iterum, ut abusus adversariorum et tua omnia ad pontificem referantur aut per oratorem aut procuratorem, ut deliberetur diutius et res suspensa teneatur si forte concordari possit, ne opus sit fulminibus quae ille immania habet; ut dixi homo est, bonus et humanus est, non laudat legatum, vellet se affuisse, credens tibi [318]) a deo non meritum Carolum mitti: tam benigne omnia spondet, non disputabit, agendum cum homine humaniter, dulciter, urbaniter, si forte animus leniri possit quod futurum non dubito.

Ex animo te salutat ex animo amicus tuus J. Ebner qui omnem fortunam tuam communem habet: si nos amas, scribe aliquid Ebnero hunc mensem urbis praefecto privatim de statu tuo vel etiam de discutiendo bello, administranda republica [319]), gerendo magistratu. Rogo etiam te, mitte aliquando sermonem de passione domini [320]) quem pollicitus es et ego toto corde desidero. Ut audio [321]) Pfeffinger praecedit, Carolus post aliquot dies sequetur. Vale, clarissime vir, et me ut facis ama atque calamo rustico, sincero tamen veniam [322]) dato. Litteras tuas misi Basileam fideliter. Si tibi possum prodesse, me utere ut fratre: habebis enim me paratissimum. Saluta Ottonem et Melanchtonem nostros. Nurnbergen XX. Decembris 18.

R. p. t. deditiss.
C. S. doctor.

---

[318]) Cod. te, wahrſcheinlich hatte Scheurl ti' = tibi geſchrieben. — [319]) Cod. re: Abkürzung für republica. — [320]) Cod. dominicj. — [321]) Cod. audeo. — [322]) venia.

Nr. 183. 20. December 1518.

An Ulrich Pinder.

Cod. C. fol. 187 (223) a.

Udalrico [323]) Pindaro iureperito amico suo.

S. Pater tuus nuper indigne me habuit ac si tam instanter causam meam agerem; interea tamen nunciavit daturum se aureos 25. modo doctrinae gradum suscipias et princeps quoque opem ferat. Post conversatus sum biduum integrum d. Pfeffingero perquam familiariter: nihil prius habui quam tuam virtutem summa fide diligentissime commendare, quae mihi vel Melanchtonis interventu non potest nisi esse gratissima. Tantum effeci, ut Pfeffinger asseruerit constitutos tibi aureos 32 annuos, donec revocentur, quos iterum atque iterum stipulatus est revocandos hoc anno nequaquam, habiturum te ergo eam summam ad minus annum proximum ex integro, hortatus tamen et ipse doctrinae gradum. Quare non velis tibi ipsi turpe [324]) deesse: audendum est, deus audentes iuvat. Vale et Melanchtoni me commenda. D. Ebner habes etiam propitium, qui diligenter cupit tibi gratificari: accessit ad superiora, quod stipendiatum oportet esse artificis filium. Nurnbergae XX. Decembris 18. Quid intendas, scribas parenti; agas etiam Pfeffingero gratias.

Tuus C. S. d.

Nr. 184. 22. December 1518.

An Spalatin.

Cod. C. fol. 187 (223) b.

Domino Spalatino.

Cum nostro Pfeffingero communi patrono atque etiam Carolo [325]) de Miltitz nuncio apostolico, amico familiari, totum hoc biduum de [326]) Christiano Luthero omnis sermo fuit. Quantum video, in te uno summa spes constituta est, ut te interprete Romano satis faciamus et in portu navigemus, quod te praestiturum non dubito qui inventione polleas atque etiam eruditione et Martino hoc est opt. principi, piissimis academicis nunquam defuisti. Rogo igitur te, charissime Spalatine, consule, utere ingenio, cogita, ne cum indignatione discedatur, ut potius conventum conventus pariat [327]), quando aliter fieri non potest. Summam rerum intelligas ex amicissimo Pfeffingero: non sitis

---

[323]) Cod. Ad Vdalricum. Zwei Conſtructionen hat der Abſchreiber vermiſcht. — [324]) Cod. turpi. — [325]) Cod. Carolus. — [326]) Cod. d. — [327]) Cod. pareat.

modicae fidei, pusillanimi neque rursus temerarii; quantum cum deo fieri potest et cum decore, fiat pax, ut tranquille possimus litteris navare operam. Interea vale et nostro Hirsfeldo atque Jeronimo Martinum et nos commenda, cura etiam ut hae litterae Otthoni reddantur fidelissime. 22. Decembris 18.

C. S. d.

Nr. 185. (22. December 1518.)

An Philipp Melanchthon.

Cod. C. fol. 188 (224) a.

Philippo Melanchtoni.

Legi suavissimas litteras tuas (quae mihi tribuis, non agnosco praeter animum et quod video de me quoque Wittenburgenses velle mereri bene) qui Wittenburgensium deliciae praedicaris, qui fidelissime doces, omnibus aeque charus, acceptus supra modum amaberis. Ego tua amicitia plurimum gaudeo daboque operam, ut illa non indignum me praestem: quare me utere ut tuo amicissimo, modo non utamur titulis, diligamus nos mutuo sinceriter, ex animo, probe. Orationem tuam dudum legeram et uno spiritu: grata virtus, gratum quod nostro Ottoni dedicata est; eam Franciscus Calvus Cumensis in Italiam attulit, homo et ipse de litteris bene meritus qui te celebrat et tui nominis studiosissimus existit. Commendo tibi meum patronum duumvirum d. J. Ebner et illius nepotem Conradum Volchamer agoque gratias, quod filium Tucherum tam familiariter complecteris, qua re gratissimum mihi facis: confido eum tua eruditione evasurum in virum bonum qui tibi quoque redditurus sit olim beneficium aut certe animum gratissimum. Vale et tibi omnia de me persuade, mi suavissime Philippe. Datum ut supra in litteris [328]).

C. S. d.

Nr. 186. (22. December 1518.)

An Martin Luther.

Cod. C. fol. 188 (224) b. Das Datum ergiebt sich aus der Stellung im Codex und aus dem Inhalte des Briefes.

Ad Martinum Luther.

Affirmat Carolus meus solicitasse quidem triennio rosam, ceterum hanc provinciam merito demandatam, non legatum sed unum se commissarium, ea tamen lege ut consilio legati utatur.

[328]) Die Fassung des Datums ist vom Abschreiber und bezieht sich auf den vorangehenden Brief an Spalatin.

Dimissa Augustae supra XXXX brevia ad Germaniae potentatus, quibus auxilia contra inermem mandantur, auxiliares copiae beantur, damnantur aeternaliter resistentes: non se his usurum, facturum quantum fieri potest quae principi placuerint, venire privatum, non iudicem sed amicum, tamen explorandi gratia principis decretum, Martini sententiam, omnium favorem. Relaturum haec omnia ad legatum, ad pontificem: non habuisse sedem apostolicam in 10 annis causam magis arduam, anxiam, sollicitam et reges humiliatos.*) Oportere te aliquid facere, saltim litteras ad cardinalem corrigere vehementissimas; hunc aegre ferre vicarii et tuum abitum eo non salutato ac si ludibrio habueritis: excusavi, fatetur non redeundum fuisse, nisi ad cor redires. Negat cardinalem huius rei gratia in Germania manere, sed expectare principum conventum forte ad pascha apud Wormaciam vel Franckfordium, et imperator proposuit venire Augustam ad epiphaniam, mea opinione legatus quoque sequetur ex Lintz. Dicit debere te accedere, commentaturus [329]) tecum sit humanissime, nihil formidandum. Stantibus his nondum timenda nobis sunt fulmina neque temere omnia credenda, sed agenda [330]) cum summa modestia, summopere enitendum ut audiaris, ut causa committatur [331]), ut universitas et consules te commendent, futurum te ecclesiae filium, facturum quaecunque debes et cum deo potes. Non ego despero [332]), quin deus daturus sit gratiam quae timentibus se nunquam defuit. Iterum [333]) vale.

Nr. 187. 22. December 1518.

An Johann Eck.

Cod. C. fol. 190 (226) b.

Ad doctorem Johannem Eckium.

Vix acceperam litteras tuas, quum renunciat Jodocus Morlin Friburgensis discipulus tuus Feltkirchio rediens, numquid nunciare velim amicis, sciens neminem Wittenbergam venire solitum non onustum litteris. Ei igitur et tuas Lipsi et Wittenb. et nostri Burchardi consignavi fideliter reddendas, etsi magis arbitrer perditurum te tempus et sumptus quam Lipsenses desumpturos sibi decernendi provinciam. Quod multi Erasmum de te sensisse arbitrantur, forsan praeter multa argumenta habuere, quod promittimus te sedulum praestiturum monitorem, modo

*) res humiliantes? — [329]) Cod. commendaturus. — [330]) Cod. egenda. — [331]) Cod. committetur. — [332]) Cod. dispero. — [333]) So Cod., Interim?

istic placuisse agnoscas et quod illi non vacat quibuslibet respondere, quodque scribit librum illum non editum quidem sed tantum probis ac fidis amicis communicandum, atque post decem conclusiones authorem ad palaestram provocantem, si quis forsan ausit manus conserere [334]). Reliquis tu sic accurate respondes immo replicas [335]), ut in sententia persistere videare, quod ego non arguo, non disputo: satis mihi est pro iure nostrae consuetudinis egisse fratris officium, non possum tamen Roterodamo non scribere longe magis tibi gratulaturo, ubi otium contigerit et animus arcanam illam Christi philosophiam in altissimo silentio mentisque secessu recognoscendi, cum te ducet sponsus in cubiculum et in cellam penuariam. Quo tandem agnito errore, id est repudiatis scholasticis renunciatur Usingensis apud Erphordienses penetrasse et ecclesiasticos coepisse gustare, quorum instaurator M. Luther dei beneficio adhuc stat, vivit, valet, pugnat, praedicat, legit, docet, disputat. Ad eum contendit ut nosti Carolus noster de Miltitz, nuncius apostolicus, sed privatus explorandi tantum gratia, quippe rosa et diplomata apud Augustam dimissa: conversati sumus integro triduo ad multam etiam noctem cum homine perquam familiariter. Forsan deus dabit gratiam, ut pontifex vel audiat hominem vel in gratiam recipiat honestis conditionibus. Interea medio Novembri decretalem edidit declarantem Unigenitus, Christi merita, indulgentias, edidit et Martinus acta sua Augustae et processum informem cum duobus tamen illi obiectis [336]): multa in his claves tangunt. Ubi plura exempla adferuntur, tibi quoque communicabuntur. Nam et pontifex non parum dicitur indignatus S. Prieratis rusticitati, cui magis trimestre quam triduum opus erat. Aureos illos Koburgio solvendos non vidi. Vale, frater doctissime, et me utere amico et fratre fideli. Datum ad XI. kalendas Januarias 18.

C. S. d.

Nr. 188. 23. December 1518.

An Johann von Staupitz.

Cod. C. fol. 189 (225) b.

Ad doctorem Johannem Staupitz.

Felicitatem. Quod de Martini statu ad Wenzeslaum et me retulit Christophorus Planck, Scotorum decanus, hoc ad r. p. tuam fideliter perscripsi. Interea laetiora nunciata sunt et etiam verissima. Appellavit quidem Martinus et populo valedixit, eo

[334]) Cod. censere. — [335]) Cod. replices. — [336]) Cod. obiectus.

forsan usus strategemate, ut cunctantem cogeret maturare sententiam: nam principis rogatu iterum praedicat, legit, disputat, adhuc stat, valet, in portu navigat. Editis nuper actis apud Augustam, ubi de clavibus disseruntur pleraque et summo apostolatu, iussus quidem fuerat maturare iter non abeundi sed cum Spalatino interloquendi, quatinus ad Carmelitani Augustensis [337]) aulam opportune rediret. Interea pro veteri consuetudine conversati sumus triduo perquam familiariter Carolo de Miltitz nuncio apostolico, causae Martinianae commissario. Is cum Pfeffingero eius rogatu ad principem ante quatriduum hac contendit, sed privatus explorandi tantum gratia atque etiam tentandi, si forsan contentio haec honestis conditionibus componi possit, quippe rosam et diplomata apud Augustam dimisit. Brevia ea continent iubileum per octiduum Omnium Sanctorum cum facultate dispensandi in III. gradu et super 500 ducatis male ablatis [338]), ad quamlibet particulam reliquiarum annum unum, institutionem VII festorum et [339]) super haec interdictum, execrationem, invocationem laicorum. Hic caelum, ibi infernum, nisi resipiscat Martinus, cui haec omnia et pleraque alia scripsimus diligenter, officiose. Vidi litteras pontificis et vicecancellarii ad Pfeffingerum, item etiam manum nostri principis quibus Martinum commendari iubet Caesari, eum laudat, celebrat, abhorret dimittere non auditum. Spero intercessione fidelium posse utrinque convenire aliquibus honestis conditionibus, quamquam pontifex dicatur non habuisse causam magis sollicitam toto pontificatu, ne dicam annis 50. Medio Novembri edidit decretalem declaratoriam Unigenitus acceptis Lutheri responsionibus, quas legatus reiecerat [340]). Cum tota aula expuit in Prieratem, quod ita ineptierit, debacchatus sit, cui magis trimestri quam triduo opus erat. Dicitur legatus discessum vestrum tulisse aegre [341]), ac si eum habueritis ludibrio. Nos hic vivimus quiete, valemus recte: nam et Wenceslaus praedicat populo gratus; eius auditores te salutant, Je. Ebner, C. Nuzel, J. Holtzuher, L. Spengler, A. Durrer, addo etiam cancellarium tuum devotum Scheurleum cum Ebnera, omnes salutis Martinianae cupidissimi. Interea valeat r. d. t. atque amicos de reditu certiores reddat. Clara, D. Proceri uxor, partu excessit, honesta quidem matrona, tota dedicata atque bona faciebat. Sed et meus prior V. Volprecht te cupit felicissimum seque commendarier. Datae Nurnbergae ad X. kalendas Januarias XVIII.

C. S. d.

---

[337]) Cod. Augustum. — [338]) Cod. oblatis. — [339]) Cod. vt. — [340]) Cod. reicerat. — [341]) Cod. agere.

Nr. 189. 1. Januar 1519.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 191 (227) b.

Domino Othoni Beckman.

S. Qui te ex animo coepit diligere humanissimus noster Ebner, is nobis mandavit, ut suo nomine communi amico Otthoni catholicum regem muneri mitteremus: unde sumus arbitrati ad nostrum officium attinere nacta tam pulchra occasione de rege ipso paucula disserere. Quippe coram cernis, Ottho suavissime, ut Caesar augustissimus, cuius cor mihi crede in manu Domini semper fuit, variis affinitatibus et consiliis nuper tandem apud Augustam patribus editis nititur regum diadema et ipsam monarchiam domui Austriae inducere et imperium ipsum, cuius hucusque umbram tantum et fines, tria iugera ut meus J. Aretinus [342]) verissime ait [343]), possedimus, in pristinum statum redigere: quae res nec inmerito [344]) Gallis et Britannis, ut Italos interea taceam, suspecta est, anxia, sollicita. Hi contra iusiurandum conspirarunt dissimulato comato odio, conciliatis vero sponsalibus inter Franciscum. II. bimulum et Anglorum regis filiolam trimulam, aliqui addunt pontificem et Tornacum restitutum [345]), Carolum vero obtulisse electoribus recuperaturum se suis expensis, quaecunque ditionis sunt imperii, et ingentem [346]) equitatum misisse Neapolim, parare iam peditatum forsan mox secuturum, quam primum scilicet absolutis rebus Caesaraugustensium quibus rex aliquot mensibus detentus fuit, dum hi privilegiis et inmunitatibus antecessorum renunciare negant, alioquin universis regnis tam charus quam qui charissimus. Memoria hominum non ita Hispanis [347]) triumphatum, et regina Elizabet omni senatui cum rege interfuit gessitque collegam [348]), si unos Arragonios [349]) demas, quorum metropolis est Caesaraugusta. Istud constat Carolum apud mensam Fuckcrorum vel etiam Welserorum quater aut quinquies centena milia aureum avo destinare, quamquam nondum compertum habeam, si Caesar ea pecunia scripturus sit exercitum in Italiam vel potius exsoluturus singulis electoribus assentientibus centena milia praeter vectigalia, pileum, feuda, affinitates stipulata. Nam id quoque ferunt nostrum Marchionem repudiata Gallica Katherinam post Ferdinandum natam apud Hispanos ducturum uxorem, et forsan ob id Augustam

[342]) So Cod., Aventinus? — [343]) Cod. aut. — [344]) Cod. In merito. — [345]) Cod. restitutum. — [346]) Im Cod. ſteht noch et. — [347]) Cod. hispanus. — [348]) Cod. collegiã. — [349]) Cod. Artagonios.

nuper venerat. Dominus etiam de Sibenpergen Burgundus pro Carolo legatum agit [350]) XXXX equis pompabiliter expectatque Caesarem iam pluribus diebus Augustae, quo Epiphania venire destinaverat, nisi morbus impediisset, quem tamen dei munere evasit. Is ut audio tractaturus est cum Helveciis: si hi non moverint, victa est Italia audito tantum [351]) nomine Germanorum et Hispanorum, etsi verear, ne Elvecii rebus suis cautius [352]) prospiciant, haud ignari se quoque proxime sub iugum mittendos. Sed non deerit Germanus miles et Gallus exhaustus est, nisi forte propterea Anglum sibi conciliavit, qui tamen Germania inferiori carere non potest. Magna agitantur consilia nec dubito affuturum nobis deum et aquilis. Caesar praeterea oratores nostros audivit clementissime, et Francones equites utpote viri strenui, libertatis retinentissimi et acerbissimi defensores et nobis bene sentiunt et Francisco illi sollicitanti negarunt latrocinari: forsan etiam non disconvenit nobis cum Bohemis et aliis. Nunquam dubitavi hiematuros nos tranquille et deus vivit et aestatem pacificam nondum negavit. Interea sufficiemus Carolum in Romanorum et Italiae regem et omnia erunt tutiora, velitis nolitis. Boemis cum Palatino nondum convenit, forsan aliquando mittetis confoederato auxiliares copias. Ista scripsimus tibi ineuntibus calendis Januariis anno a nativitate Cristi 1519: haec faciunt, ut minutiora minutius curemus.

Volo filium meum Tucherum evadere iureconsultum, qui opus habet ingenio versatili, humano, facili, liberali, prompto, tempori accommodato, industrio, gnavo; hebetes [353]), tardos, ignavos reliquos aliis disciplinis. Illum Bavarum scholasticum non vidimus, agit tamen tibi noster Ebner de litteris et muneribus maximas gratias et nepotem commendat. Scripsisti servaturum intactam pecuniam, debuisti etiam legere pro gelt golt hoc est non dare aurum sed monetam, neque opus habui ea pecunia, sed tantum ut Helenae Ebnerin gratificares, eo consilio ut Conradus acceptum aes mox restitueret, sed dubito ne aliud dixerit aliud scripserit: curabis igitur homini re ipsa fieri satis, si voles restituam. Scribes [354]) etiam Helenae Ebnerin, quae cupit tibi munus mittere. Expecto bimos petasones. Mittes Ebnero Martiniana quaecunque quamprimum etiam et Martinum utriusque nomine salvere [iube] et vale tu quoque. Nurnbergae.

C. S. d.

---

[350]) Cod. ait. — [351]) Cod. tu: dies wäre tamen. — [352]) Cod. cautus. — [353]) Cod. habetes. — [354]) Cod. scribis.

Nr. 190. 1. Januar 1519.

An Martin Luther.

Cod. C. fol. 193 (229) a.

Domino Martino Luther.

S. Litteras nuper Pfeffingero ad r. p. tuam datas non dubito legisse te eo animo quo scripsimus, hoc est amico, fideli, devoto et plane sincero. Interea misissem Silvestri replicam, ni Wenceslaus nostrum officium praevertisset. Vellem te ad portum appellere [355]). De veniis sermo haberi coepit; de papae potestate disputatio invidiosa, iudices suspecti. Qui differt, non aufert [356]). Satis est periclitatum. Crede mihi, erit brevi aliud et commodius tempus ista disserendi. Non dubito duplicaturum te modestissime contra Prieratem, ut videamur quaerere quae Jhesu sunt, non nostra: sed quid sus Minervam? Cogita tamen etiam ordinem tuum atque rogo, ut insidias diligenter caveas, nihil contemnas: da hoc patriae et reipublicae. Si Tridentinus commissarius Bernhardus Gleser, nihil puto suspicandum: homo est doctus in iure et bonus et nobis aliquando post longum condiscipulatum in syndicatu Bononiensi suffectus. Quorundam litteris accepi, Adrianum et Urbinatem [357]) cardinalatu, sacerdotio et ducatu exutos ad Turcum cum magna vi auri profugisse defecisseque. Mittunt Ebneriani monasterio tuo casulam benedictam, qua ad divinum cultum utemini, aliquando nobis solicitantibus maiora missuri. Interea commendat tibi nepotem Conradum Volchamer, ego quoque filium Jo. Tucher: cura ut utrumque sentiamus commendatissimum. Nam caput familiae d. Jeronimus mirum in modum tibi afficitur; Martinum adeo carum habet, ut tuam fortunam communem existimet, ut gratissima mittant quicunque tua mittant. Expectamus igitur annotationes Paulinas, Romanas adulationes, saltim privatum munus atque etiam litteras tuas. Eius et uxoris, filii cognominis nostroque nominibus cupio te valere in Christo Jhesu. Nurnbergae kalendis Januariis XIX. C. S. d.

Nr. 191. 1. Januar 1519.

An Ulrich Pinder.

Cod. C. fol. 194 (230) a.

Ad Udalricum Pinder.

S. Ipso die Innocentum cum magna turba innocens et optimus pater tuus ad caelos migravit, cum vix unum diem

[355]) Cod. appellare. — [356]) Cod. affert. — [357]) Cod. Vrbinitatem.

decubuisset. Peracta sacra pro hominis dignitate: desideratur a toto populo medicus doctissimus. Tu quoque patienter fer, quod Domino ita placuit; in quam rem plura scriberem, nisi essem occupatissimus atque etiam scirem te pro tua sapientia moderaturum omnia ad laudem unius solius dei, cui vivimus, morimur, stamus, cadimus: ipsi sit laus, gloria et honor! Unum tantum cogita ne forsan expediat eam mortem celare Pfeffingerum, ne argumentum habeat resiliendi ab eo quod nobis tam fideliter solicitantibus iterum atque iterum stipulatus est: nunc dicit se scripsisse ad te. Vale et opera mea utere. Nurnbergen, kalendis Januariis 19.

C. S. d.

Nr. 192. 18. Februar 1519.

An Johann Eck.

Cod. C. fol. 195 (231) b.

Ad doctorem Johannem Ecken.

S. fraternam. Quod continuo ad me advolasses Aichstatiam [358]), modo per publica munera licuisset, iterum agnosco, vir egregie, tuam in me pietatem; quod absque amicorum consilio nihil temere es editurus, laudo te, quippe in rebus nostris subinde caecutimus, quum in alienis saepe limis [359]) oculis utamur; quod nostrum quoque ut amicorum principis consilium non prorsus reiicis quam recte facias [360]), tu videris. Quando vestram disceptationem non legi et lectam parum intelligo, quae non est de mea arena, quid ad me? Dum quaero vestram concordiam atque utriusque benivolentiam retinere, frustra laboro: illi hostem suum acerrimum meum Eckium compellitant, Eckio displicet dum scribo Usingensem tandem errorem agnovisse, dum illum non pudet errorem fateri. Et ego inter plerosque meum Ambstorffium sequor, qui litteris apud me dolet se immo totum mundum a Thoma et Scoto seductum atque Tartareto et non potius ecclesiasticos secutum, et illorum et Lutherii doctrina, ut illius verbis utar, firma sit, sincera, catholica, inexpugnabilis, irrefragabilis. Sed si ut scribis non tam te movent iurgia et illa contumelia quam Christiana veritas, quam periclitari times, recogita ne valde deliberate ad scribendum accedas aut potius prorsus sileas. Contrahis nempe, ni fallor, mirum odium atque invidiam plane omnium Erasmicorum, Capnionistarum, ingenuorum

[358]) Cod. Aichstauiam. — [359]) Cod. linceis. — [360]) Cod. facies.

studiorum atque etiam neotericorum theologorum. Peragravi nuper aliquot [361]) insignes episcopatus: ubique reperi magnum Martinianorum globum. Mirus clericorum in hunc favor: in illius sententiam manibus et pedibus et graculatim et sturnatim itur; huic subscribitur, applauditur, benedicitur. Supra modum Martini devoti sunt Spirenses, hunc in deliciis habent, inter cenandum relegunt, noctu exscribunt. Ibi primum nobis commonstratae lucubrationes Martinianae ferme omnes in Basiliensi omnium Germanorum praecipua officina excusae [362]), dolenter tamen legi inscriptionem apologiae Carlstadii contra Eckium (ut ipsi appellant) sophisticum argutatorem: dolorem auxit, quod responsionem tuam desiderabam. Rursum fateor risum movisse scholia facetissima quibus delirum Prieratem [363]) ridiculo exponunt. Quid? quod in liminari epistola palam scribunt Martinum tamquam alterum Danielem a Cristo nos tandem miserante missum, qui veritatem et veniarum abusum praedicet et vere parva logicalia exterminet, in exilium agat et id genus: addo praeterea sermonem de indulgentiis eleganti latinitate donatum. Sed quaeris qui in statu sint res Martinianae, quid agat Martinus. Iterum profitetur, concionatur, biblia legit, studet: omnia in summa et ferme altissima tranquillitate. Carolus Miltizius pontificius legatus hunc apud Adelpurgium [364]) evocatum in conspectu aulae plane familiariter deosculatus et complexus est. Quando is obtulit errata emendaturum, modo convincatur, petiit iudicem Treverensem, Saltzburgensem, Neunburgensem comitem Palatinum. Ita redit Miltizius relaturus ad pontificem, interea rosam et saccum veniarum allaturus, iniuncto [365]) tamen utrisque silentio: quare Martinus ex officina libraria annotationes in Pauli epistolas revocavit, si forte quaepiam liberius disseruisset. Ceterum cum Johanne Tezel durius actum: scio Karolum litteris testatum delaturum hunc pontifici et forsan exilio et diris mulctandum. Quae omnia pluribus suspicionem ingerunt esse haec a deo et suffulta firmissimis rationibus quod etsi tu moveare rectissimo zelo, nihil tamen effecturum solum, relinquenda aliis qui et ipsi sapiunt. Sed tacent omnes, nisi quod multi herbam porrigunt, huic vitam, salutem, gratiam precantur. Et recte praedicas: Non facile Cristus ecclesiam relinquit et non facile tanto tempore erratum; sed meo iudicio in fide nihil aberratum, corrigitur modus discendi, exploduntur sophismata, Aristotelei somniatores

---

[361]) Cod. aliquod. — [362]) Cod. excusse. — [363]) Cod. prioratem. — [364]) Altenburg. — [365]) Cod. invincto.

scripturarum quibus nihil opus est. Cum tamen Pauli doctrinam ita obfuscaverant, ut Paulus sibi ipsi non constaret, revocantur ab exilio patres ecclesiastici, veri theologi, hi leguntur, docentur, praedicantur, et facile nulla ars, nulla disciplina antiquum morem retinet, omnia restituuntur, reintegrantur, eriguntur. Verum his committo istaec quorum sunt, non potui tamen tibi amicissimo non scribere quae quottidie audio, video, experior. Koburgius Ciprianum non habet, alioquin tibi misissem, curavi tamen aureos X. sibi solvendos. Tuus Michael cum patrono pedibus iam diu laborat. Nostro F. Burchardo nos commenda et vale. Nurnberghae 18. Februar. 1519. C. S. d.

Nr. 193. 10. April 1519.

An Philipp Melanchthon.

Cod. C. fol. 197 (233) a.

Philippo Melanchtoni.

Se totum. Litteras tuas dedimus Franckfordium deferendas, quo audio convenire tuos Tubingos, et diligenter commendavi quatinus reddantur. Ex Otthone intelliges confoederatos Stuckardiam obsedisse. — — — D. Martinum, d. Wolffgangum, Jeronimum, Petrum [366]) Burchardum nomine meo iubes salvere plurimum. Vale. Nurnbergae X. Aprilis anno 1519.

C. S. d.

Nr. 194. 10. April 1519.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 197 (233) b.

Ad licentiatum Otthonem.

Salve, mi amabilissime Ottho. Vix abierat Lipsensis nuncius, quicum tibi significaveram obsedisse nostros confoederatos Stuckardiam et strategemate Wilhelmi de Waldeck, meae reipublicae veterani militis, receptam etiam arcem Deck, unde principes nomen [367]) traxere, quum ad me venit cognominis meus de Hagen, canonicus Brixensis, num tibi velim scribere. Retinui hominem qui mihi perplacuit, quod de vobis et Martino bene sentit et ingenue loquitur. Nos interea tacite molimur et cogitamus bello deiicere telonium [368]) istud Cazimiro institutum: deus bene vertat! Reliqua ex aliis nostris intelliges et vale. Datum ut supra [369]). C. S. d.

[366]) Cod. patrum. — [367]) Cod. noīe = nomine. — [368]) Cod. theolonium. — [369]) Die Faſſung des Datums vom Abſchreiber mit Beziehung auf den vorhergehenden Brief an Melanchthon.

Nr. 195. 10. April 1519.

An Johann Volz.

Cod. C. fol. 198 (234) a.

Ad Johannem Feltkirchen.

S. Ante mensem rediens a Rheni ripa, optime vir, legi fasciculum litterarum, quas amici interea miserunt, sed tumultuarie, ut si quid forte subito respondendum foret: postea compositis rebus, ne qua in re officium nostrum desiderarent amici, legi accuratius. Imprimis tuae voluptati mihi fuere utpote ab amicissimo, profecto unius inter tantam amicorum manum. Praestantibus rationibus persuades parentis mortem aequo animo ferendam, quod sane admodum mihi gratum fuit sicut illud quoque longe gratissimum, quod spondes te tam pium, tam benivolum illius apud deum intercessorem quodque [370]) de homine honorifice loqueris et sentis: fuit quippe rerum humanarum callidus et qui tua conversatione admodum delectabatur, quod similibus facile convenit, et te subinde testabatur cum morum probitate coniunxisse religionem, industriam et eruditionem prope singularem. Hoc igitur pio tuo officio Feltkirchiac devinxisti nos tibi arctissime.

Venio nunc ad Martinum nostrum, quod illius conclusio ultima [371]) multis bilosa iudicatur et sanctis patribus contraria, unde mihi inter se non conveniant negare ecclesiam Ro. superiorem et eam superioritatem non probari patrum decretis. Id fastigii apud Germanos conscendit Martinus noster cum Wittenb. immortali gloria, ut vel a quovis errore putetur excusari posse, si modo [372]) errare possit. Forte tamen consultius [373]) fecerint nostri, si externis disputatoribus cesserint: nostrum nostra tueri, propugnare. Mitto Eckii epistolam, quem audio ad Leonem X. retulisse disputationem hanc. Tu omnium rectissime feceris, si quam primum doctrinae infulas susceperis neque (scio) consilii paenitebit unquam. Litteras tuas me absente Eckio misit amanuensis. Interea cum nostro Nicolao Kint Herbipolensi super cenam de te quoque sermo incidit qualis ab amicissimis tuis debuit. Vale et nos mutuo ama. Datum etc. [374])

C. S. d.

[370]) Cod. quodquod. — [371]) In der Schrift: Disputatio et excusatio F. Martini Luther adversus criminationes D. Johannis Eccii. — [372]) Cod. nostro. — [373]) Cod. consultus. — [374]) Die Faſſung des Datums iſt wie im vorigen Briefe zu erklären.

Nr. 196. (10. April 1519.)

An Nicolaus von Amsdorff.

Cod. C. fol. 199 (235) a. Das Datum beſtimmt ſich durch den Inhalt und die Stellung im Cod.

Ad dominum Nicolaum de Ambstorf.

Salve, praestantissime vir, frater optime. Egregiam navasti operam qui parvo libello ex Martini doctrina nos orare docuisti [375]): cum peto ad me mitti quintuplicatum. Martinus ipse magnum [376]) sibi conciliat favorem populi ex Theutonicis scriptionibus, in quibus tu etiam excellis et ornatius [377]) scribis quam multi solent doctorum. Unde de repub. Cristiana optime mereberis, si praecepta et sermones eleganter traduxeris: inprimis petit Albertus meus Durer interpretari sibi sermonem de poenitentia. Mitto meas nugas, si forte inde iuvari queas: poterunt autem tibi esse adiumento, quae filio Tuchero misimus. De telonio [378]) fac intelligam preces meas non fuisse inanis, qui meae [379]) voluntati nunquam defuisti. Legimus multa Martiniana quae amicissimis plus probantur quam sermo de coniugio, utpote casta, modesta, pudica, gravia, seria, qualia theologum decent. Tu me homini commenda ea commendatione quae maxima est. Cristofferus de Hagen canonicus multiiugus [380]) hominis amicissimus est et res novas tibi dicet. Interea pater Volffgangus et Wolffgangus tibi adscribere [iubent] salutem plurimam, homines mihi iunctissimi. Vale.

C. S. d.

Nr. 197. 10. April 1519.

An Johann Eck.

Cod C. fol. 199 (235) b.

Ad doctorem Ecken.

Salve, theologe praestantissime. Putas tu inclinare me in parteis Lutherianas? Id si a me fieret haberem cum valde pluribus commune. Putas tu plus me favere Martino quam Eckio? Sic accipe. Cum Praedicatoribus educatus sum, cum Augustinensibus adolevi: cum his Wittenbergam veni et maxima interea familiaritas quoque, plerosque agnovimus cum probitate coniunxisse egregiam eruditionem. Martinus ipse meam amici-

[375]) Die Schrift erſchien 1519 unter dem Titel: „Eine chriſtliche Fürbetrachtung, ſo man will beten das heilige Vater Unſer" und iſt nach Luthers Predigten gearbeitet. — [376]) Cod. magnam. — [377]) Cod. ornatus. — [378]) Cod. theolonio. — [379]) Cod. me. — [380]) Cod. multingius.

tiam nunquam est aspernatus, quem et aula et academia Saxonum mirum in modum diligit, quos ego summa benivolentia amplector. Rursus cum Eckio meo sancivi nedum amicitiam sed et fraternitatem: tu domum meam nihil de te meritam, quae tua est comitas [381]), te tanto viro hospite dignatus es, quae res apud optimates honori mihi cessit; tu enim te in nos semper praestitisti qualem ego pro mea parvitate nec optare quidem debueram. Propterea dudum apud me constitui velle utriusque amicitiam et augere etiam ne dicam retinere, neutrum facere tanti ut alterum despicere in animo sit: utrique bene volo, opto, faveo, cupidus id ab aliis quoque fieri. Vos videritis, quantum his profuturi sitis contentionibus vel [382]) etiam contracturi odium. Vestra iurgia, disceptationes, dissensiones nihil ad me: utriusque virtutis praeco fui et amicitiae conciliator, nihil magis optavi quam initam amicitiam confirmare; si secus accidit, doleo. Id decreti alii [383]) vitio dant, alii delatorem insimulant, et durum quidem est tam pugnantia sentientibus placere: ego [384]) ipse mihi conscius sum inviolatae fidei. Quare, reverende pater, depone obsecro sinistram de nobis opinionem, quando nulli iniuria fit, si mensarii officio fungens vestra vestro visu hinc inde transmitto, et tibi persuade me amicum constantem, integrum, fidelem, quod tunc intelligam maxime si apud me divertere fueris rursus dignatus, quod iterum accipiam ut debeo beneficii loco. Quodsi qua in re tibi possum prodesse, utere me ut amico et fratre. Interea vale et cum adversario quaere quae sunt Domini nostri Jhesu Cristi. Datum Nurnbergae X. Aprilis 1519.

Puto te antea accepisse parentem meum vitam cum morte commutasse, cuius animae deus bene faciat, quamque in orationes tuas commendo. D. Franciscum Purchardum plurimum salvere cupio. Vester d. Michael dei benignitate et vocem et vires paulatim recuperat.

C. S. d.

Nr. 198. 19. April 1519.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 200 (236) b.

Ad licentiatum Otthonem.

Anxit, excruciat, conturbat me altercatio [385]) illa disputatoria, recreat, solatur, exhilarat conscientia recti facti. Ante has diffi-

[381]) Cod. committas. — [382]) Cod. vt. — [383]) Cod. alio. — [384]) Cod. ea. — [385]) Cod. alteracio.

cultates cum Eckio amicitiam constitui, firmavi, iuravi: vobis omnibus ex animo bene volo, opto, desidero. Quid vis me facere, suavissime Otto? Num debeo desertor accusari, an cogitare Jn vhas vhede ain iber begriffen wirdet, die ſol er ſeinem herren pillich aus dinen? Video futura multa scandala, iniurias gravissimas: hic [386]) molitur nescio quid Ortuinianum, ille principis securitatem et se apud protectorem ambit. Scio difficillimum inter tam pugnantia versari sine contactu. Sed res haec nihil ad me. Ipsi viderint: ego utrisque paratissimus sum absque alterius iniuria morem gerere et servire fideliter. Si tu me aliud voles agere in medium consule et interea excusatum habe. XIX. Aprilis anno 19. C. S. d.

Nr. 199. 1. Mai 1519.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 202 (238) a.

Ad Othonem licentiatum.

His calendis Maiis prandenti mihi pro more cum meis Ebneris [387]) peropportune redditae nobis sunt litterae tuae: mox ex inscriptione augurabar petasones, quos partiti sumus, agimusque tibi et de libellis Christi passionis gratiam maximam. Ipse Ebner, nomine et re vere planus, forsan in praesenti egisset aut etiam retulisset, ni perendie filiola Katherina ingressura esset monasterium Divae Clarae, in qua celebritate et nos cum amicis sed selectissimis et paucissimis prandebimus. Habes occasionem amplissimam de patre, de matre, filiis Jeronimo et Katherina litteris et munere chartaceo bene merendi, addo etiam Charitatem [388]) D. Clarae praefectam: nihil his humanius, probius [389]), candidius, sincerius. Christi passio gratissima, quae Ebnero supra modum probatur, quam aliquoties relegerat utpote ante XV dies acceptam: nostrum officium etsi lentum venit tamen acceptum. Scribes familiariter ad Helenam: d. Volchamero suo diligenter utcunque res cadet gratiam mereberis. Vale et vive felix.

Nr. 200. 1. Mai 1519.

An einen Ungenannten.

Cod. C. fol. 202 (238) b. Der Adreſſat iſt wahrſcheinlich Melanchthon.

S. Ipse acturus eram gratias nostro Lutherio de explanatione Dominicae orationis, sed interdum litterae non commodum red-

[386]) Cod. hinc. — [387]) Cod. Ebnerio. — [388]) Pirckheymer. — [389]) Cod. probus.

duntur, praesertim homini tam occupato. Tu qui meus es totus, ubi visum fuerit, parteis amici ages. Opusculo ipso ante plures dies me donaverat Pfeffinger, ego rursus Casparem Nuzel, qui ut in senatu praestat et sententias rogat ita gratus accepit munus dignissimum. Quod genus multa ad me mittuntur, sed parum sufficiunt: instruendae [390]) nempe pleraeque civitates, ut domesticos taceam, et his nundinis Franckfordinis in pretio habita maximo officina Argentoraca. Clarissimus iureconsultus Zasius in apologia, qua Eckium proscindit et ludibrio exponit, pagina 62. de Martino et archidiacono valde honorifice meminit. Secus agit Hohestratus non in apologia II. quod ego sciam, sed in destructione caballae in praefatione ad Leonem. Ipse Capnion, Alberti Bavari a consiliis, Athanasii varias quaestiones traduxit d. Mogontino [391]), et tua oratio de litteris apud Basileam edita est [392]). Hutenum de Guaiaci [393]) medicina et febris et tyranni dialogum [394]) vidisti credo. Multa nobis advehit mercatus Lipsensis; recognitum instrumentum cum compendio theologico [395]) totis viribus Martino adstipulante, subscribente. Vale. Nurnbergae kalendas Maias 1519.

C. S. d.

Nr. 201. 9. Mai 1519.

An Martin Luther und Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 203 (239) b.

Ad Martinum Luther et Ottonem [396]) Beckman licentiatum.

Salutem. Ab antiquo civitati nostrae adiacebat monasterium, in quo paenitentes Divae Mariae Magdalenae [397]) quae hodie quoque post D. Claram primatum obtinet deo militabant. Post promotis moenibus patres monasterium in civitatem et in secedentium locum Divae Clarae relligionem induxerunt authore potissimum Federico Ebnerio, qui mulierum paupertati consulens frumentariam decimam cum iure patronatus obtulit ea lege, ut in singulos dies sorores panem inde ederent, qui hodie quoque

---

[390]) Cod. instruendo. — [391]) Erschienen zu Hagenau 1519 unter dem Titel: Liber S. Athanasii de variis quaestionibus etc. — [392]) Vermuthlich die Schrift Melanchthon's Sermo hab. ap. iuventutem acad. Vuittenb. de corrigendis adulescentiae studiis, welche im Januar 1519 bei Joh. Frobenius in Basel herausgekommen. — [393]) Cod. quam. Vgl. Index bibliogr. Huttenianus ed. Böcking p. 40. — [394]) Die Ausgaben des ersteren Dialogs s. bei Böcking a. a. O. p. 36 ff., die des letzteren ebd. p. 16 f. — [395]) S. von der Hardt's Autographa I. p. 83 f. — [396]) Cod. Ottoni. — [397]) Cod. Maria Magdalena.

Charitati Pirchamerae abbatissae cum filiabus lx abunde sufficit: quin Foedericus anno ab incarnata divinitate m. cc. lxxx. se quoque Cristo devovit Franciscanam cappam supra xl annos induens, monialium confessiones audivit et apud illas mortuus est, ut merito dici possit alter fundator, neque enim incolis imperavit a civibus fundum emere. Hunc secutae ex nobili gente sua novem virgines deo et Clarae professae sunt in hoc ipso restaurato monasterio. Nam in ordine quoque Divi Dominici Cristiana Ebneria apud Vallem Angelicam, quam nuper Barbara Tucheria matertera mea reformavit, et illius soror in Medingen miraculis clarent et beatae coluntur adoranturque, quippe ex Ebneriis plerique praestantes prodiere, quorum dux est noster Jeronimus, mel et deliciae populi Nurnbergensis, quo stante parum huic reipub. timendum est Is V. nonas Maias volens decimam dare suam quoque filiolam Katherinam Sanctae Clarae obtulit comite Clara filia Casparis Nuzel, monasterii protectoris, viri dexterrimi. Pulcrum certe spectaculum! Convenerant bona optimatum pars de civitatis principibus bene meritura, etsi non vocata: prandio adhibiti paucissimi hique selecti amici, scilicet familiares et propinqui, nam uterque [398]) omnem fastum admodum odit. Super prandio ut fit sermo de Lutherio incidit sed liberalis, ingenuus, ut iam pro illo data sint suffragia ac pronunciatum. Praeterea Sigismundus Furer me rogavit, ut cognatum Gregorium Schlusselfelder vobis diligenter commendarem (iam habetis, quorsum haec tam alto repetita principio), neque speravit futura molesta, quando Ebnerius tam ex animo utrumque, praecipue Martinum diligit, ut terrenum deum colit, adorat, et cuius habet sororem Sigismundus: confidat necessarium ex vestra officina nonnisi meliorem rediturum, quem vestrae disciplinae commendo rogoque argumentum dari ad suos referendi vobis esse nos charissimos. Sed quae Ottonem [399]) nuper rogavi ab amicissimo impetrari, velim fieri nonnisi Latine, circumspecte, ingeniose, artificialiter. Scio quid me angit: tam aegre consulitur hoc hominum genus, in reliquis tractabilissimus, ingeniosus, magnanimus, prodigus [400]), reipub. natus. Valete [401]) feliciter, et si quid possumus pro vobis possumus: utrique vestrum se commendat Je. Ebner, Caspar Nuzel, Je. Holtzschuher, Albertus Durer et omnis nostra sodalitas nominis vestri studiosissima. Datum Nurnbergae IX. Maii 1519. C. S. d.

[398]) Cod. interque. Die obige gewiß richtige Conjectur hat uns Herr Dr. Looſe zu Dresden mitgetheilt. — [399]) Cod. qui otto. — [400]) Cod. prodeus. Die Masculinform hier durchweg im Cod. — [401]) Cod. Vale.

Nr. 202. 11. Mai 1519.

An Philipp Melanchthon.

Cod. C. fol. 204 (240) b.

Ad Philippum Melanchton.

Video et gaudeo dei opt max. beneficio pleraque mihi tecum esse communia, mi amicissime Melanchton. Scio pateris infima mediocribus commendari. Tu Wittenbergam veniens quorundam mores non prorsus probasti, potus ad stomachum parum faciebat, multa molesta voluisses constitutum annum paucis mensibus diffiniri, quin cum Martino abire decretum ne dicam stipulatum erat: post mutato consilio in multis aliter sensisti. Ego quoque anno abhinc XII. a condito gymnasio V. hebdomade paschali sub primum aspectum ingemui, indolui Wittenbergensium vitam, qui hanc patriam sortitus, inter optimates educatus, Bononiae supra VIII annos adoleveram, interea Mediolanum, Venecias, Romam, iterum Neapolim et totam ferme Italiam peragraveram, unde recens veneram. Cerevisiam horrui teste Ambrosio, Magdalenae patre, qui post nedum cyatho [402]) sed integro cantharo neque apud te amicissimum diffiteor uno haustu me invitavit. Quibusdam artistis parum probabar, donec delegi Ottonem meum, Eisnacensem [403]), Udalricum de Dinsthet, delicias academiae vestrae cuique [404]) si quid contuleris officii, benevolentiae, humanitatis duplum in me contulisti. Exacto triennio repetenda erat Italia. Eo trimestri itinere perlustratae supra xl civitates et Nurenberga quoque aliquibus diebus habitata: peream, si quaepiam me oblectavit, placuit, iucunda fuit. Retro Kembrig visa Wittenberga exilui, bene habui, omnis laboris immemor: eum diem signavi fuitque vigilia Pentecoste. Tu diligentissime legis, doces, instruis Latina, Graeca, Hebraica tam amabiliter, fideliter, sinceriter, ut velis uno die omnis evadere doctrina tui similes, unde singuli celebres reddi possint. Ego pro mea parvitate iura professus praesens ne ullum unquam diem intermisi, quo non vellem argumentum dedisse ad altiora penetrandi. Tu quae tua est ingenua bonitas bonorum amicitias avidissime amplecteris: prout quisque praestat ita eum diligis, quos ne facile quidem agnoscis eos salutas [405]) reverenter, omneis ad te amandum allicis, trahis miris illecebris, miro ingenio, thesaurum tuum in amicis reponis. Te stipatum amicis quod est iudices potentem,

---

[402]) Cod. citato. — [403]) Bedmann und Trutvetter, nicht, wie v. Soden Beitr. S. 82 überſetzt, Otto aus Eiſenach. — [404]) Im Cod. nunquam mit Abkürzungszeichen, deren Löſung auf obige Lesart führt. — [405]) Cod. salutes.

felicem, locupletem, neque falleris: si me unum demes, vere beatus es, cui academici ad unum omneis, cui boni omnes favent, bene cupiunt, optant, desiderant, omnia salva precantur. Quod ad me attinet, certe mihi conscius sum nulli mortalium tam inimico vel minimum [406]) malum cupere, delector autem [407]) supra modum in Philippica amicitia. Hoc scio vos omneis ex animo diligo, parum habeo tam charum quod non velim vobis esse commune. Saepe cogito, qui fieri possit, ut communes mei omnes apud vos militent: hinc mitto Gregorium Schlusselfelder, quem tuae eruditioni cupio esse commendatissimum quidem. Senatoribus meis cognatus et affinis super omnia me delectat illorum familiaris amicitia, cum paucissimis in tota Germania non convenit, ambio autem convenire cum omnibus, inprimis cum nostro Capnione quem desideranter lego, cuius tempora [408]) desiderantius expecto, quamquam hoc supra vires [409]), nisi forsan aliquando tua intercesserit authoritas. Si ergo similitudo conciliatrix est amicitiae, merito te amo, diligo, honoro, veneror, observo, non iniuria tibi omnia debeo, obligor, stipulor, vitam omnem, bona omnia, Christofferum ipsum quantulus est, neque movet quod in aliquibus non prorsus convenit, quando tu inter doctos apud litteras sine intermissione versaris, ego inter aromata quae pluris veneunt [410]) quam papyrus, ut me pudeat impolitum, incultum ad te scribere omnium politissimum, humanissimum. Sed quando ista [411]) tuam humanitatem nihil movent et meas ineptiolas hucusque non fastidienter pellegis et in amicorum mentionem incidimus et quorundam suspicio me agit, purgabo me apud te, abutar tua facilitate et de Eckio brevibus sic accipe. Anno abhinc ferme quarto aut etiam quinto pro senatu frequenter concedendum erat Neuburgum ad Danubium. Commotus hominis fama declinavi [412]) Ingolstadium, adii Eckium plane ignotum. Ipse de me pluris suspicatus quam erat in officio respondit, familiarissime tractavit, ad hospitium etiam prosecutus. Super cenam et procedente tempore amicitia et litteris crebris et [413]) officiis mutuis corroborata: placuit hominis dexteritas, gnavia, eruditio, ingenium, humanitas, fides, amicitia, quam arcto vinculo constituimus, iniimus [414]), auximus. Nihil prius habui quam illius virtutem [415]) nobis insinuare et Wittenburgensibus quoque conciliare. Rectum institutum minus feliciter processit:

---

[406]) Cod. inimicum. — [407]) Cod. aut. — [408]) So Cod., opera? — [409]) Cod. viris. — [410]) Cod. veniunt. — [411]) Cod. istam. — [412]) Cod. declamaui. — [413]) Cod. quod. — [414]) Cod. inimus. — [415]) Cod. virtute.

uterque nititur suis fundamentis. Meum non iudicare; si alterum audias, difficile iudicium: quantum in me est volo utrumque servare amicum, utrique fidem, constantiam, integritatem: puto referre novum amicum adipisci et veterem retinere; factus amicus do [416]) operam ut permaneam [417]), et si deserere volo non rescindo sed dissuo. Jurisconsultus nihil putat tam certum, quod per infitiationem [418]) non dubium habeat. Profuere haec Eckio amplectendi Christianam theologiam: forte gratia dei aliquando vobis quoque reconciliabitur. Iniuria ex affectu metitur, non voluit publice laedere: iam putat se priorem lacessitum, et magna ingenia magnis quoque vitiis contaminata. Sed tu vale et omnia boni [419]) consule. Nurnbergae 11 Maii 1519.

C. S. d.

Nr. 203. 18. Juli 1519.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 207 (243) a.

Ad Otthonem Beckman licentiatum.

Fidem fraternam. Ne quemquam ex nostris sinerem ad te dulcissimum amicum pervenire absque nostris litteris, ne nihil scriberem, immo ne singulis diebus non scriberem, unum significo, me iussu Spalatini nostri hodiernum diem impendere Pfeffingeri exequiis, quem electores nostri senatusconsulto ad Maximilianum Caesarem faustum, pium, felicem mittendum decrevere, qui Romanas aquilas non Francisco sed Carolo nepoti delatas renunciaret. Unde non dubito exaltasse thronos caelicos congratulatos divo avo consorti. Alioquin quam seditiosa fuisset Germania, quam sanguinolenta omnia, quam Franciscus id fastigii etsi suis humeris longe impar ambierit, aliquid ex oratione ista coniicies quam nostro praeposito non absque nostri recommendatione super cenam praeleges, forsan et Melanchtoni Latinam mittemus. Heus tu quanta vestrum sacerdotem foedastis iniuria, quem vicariatu depulistis in principis Joachimi favorem: cura, honores cum foenore restituantur. Ceterum rex Angliae dono et privilegio quodam coelico quotannis consecrare habet ponduscul um certum argenti [420]) puri, unde annuli parvuli conficiuntur habenturque in pretio. Id genus nuper ad me misit cognatus Tucherus Lazarus ex Antwerpia: nos te uno honoramus

---

[416]) Cod. da. — [417]) Cod. permaneo. — [418]) Cod. infinacionem. — [419]) Cod. bone. — [420]) Cod. argentei.

in nostri memoriam deferendo, si gratus fuerit Melanchtoni alterum dabimus. Vellem ei nota esse plurima de Pirchamero, forsan pressius scriberet laudaretque homo doctissimus: sed plerisque male audit. Hungarios una cura excruciat, quemadmodum Annam reginulam Carolo Maximo uxorem dent, quippe fratri Ferdinando desponsata per verba de praesenti et ipsi Carolo Francisci regis filiola bimula (heu facinus immensum!) pacta sub obligatione quorundam regnorum Siciliae, Castiliae et ediverso. Ita agitur, haec sunt consilia humana in nostram et Austrasiorum perniciem, sed forte deus providebit qui suos non derelinquit. Tu vale. Nostro Diledeno mittimus annulum signatorium. Capio valere omnes nostros, praecipue Martinum et Ambsterfium, cuius opera et Durero et nobis gratissima [421]) utinam ad Christianum commodum et decem praecepta traduceret. Iterum vale, optime frater. Ex aedibus nostris XVIII. Julii 1519.

Nr. 204. 20. Juli 1519.

An Johann Oecolampadius.

Cod. C. fol. 208 (244) a.

Domino Oecolampadio theologo, concionatori Augustano.

Obsequia paratissima. Multo tempore expetivi amicitiam tuam, reverende pater. Nunquam ausus fui ad te perscribere non ignarus tuae praestantiae, authoritatis, litteraturae, conscius meae paupertatis, inopiae: opportune igitur noster Melanchton communis amicus Wittenburgensis iussit tibi epistolam suam reddi, nihil non pollicitus de tua virtute, integritate, humanitate, de qui nunquam dubitavi, nisi quod obstupui. Me tibi offero, qualemcunque inter familiaris locum rogito: si in nullo tibi prodesse possum, utere saltim officio amici in transmittendis litteris Wittenbergam, ubi ex Italia rediens docendo discere potui, ubi amici mihi sunt plerique boni, docti, et inter hos Philippus, qui ad me quottidie epistolas mittunt accipiuntque. Valeat reverentia tua nomine meo, addo etiam Wolffgangi Volprecht, prioris Augustinensis, qui et ipse una mecum tuam egregiam virtutem suspicit, colit, amat, reverenter admiratur. Nurnbergae ex aedibus nostris ad XIII. kalendas Sextilis anno a Christo nato 1519.

C. S. d.

---

[421]) Cod. gratissime.

Nr. 205. 3. Auguſt 1519.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 208 (244) b.

Ad Ottbonem Beckman.

S. Redeuntem morbum tuum ut par est ex animo doleo, et noster Caesar suum morbum insignibus militarium ordinum levare studuit, quae nos tibi mittimus forsan non prorsus futura ingrata. Carolus Barcinone agit: diceres autem Carolinam synodum Maximiliani et principum Germanorum. Carolus mirum in modum [422]) commendatur et sanctus et iustus et maturus. Reditum nondum speramus. Illi congratulatus est Franciscus: parum molitur. Forsan quandoque ad longum ad te scribemus de his. Omnia quiesount: pax nobis in hunc usque diem frustra tentata, Cazimirus omnes conditiones respuit. Amicus noster concionator S. Sebaldi tuam amicitiam expetit, eam sibi stipulatus sum. Habes nostrum Ebnerium amicum totum candidum, integrum, faventissimum: uxor Conrado bene vult, si quid in hunc contuleris beneficii in eam contulisti. Aliquando scribes mittesque Martiniana omnia gratissima, quemadmodum et binas tuas litteras et papae potestatem cum Mosellani oratione gratissimum accepi: [423]) expectamus quottidie id genus cum desiderio. Gregorio Summer deputaveram VII aureos numerandos a Spalatino, qui alteri dedit: si quid credidisti fac restituat, in medio Novembri accipict X aureos; meum aes non te angat, fac modo ut valeas atque etiam ut hic noster redeat onustus Martinianis, impensas mihi adscribes. Dedi ad Martinum et te litteras domini Caroli .... [424]): Jeorgius Aiden dicit Martino Lipsiae redditas; misi etiam redditus regnorum et id genus. Scribo de tua Neuburgia, ut respondeat. Multa apud nos quottidie temere adferuntur: tu non facile fidem adhibeas, nos de singulis certiorem te reddemus. Ex aedibus nostris III. nonas [425]) Sextilis anno 1519. C. S. d.

Nr. 206. 3. Auguſt 1519.

An Peter Burkhard.

Cod. C. fol. 211 (247) a.

Ad doctorem Petrum Purchardum [426]).

S. Tria sunt mihi ad te perscribenda, praestantissime doctor. Primum gratias ago, quod apud me dignatus es divertere, idque

---

[422]) Cod. mirummodum. — [423]) Die beiden Schriften ſind die Resolutio Lutheriana super propositione sua tertia decima de potestate papae und De ratione disputandi, praesertim in re theologica, Petri Mosellani Protegmais oratio. — [424]) Das hier fehlende Wort ſieht wie emctorij aus, imperatoris? — victoris? — [425]) Cod. nonis. — [426]) Ueber ihn vgl. Riederers Beytrag S. 72, wo auch der zweite Punkt unſeres Briefes berührt iſt.

ut posthac facias te oratum velim. Alterum puto te non fugere insimulari te communicasse adversario fundamenta Lutheriana. Ego ex multis argumentis non dubito longissime abesse te ab eo crimine: quia tamen non sufficit innocentem esse, nisi etiam suspicione careas, confido te satis superque purgasse. Tertium commendo tibi aegritudinem mei [427]) amicissimi, ut et antea commendavi: Hypocrate tuo et si quid habes utere in curando meo Otthone, hoc totum in me contulisti. Scio minime futuras litteras meas apud te inanis. Amicos communis Lutherium et Jeronimum nomine meo salutabis, noster praedicator D. Sebaldi Joannes Hubschenawer et cancellaria te quoque salutant. Vale felix. Nurnbergae V. monas [428]) Sextilis anno 1519.

C. Scheurl doctor.

Nr. 207. 3. Auguſt 1519.

An Martin Luther.

Cod. C. fol. 211 (247) b.

Ad doctorem Marthinum Luther.

S. Hoc unum tantum significo r. p. tuae, si quid scribendum aut mittendum ex officina tua habes amicis communibus, tuo posse huic tabellario committere: ut autem scribas ac mittas, te oratum velim, mirumque placeat Erasmus, quod apud Antwerpiam solus ferme prior noster Cristum praedicet. Disrumpar, si quisquam apud nos Cristum praedicat praeter nostrum Wenssceslaum et quosdam eius sequaces. Gaudeo eum aliquantulum abesse: ita enim auditores magis hunc et illos probant. Si apud vos agit [429]), fac redeat onustus Martinianis: nostro quoque vicario ac parenti, ubi occasio dabitur, nos commendabis. Salutat te noster Ebnerius, omnia fausta precatur. Valeat r. p. tua. Datum etc. [430])

Nr. 208. 3. Auguſt 1519.

An Spalatin.

Cod. C. fol. 212 (248) a.

Domino Georgio Spalatino.

S. Steffanus meus (meos [431]) enim iure meo appello omnis tuos ex multo tempore) tui visendi cupidus fuit nec tamen ausus:

---

[427]) Cod. me. — [428]) Vermuthlich ſind hier und in den nächſtfolgenden Briefen die nonae Sextilis wie im Juli gleich dem ſiebenten des Monats genommen. — [429]) Cod. apud nos agis. — [430]) Die Ergänzung des Datums iſt aus dem vorhergehenden Briefe zu entnehmen. — [431]) Cod. meum.

ego autor illi fui certae pecuniolae, omne periculum in me suscepi, quod spero multo plura apud te posse, neque mea me fallit opinio qui meae voluntati defuisti nunquam. Pro Pfeffingero publice hic oratum, ut iussisti, ac etiam sacrificatum; expensi grossi XIII, eos [432]) meo Steffano mihi consignandos restitues. Joannes etiam Upchaw publicas exequias apud Augustinenses illi haberi curavit ex quadam stipulatione, qui prior decederet ei superstes id officii impertiret. A tuo exemplo mutuata publicatio. Vellem ubique mortuum plures habere intercessores. Vale et me utere amico candido, fido, [433]) integro. Praepositus D. Laurencii, Jero. Ebner, Holtschuher te salutant, sed nostro nomine salutabis nostrum Hirsfeldium, Dolzigk, Jeronimum. Vale. Ex aedibus nostris V. nonas [434]) Sextilis anno 1519.

C. S. d.

Nr. 209. 4. Auguſt 1519.

An Winsheim.

Cod. C. fol. 212 (248) b.

Domino Winshemio [435]) theologo, amico suo honorando.

S. Ecolampadius, novus amicus meus, cuius tamen egregiam virtutem longe ante agnovi, suspexi, admiratus sum, pridie misit mihi litteras tuae reverentiae destinandas. Si vis [436]) me internuncio rescribere aut [mittere] etiam, [me] tibi offero dedicoque: non enim possum te non arbitrari bonum virum et qui Christum praedices, quem Oecolampadius et integerrimum et charissimum confratrem inscribit. Ego interea versor in commentariis amicissimi Lutherii propositionis suae XIII. hoc est de papae potestate, quibus fortissimis argumentis adstruit primatum illum pontificium haudquaquam divino iure institutum: pleraque intercesserunt [437]) de Romanorum moribus ne dicam tyrannide, iucunda lectu, digna memoratu. Scripsit praeterea Mosellanus de re disputatoria in theologia et Erasmus ad eum et Martinum epistolas duas [438]) maxime de monachis quibusdam in renascentes litteras conspirantibus. Nescio quid istic de Lutherio sentiatis et vestro [439]) concive nostro Carolostadio, spero tamen omnia

---

[432]) Cod. eas. — [433]) Cod. fide. — [434]) S. Anm. 428. — [435]) Von ſeiner Vaterſtadt ſo genannt, Gelehrter und Humaniſt, Prediger am Collegiatſtift Haug zu Würzburg. Scharold, Dr. M. Luthers Reformation in nächſter Beziehung auf das Bisthum Würzburg. Erſtes Bändchen S. 135. — [436]) Cod. vel. — [437]) Intercesserit. — [438]) Sie erſchienen zugleich mit Moſellan's Rede bei Melchior Lotther in Leipzig im Juli 1519. — [439]) Cod. nostro.

Christianissima. Sed tu vale et veniam da ineptiis nostris. Concanonicum Wolffgangum Nuzel cupio salute impartiri. Datae Nurnbergae ad 4. nonas [440]) Sextilis anno a Christo 1519.

C. Scheurl d.

Nr. 210. 2. März 1520.

An Johann Eck.

Cod. C. fol. 213 (249) a.

Ad doctorem Johannem Ecken.

S. Audis tuum Scheurlium ex Hyspanis [rediisse], gratularis reditum, iubes salute impartiri, ut undequaque sese tua ostentet humanitas: nullum officii genus intermittis [441]), quo fratrem nedum eruditione sed etiam amando superes, fratrem inquam qui in amore vinci dudum turpe iudicavit. Ago et habeo gratias. Jucundum reditum turbant contentiones et iurgia vestra. Dii boni quantis nos traducitis [442]) tragoediis! Ego contra in maledicendo nondum ullam constitui memoriam. Heu [443]) bone deus, quam iniquis avibus volui conciliare vos amicos! at [444]) res longe secus quam putabam accidit. Neuter meam fidem implorare aut quidquam in me desiderare potest, attamen si deo placet . . . . [445]). Ego quoque ac si in tua verba iurassem iu nescio quo dialogo fabula fio: forsan ad longum intelliges ex nostro Jo. Hubschenauer. Is se per omnia gerit fratrem, amicum, virum bonum. Si gratum fuerit, scribam aliquando de peregrinatione nostra Hispanica. Interea nos ama, id quod non frustra sed mutuo facies, et vale cum omnibus nostris. Nurnbergae ad VI. nonas Marcias anno 1520.

Frater tuus C. Scheurl doctor.

Nr. 211. 2. März 1520.

An Johann Oecolampadius.

Cod. C. fol. 213 (249) b.

Domino Johanni Oecolampadio, concionatori Augustano, amico honorando etc.

S. Ego vel ob eam potissimum causam lubens peregrinor, quod hinc inde praestantes viros convictu, alloquiis, conversatione amicos mihi concilio, quorum consuetudo me delectat et recreat. Tantum abest, praestantissime vir, quod constitutam [446]) nostram

---

[440]) S. Anm. 428. — [441]) Cod. intermittes. — [442]) Cod. traductis. — [443]) Cod. Heus. — [444]) Cod. vt. — [445]) Hier fehlt offenbar ein Wort im Cod. — [446]) Cod. constituam.

necessitudinem diuturna mea Hispanica absentia dissolvi velim. Scio illud Alphii feneratoris apud Columellam haudquaquam [447]) tuae humanitati convenire, bona nomina aliquando mala fieri, si nunquam interpelles; magis me movet, quod multas amicitias silentium consuevit dirimere. Gratum mihi feceris, si doctos vestros indoctos canonicos, modum inquirendi haereticos [448]) cum quibusdam dialogis et si quae huius farinae huc putes non venisse mihi communicaveris. Dominum Peutingerum cupio salute impartiri et pranstantiam tuam valere plurimum, quam forsan olim dabitur vel Augustae vel Herbipoli ad faciem cognoscere. Iterum vale et me utere ut amico pristino, fideli, constanti, sincero. Nurnbergae ad VI. nonas Marcias anno 1520.

C. S. doctor.

Nr. 212. 7. März 1520.

An Johann Bartholomäus Gattinara.

Cod. C. fol. 214 (250) a.

Domino Johanni Bartholomaeo de Gattinariis, iureconsulto et Caesareae et catholicae maiestatis consiliario, amico et fratri etc.

S. et obsequia parata. Quod excellentia vestra, egregie et praestantissime vir, pro sua humanitate dignata est mecum constituere amicitiam et ubique se in me etsi inmeritum gerere officiosum, ago gratias maximas. Si praestantia vestra aliquando diverterit ad nos, nedum haec resp. sed et nos privati cives eos nos in familiam patroni nostri domini magni cancellarii praestabimus, qui cupiant vobis omnibus esse gratissimi. Certo igitur et tuto commigrabit humanitas vestra ad patriam, ad amicos et ad fratres suos: quantum ad me attinet, nihil intermittam quod ad honorem et commodum vestrum pertinere putavero. Interea curetis rogo et senatus et meas litteras optimo Caesari nostro et huius reipub. peculiari patrono domino magno cancellario reddi diligenter, diligentius recitari et diligentissime nobis significari [449]), numquid et quo successu redditae sint et inprimis quando venturus sit noster imperator, a cuius adventu ita dependemus, ut omnis mora gravis nobis videatur et dies annus integer. Comiti de Clevis aut Chiavenna, magistro Johanni Alamano et toti familiae domini cancellarii cupio reddi commendatus, omnes cupio

---

[447]) Cod. haud quemquam. — [448]) Verfaſſer der Canonici indocti Lutherani iſt Oecolampad ſelbſt; die andere Schrift Ars et modus inquirendi et damnandi quoscumque haereticos secundum consuetudinem Romanae curiae wird Spalatin zugeſchrieben. — [449]) Cod. significare.

bene valere et felicissime navigare. Datae Nornbergae nonis Marciis anno virginei partus 1520.

C. Scheurll i. u. doctor,
patriae advocatus.

Nr. 213. 27. März 1520.

An Otto Beckmann.

Cod. I. fol. 39 (227) a.

Ad Otthonem Beckman licentiatum.

Salutem. Ego quoque, Ottho frater, non eram ignarus, te nedum epistolam a nobis expectare sed et pro iure tuo iustum volumen expetere functae nostrae legationis: hinc serius ad te scribo contentus nunciasse salvum redisse. Interea ad patres singula ordine referenda, potissimum quae non ita tuto litteris fidebantur: rursus et pro senatu et privato nomine divo Carolo et proceribus scribendum, gratiae agendae, convivandum cognatis, affinibus, amicis, quos ex omnibus civitatis ordinibus non paucos habeo, imo ferme optimum [450]) quemque, qui et redeuntem et novum patrem familias et reduxerant et muneribus exceperant, confirmandae amicitiae quas aliquando tum silentium tum diuturna absentia dissolvere consuevit, intermissi [451]) quottidiani labores continuandi praeter id quod nuper traducta vel potius vidua forsan aliquid sibi vendicabat, saltim familiaria colloquia; nam defatigationem aut virium [452]) imbecillitatem nihil excuso. Eum Hispania reddidit uxori qualem anno abhinc decimo Wittenbergae Italia hoc est nonnihil venustiorem ac magis corpulentum, equitavimus tamen redeuntes dies xxxx et praeterea vi equorum causa quievimus. Sed adde scripturienti nonnihil molestiae allatum, quod audio in Eckio dedolato [453]) (eo nempe nomine nescio quem dialogum circummiserunt) me quoque exsibilari et miris tragoediis traduci et describi. Id ego indignus fero, quod de neutro me scio male meritum, utrique semper paratus morem gerere. Dissensiones, iniuriae, maledicta quid ad me? Ipsi viderint, quales se populo exponant. Amicitiae iura iam multo antea constituta fideliter tuebimur. Sed ne longior sit prologus quam fabula, tu tarditatem excusabis: ego illam quando ita iubes integro volumine compensabo. Ut dei benignitate ad XV. kalendas Novembres Barchinon, tum Cathaloniae caput tum omnium Hispaniarum praestantissimam civitatem, ventum est, unde Caesar

[450]) Cod. optime. — [451]) Cod. Intormisi. — [452]) Cod. iurium. — [453]) Cod. dolato

postam [454]) declinaverat ad vicum Molendinum Regium, ad tertium scil. lapidem, is audiens, applicuisse Nurmbergenses legatos, celerius quam asparagi coquantur, duos aulicos a consiliis mittit, Georgium de Linseck, praepositum Casseletensem, nominatum episcopum Aversanum, et Johannem de Mettena, qui suo nomine salvos advenisse gratulentur, *) salutent, hospitium ad Maturellum, quo et pontificis et regum quoque legati diverterant, commutent, quando optimum principem nostra valetudo tenebat anxium, et imprimis offerant sequenti die auditurum nos Caesarem cominus, ipsi nos deducerent singula provisuri. Inde ad dictum diem sumus reverenter deducti ad imperatorem. Sedebat is in suggesto in magna procerum corona, quippe varias nationes ingens tenebat desiderium novi spectaculi, quando pro delato nuper imperio Romano nemo adhuc missus erat. Porrigitur dextra, sed absque osculo, quamquam [455]) nuda, quod apud Hispanos magnus ducitur honor: nam ut postea audies ut facile maximus, ita humanissimus principum omnium est Carolus. Fit silentium, iubeor dicere. Coepi certe, non eo infitias, coepi tremula voce dicere: mox ut animadverti divinos radios, Augusti oculos, ita benigne in me defixos, ita diligenter omnium aures arrectas, confirmavi me ipsum et peroravi constantissime. Summa orationis fuit: Imprimis deo gratiae actae eum nobis unanimis electorum votis contigisse principem, quo nec meliorem nec iustiorem optare poteramus; deinde congratulatus sum Romanas aquilas; tertio recognovi et salutavi carolum meae reipub. unicum, verum, naturalem et legitimum principem praestitique fidelem obedientiam, atque illam suo terreno deo unice commendavi, haud cunctanter fassus ab illo post deum immortalem pendere omnes nostras fortunas, vitam, salutem, commoda; postremo rogavi, ubi commodum fuerit privata quoque audirier. His in hunc modum peroratis [456]) interlocutus est Caesar cum proceribus deditque respondendi provinciam Petro episcopo Pacensi [457]). Is pro sua humanitate non dubitavit praefari visam orationem nostram ornatissimam elegantissimamque, mox exposuit Caesaris voluptatem quam ex Norimbergensium legatione conceperat, mox illorum rempublicam, optima instituta, professionem, fidem, probitatem, prudentiam, alacrem voluntatem neque segniter neque vulgariter dilaudavit, post multa auditis quam primum privatis quoque

[454]) Cod. pestem. — *) Cod. gratilenter. — [455]) Cod. quamque. — [456]) Cod. peroratus. — [457]) Von Soden in seinen Beiträgen S. 96 ff. hat einen Bischof von Parentium aus ihm gemacht; es ist aber Badajoz in Spanien (Colonia Pacensis) gemeint.

affirmans talem futurum orbis principem qualem maxime et peteremus et optimum Augustum addeceret, in qui nihil quispiam facile esset desideraturus. De qua re egimus gratias. Mox oritur fama tantopere placuisse Caesari suorum Norinbergensium devotionem, quod nisi sint non tam verbo quam sincero mentis affectu unicum et naturalem suum principem tam ingenue profiteri, id quod universae aulae, omnibus ferme legationibus non parum quoque probabatur, et mehercule, quod ego vehementer sum admiratus, sermonem ferme extemporalem [458]), nudum, incultum et prorsus nullius leporis (quis enim tam festivam audientiam credidisset?) Adolphus dux Clevensis, aliquot [459]) aulici et alii etiam Hispani nedum laudare, sed etiam indeficienter sibi communicari efflagitarunt. Nisi forsan aliquid gratiae dederit, quod ego unus prae omnibus oratoribus (ita enim constans omnium fama fuit) principem terrarum excellentius titulaveram compellando illum, ut par est, sacrosanctum imperatorem, Caesarem, Augustum, regem catholicum, principum principem, omnium maximum, dominum dominantium. Interiecto biduo deliguntur Germanici, Hispanici, Italici, Siculi et ut brevibus dicam omnium a consiliis facile principes et praestantissimi, hoc est omne robur senatus, quippe inter hos (nam Tertosensis longius aberat) praefectus [460]) praetorio, magnus cancellarius, archiepiscopi, episcopi, quibus provincia datur audiendi privata quoque sed privatim et in conclavi et audita ad Caesarem referendi. His iussi assidere diximus duas horas continuas. Optime deus, quanta attentione, quanta gravitate nos audiere, ut vultus mutabant ad orationem, ut se praestabant quibus terrarum orbis credita erant gubernacula benevolos, impigros, patientes! dixisses concilium aliquod divorum. Praecipua deinde cura fuit aulicorum nullum in nobis [461]) honorandis intermittere officii genus. Visi sunt inter se certare optimates, perinde ac si acceptior futurus esset principi qui magnificentius nos excepisset: quin dux Albae, item praefectus [462]) militiae Castellanae (ipsi magnum conestabulum appellant) ceterique potissimum Hispani generis et qui gaudent propediem in Germaniam navigare ingenue fassi sunt vasallorum esse officium gratos suo principi pro virili honorare. Numerasses interdum unius cenae circiter octoginta missus, ego multorum spectator, quorundam gustator: tantum supellex argentea, nisi quod ex puro auro quandoque potabamus. Altera nobis

---

[458]) Cod. extemporale. — [459]) Cod. aliquod. — [460]) Cod. profectus. — [461]) Cod. nos. — [462]) Cod. profectus.

cura fuit, ne ignavis viderentur collata beneficia, ne Hispanis cederent Germani urbanitate polliciti non ad exteros sed ad proprios penates, ad concives Norinbergenses, ad patriam venturis, omnia nos pro fide et devotione nostra in nostrum Caesarem liberaliter communicaturos. Hinc quoque pontificis, Anglorum et Lusitanorum legati coacti officiose nos visitarunt. Aderant praeterea uno ferme tempore Francorum, Danorum, Polonorum, Venetorum, Sabaudiensium, d. Margarethae, Bavarorum, Ferrariens., Mantuani, Uraniae, electorum imperii Austrasiorumque oratores, quibus haudquaquam [463]) fuimus despectiores. Cum plerisque constituta necessitudo. Pontificius archiepiscopus Cusentinus, ut est venerandus senex et canus, cum abeuntes dimitteret omnia fausta precatus, optabat nos diutius manere, quod, ut suis verbis utar, ornamento essemus Caesareae [464]) aulae: nam et praevolante et vulgato nuncio adventus Nurnbergensium simul publica coorta dicitur laetitia, neminique dubium fuit facile impetraturos quaecunque petituri venissent. Etiam res [465]) mox id postea comprobavit, quod plerisque persuasum scio plura et magis egregia nos patribus retulisse quam ipsi aut mandaverant aut etiam speraverant. Certe bono principi una cura fuit, ut Nurnbergensium legationem omnium gratissime audivit ita illi pro virili per omnia maxime gratificari, ut ita devotos sibi redderet devotissimos. Rursus quantum video a reditu nostro frequens patrum consultatio, hoc unum studium de die in diem magis ac magis pium principem suum demerendi. Nuper factum senatus consultum restaurandae arcis quae civitati imminet, peculiaris imperatoris sedis, aedificandi et pingendi etiam in Caroli honorem praetorii, ut singulis dominicis concionatores felicem illi precentur navigationem. Mox deo publicae processiones decernendae et lustranda universa civitas, ut ita commodissime recipere possit suum principem. Una haec optimatum, una haec infimatum sententia nihil officii intermittere, quo speremus domino nostro plurimum placere, forsan certare etiam cum finitimis fide, devotione, obedientia, promptitudine, occursu, deductu. Tandem ut cum magna dignitate versati sumus in sacratissima aula supra sexaginta dies et iam vellet clementissimus princeps nos dimittere, minime dedignatus est pati suae maiestati meam rempub. iterum cominus commendari, haberi gratias quod [466]) et illam in clientelam recepisset et nos libe-

---

[463]) Cod. haud quamque. — [464]) Cod. Caesare. — [465]) Cod. queuis. — [466]) Cod. Et.

ralissime exaudisset, precari etiam sibi omnia fausta, ut videret filios filiorum et pacem super Israhel, cumque ingenue perorassem, Nurnbergenses ab antiquo solitos unum deum adorare in caelis et unum imperatorem in terris, iussus est summus cancellarius pro Caesare respondere. Ut is quoque dicendi finem fecit non vulgariter dilaudata patrum devotione et bene instituta republica, ut [467]) in maiorum [468]) fide permanerent, in nihil minus diffiderent quam sui Caesaris clementiam, patrocinium, institiam [469]), mox eum cominus recte curaturum singula, monuit ipsum Caesar audientibus Federico Palatino, Johanne Brandenburgensi et tota ferme aula, ut se nobis quoque promitteret. Unde cancellarius liberalissime edixit, Caesarem nobis etiam suo tempore facturum bene et clementer gratificaturum: quippe iam decretum erat praeter veluteas togas militia nos cingere et Divi Jacobi societate donare, cum collega causatus est senatori lege interdictum [470]) equestrem [471]) ordinem, unde litteris quoque iam conscriptis quibus in Caesareum et catholicum senatum referebar in tempus magis opportunum abstinere sum ratus. In hunc modum iterum iuncta Caesaris dextera cum ingenti illius favore dimissa Cathalonia. Imbres illic rari mediocresque, venti autem plurimum suaves ac roriferi, solum vero pingue nec arari modo plantarive facile sed etiam ex se absque ullo humano studio fructum producit, qui otiosam gentem nutrire sufficiat. Quandoque integro triduo equitavimus in rosmarino: pascua ferme nulla sunt, stramen equi pabulantur, fructuum omne genus et perdicum rubeis pedibus ingens copia Vinum dulcissimum optimumque, exsiccatae uvae cubebos reddunt: vidisses botros trilibres, vites ante natalem Christianum putantur. Nullae nobis superatis Pirenaeis montibus conspectae nives, camini rari absque fenestris et foco. In media hieme plerumque scripsi: tam nulla pluma, tam rigidus lectus, ut plerumque pulvinari pro pulpito ad scribendum uterer. Castellani potissimum universam supellectilem mulis secum ferunt: hospiti permittitur nuda domus, victum emas et coquas necesse esset. Victus gentis tenuis, caro denariatim emitur sicut Florentinis unciatim, denariis ferme XX. Omnia supra modum cara. Ut Barchinonicam taceam, in vico Maturello singulis diebus hospitium conduxeramus singulis ducatis praeter alimenta et hospiti et toti familiae praestita: nam cocum Hispanicum ex Parpignano duxeramus. Non displicuit Caesari

---

[467]) Cod. et. — [468]) Cod. maiorem. — [469]) Cod. iusticia. — [470]) Cod. interdicta. — [471]) Cod. equestrum.

praescriptus et moderatus quidem vestitus, qui adoratum veneramus subiecti et obedientes, non inflati, non tumentes. Rursus mensa lauta, quandoque etiam dubia, quae pro dignitate recipere iam assueverat modo hunc modo illum aulicum vel ultro oblatum. Jn summa aer illic magna anni parte sincerus et temperatus, provincia plana, amoena, iucunda, ut diceres Elysiorum esse campos et beatorum domicilia ab Homero decantata, et vere praeter sacerdotes et monachos indoctos utpote qui Latine prorsus nesciant terreno deo Carolo magno dignissimum domicilium. Est autem Carolus ipse felicissime natus die intercalari mense Februario anno iubileo sc. M. D. Os admodum apertum quo patrem refert, mentum plus iusto porrectum, inferiores dentes superioribus non prorsus respondent, lingua paulo difficilior et tardior, statura procera non minor Ottonica, membra robusta. Corpus exercet equitando, venando et subinde pilae iactu, qua vidimus quandoque cum proceribus nedum coaetaneis sed et provectis ludere non tunicatum — pulcrum mehercle spectaculum! Quam desideranter ego meum Otthonem optabam vel unam horulam [472]) ut currit, recurrit, glaudet, sic recte aut tangit aut excipit, mox invitat. Hi ubique mores qui et adulescentem et regem decent: verum nulla re publica modice [473]) delectatur, omnium maxima voluptas in Romanis aquilis constituta (non dico adulanter) et deo et reipublicae totum se permittit ac dedit. Hoc unum votum, imperii reliquiolas si quae modo sunt pristinae restituere authoritati [474]) et Cristo nostro orbem propagare. Hisce oculis quippe ad unum aut alterum passum vidi quottidie prostratum in terram missarum divina audientem. Bone Jhesu, quanto mentis affectu orat! Frequentissime dei et Sanctorum imagines et ori admovet et Hispanorum ritu utrumque oculum delinit. Angelum dei vel saltim religiosissimum privatum quempiam crederes, non regem regum: nisi avo pontifices Catholici nomen indidissent, profecto [475]) hic statim meriturus erat. Dein magnam diei partem signandis litteris impertit, quascunque epistolas ne dicam reliqua monumenta gravioris negotii subscribit. Vidimus quandoque in publico signantem, ut celeriter scribit per Carolum, ut inter signandum aliud agit vel caelum respicit [476]). Oportet tamen quaecunque roboranda prius in magni et vice-cancellarii, item etiam deputati alicuius secretarii officina esse subscripta, ut ita nihil temere aut subreptive pro-

[472]) Cod. horidam. — [473]) Cod. modū. — [474]) Cod. authoritate. — [475]) Cod. praefecto. — [476]) Cod. respuit.

deat tantave indignum maiestate. Quaecunque a consiliis placita ad hunc referuntur examinanda. Ubi opus est, ipse senatum cogit, sententias rogat, ea sapientia disserit, ut universum senatum in admirationem trahat, ut facile aetatem [477]) virtute superet. Pacis studiosissimo tanta imperia avis quidem multorum strage parta ultro obvenere, hucusque ne tantillum sanguinis fusum, cum nullius iniuria omnia sua sponte delata: ut temere nullum bellum suscipiet, ita susceptum fortiter (crede mihi) geret. Pontificem ad Gallos deficientem et tam per Anthonium Buccium Sanctorum quatuor coronatorum, nepotem Florentinum, Helveciorum auxilia providentem nihil intermisit, nullas nec iniquas [478]) quidem conditiones respuit, donec in suas parteis traheret, quippe pro Neapolitano feudo illi obstrictus ne dicam iuratus erat caesareatu abstinere. Ita temporis habet rationem sapientissimus princeps. Acquisita Insubria reliqua ultro se dedet Jtalia. In hunc modum omnia cum ingenti tranquillitate et ex sententia hucusque gesta. Attamen aerarium exhaustum: supra duodecies centena milia aureum nummum Franckfordium nuper transmissa, insuper constitutae annuae pensiones quibusdam Germanis milia centena. Viros integros observat et amat, ante omnes clarissimus princeps Federicus Saxo optime audit: ingens illius virtutis in tota aula imo potius omni Hispania admiratio, maior in hunc posita fiducia, sed et authoritas apud Caesarem longe maxima, et qui facile socius futurus sit administrandi imperii, cuius gravissimo consilio et ductu ardua gerentur. Quidam interea dissimulandi, donec constituatur ex viris dignis Germanicus senatus, quod Galli perlamentum dicunt. Tametsi autem principum facta nulla conditione diu latere possint, attamen in tanto imperatore, in tanto rerum fluxu, in tam idonea aetate [479]) nihil prorsus quod vitio dare, parum quod desiderare possis: nullum adulterium, nullum stuprum, nulla ambitio, ne tantillum superbiae aut fastus, paucissimae ceremoniae, nihil sibi arrogat praeter laborem et vigilias. Severus est, attamen facilis aditu, pius, clemens, benignus est, religiosus est, liberalissimus est, ferme immensa dat, sed Burgundionibus tantum. Ut in plerisque avum paternum et referat et superet, legationes ipse audit, comiter excipit. Unum pollicetur ministraturum se cuicunque ordini iustitiam, purgaturum insuper provinciam a latronibus (hui quam indigne fert nostrorum latrocinia): quae duo si praestiterit, adorabitur a civitatibus non contemnenda imperii parte,

[477]) Cod. etate. — [478]) Cod. iniques. — [479]) Cod. etatē.

facile reliqui in ordinem cogentur. Sermo principis et totius aulae est Gallicus, ipsi Balonicum appellant: intelligit praeterea Latinum, Germanicum, Italicum, Hispanicum. Quid vis? Per omnia se praestat nedum qualem tu forte expectas aut dignum hisce tantum [480]) imperiis, sed et terrarum orbis dominatu. Omnino mihi persuasi et nisi mea me fallat opinio moliturum deum aliquid multis seculis memorandum per Carolum nostrum, directurum omnia sua consilia ad laudem suam et Cristianorum augmentum. Hodierna consilia ferme ita se habent. In praesenti ordinantur res Hispanicae et his creduntur, quorum fides plurimum probata est. Princeps ipse recta contendit ad Joannam matrem (ea cum filia Katherina posthuma, quae ad festum Martini Johanni Federico Saxoni Franckfordiam traduci debet, a la Tordesillas [481]) non longe a Castellae regia Validolit ferme in confinibus Galliciae moratur), deinde ad Divum Jacobum Hispanorum tutelarem deum, ibi in proximo portu expectaturus ut primum licuerit in Selandiam traiecturus, quod futurum non dubito circa kalendas Junias vel ad maximum Quintiles. Eius rei gratia nedum Hispaniorum classes instructae sunt, sed et Selandicorum iam dudum obviam missae: item terra marique praemissa sunt regia supellex, pecunia equitum, nam procerum uxores ipsi obvias habuimus. Ut dei benignitate ventum fuerit in Germaniam, accessu paucorum mensium accepto ad Aquisgranum Romano diademate dispositisque avitis provinciis curia Norinbergo indicetur: ita enim constituit Carolus IIII. in bulla aurea et Carolus V. electoribus stipulatus et nobis quoque privatim pollicitus est. Tantum ergo videbis annuente deo intra X. menses Christianorum apud nos, modo a peste vacui simus, sicut hucusque fuimus, conventum qualem memoria hominum non audivit. Praeter omnes ordines expectamus cardinales Germanicos sex, Moguntinum, Salisburgensem, Sedonensem, Tertosensem, Tolosanum, Leodiensem, et si res ex sententia successerint, suo tempore Treverensem et Spirensem [482]), tractabuntur forsan conditiones electo appositae, molietur restauratio imperii, cogitabitur Italia, indicetur bellum rebellibus, quatinus quam primum Romae quoque Carolus coronari et sedere et inde crucis hostibus bellum movere possit, ut tandem clauso Jano [483]) consalutetur orbis dominus Augustus magnus immo maximus, ad quod olim allusit abavus Foedericus peculiari adagio quinque

---

[480]) Cod. tui, wahrſcheinlich ſtand im Orig. tm. — [481]) Cod. torte de filia. — [482]) Cod. Spironse. — [483]) Cod. clausolano.

vocalium: all erdtrich iſt oſterreich Vndterworffen, vel si ita mavis: Aquila electa iuste omnia vincit [484]). Adfinitatem sollicitant et sperant Francorum, Portugaliae, Angliae et Hungariae reges. Gallorum filia trimula est: nam primogenita antea desponsata excessit. Haec dotis nomine Cristianis pacem adferret, modo fidendum esset. Lusitaniae consobrina est: nam Lusitanus duas Caroli materteras et nuper Leonoram, sororem maximam natu et ipsam uterum iam VIII. mense ferentem, duxit uxores. Affert II dena centena milia ducatorum in dotem Anna Ungarorum, quae vulgo imperatrix cognominatur, coactanea, formosissima et omnibus ferme numeris Carolo non indigna: fratrem Ferdinandum sponsum alacriter repudiaret. Britannica Francisco secundo Galliarum delphino pacta etiam consobrina est; nam mater, Caroli matris soror, defuncto Heduardo octavo Henrico duodecimo [485]), Anglorum regi, [486]) nupsit: sed sexennis est, unica heres est universae Angliae. Adde et Augusta ius praetendit nedum ad Normandiam, sed et universum Francorum regnum [487]), si forsan ita deo placitum esset constituere orbis monarchiam: unde vel mari vel Aquisgrano Carolo congredietur quorundam opinione Angliae, Daciae aut Ungariae rex. Inter aulicos Caesareos primum locum obtinet Adrianus, Sanctorum Johannis et Pauli presbyter cardinalis Tertosensis, non haereticae pravitatis pravissimae sed eorum qui Cristianorum ritibus imbuti nomine tenus [488]) Cristiani, vulgo Marani dicuntur supremus inquisitor, regius praeceptor, vir plane sanctus, integer, humanus, tantum Cristo et pauperibus advocat, res maiusculas imprimis pontificias consultat, reliquum vitae deo et sacris litteris impertit, quas more antiquorum perspicaciter callet: de sinceriori theologia non habeo certum. Certe me nedum audivit benignus, sed et venientem obvius excepit et abeuntem deduxit. Ceterum omnia potest et alter rex est Gulielmus de Croy, baro de Schiveris, dux Sorensis, cuius meminit Livius etc.: apud hunc solum rerum summa. Non desunt qui hominem calumniantur Gallicum, forsan propter contiguam patriam Hennigaw, sed fructus arborem ostendunt. Hucusque ex sententia omnia prospere cessere. Prudentissimus est, muneribus prorsus abstinet, quando princeps nihil sibi negat; quottidie dat, magna dat: nuper nepoti (nam ipse heredibus caret) episcopatum Toletanum sexaginta milium aureorum commisit. Hoc clavum [489]) tenente nulla procella

[484]) Cod. viuit — [485]) So Cod. — [486]) Cod. rei. — [487]) Cod. regiam. — [488]) Cod. nōminetus. — [489]) Cod. caluum.

timenda. Huic succedit meus Mercurinus de Gattinariis, eques et magnus cancellarius, natione Italus, patria Pedemontanus. Meum appello, qui in senatus honorem me tractavit ferme ut fratrem quoties vidit, iussit secum discumbere, immo potestatem fecit non vocatum pro arbitrio comprandere quottidie, discrtus orator, eruditus iureconsultus, fidus consiliarius, laboris patiens, fecundus, lenis, lepidus, hilaris, humanus, rerum humanarum expertus. Nunquam solus prandet, iucundis coepulonibus recreatur, gaudet, arridet, fabulatur, inter prandendum seria iocis miscet, moderatus, suavissimi mores, aditu facillimus, benignus, comis, ad se venientes honorat, clemens audit. Ab hoc ego totus pendeo: hunc quotiens cogito, simul memoria subit praeceptoris mei reverendi patris nostri praepositi Wittenburgensis domini Henningi Gode nunquam a me sine honoris praefatione nominandi. Magna utriusque et simillima comparatio: supra haec eadem quoque corporis statura, proceritas, habitus. Ferme non minori laude censendus mihi est Petrus, Pacensium quos Paulus iurisconsultus titulo de censibus [490]) asserit in Lusitania Italici esse iuris episcopus: is pro Fordinando rege iuxta animum secutus est Maximiliancam aulam cognominatus doctor Motta, omnium Hispanorum felicissimus, quippe ferme solus inter concives egregia praestat authoritate, mihi quoque amicissimus. Hi tres praecipui sunt: taceo Ludovicum de Marliano, Mediolanensem exulem, episcopum Tunensem et ipsum Latinissimum, qui res Italicas curat; singulis enim singula regna distributa sunt. Nuper pro Caesare Helveciis rescripsit, plura posse de hoc sibi polliceri quam de aliis sperare. Practereo Johannem Carundolet Panormitanum et id genus Nestoras: magis forsan tibi esset molestum quam mihi incognitum enumerare et describere totam ferme aulam; istud sat esto, ne bonitate tua abutar. Aulici plerumque omnes Burgundiones [491]) sunt, multi Guliermo praefecto praetorio aliqua necessitudine devincti, Germani superi aut paucissimi sunt aut nihil possunt. Medici, quorum officium est quottidie urinam regiam observare, mensae adstare, monere non edenda, quatuor sunt, omnes Italici sed probatae fidei et eruditionis: inter hos Tunensis et meus Babtista Balduinus, praepositus Tridentinus. Ferdinandi fratris rara memoria, nihil penitus suis auspiciis administratur, apud Burgundiones moderatissime educatur, adulescens ingeniosissimus gnavissimusque qui facile suopte [492]) evasurus erat in maximum principem. In

[490]) Cod. sensibus. — [491]) Cod. Burgundionas. — [492]) Cod. suapte.

hunc modum opinor tuo desiderio factum satis, sed certe maiori fide quam Philippico ornatu, quem in nobis minime expostulas: ego enim et praesens et absens nedum civiles leges doleo sed et ab amoenioribus studiis longe absum, scio tamen, si forsan haec in ipsius amicissimi nostri Melanchtonis manus pervenerint, benigne eum emendaturum. Interea res nostras absolvam sed paucis, quum omnia a Caesaris adventu haereant. Jisdem studiis duo potentissimi reges Helvecios sollicitant quibus nuper electores, non secus ac ab his omnis Francorum salus dependeat: unde maxima vis auri offertur annuo viritim distribuenda, non ut Helvecii societatem ineant cum rege aut auxiliares copias promittant (id nempe desperatum est), sed tantum sinant suos, si qui velint Gallica stipendia mereri, neque item iuvent iam possessa turbari. Maior pars declinant pro tam grandi pecunia in tam leviusculas conditiones. Rursus Suiceri, Zurchzenses, Schaffhusii et Basilienses promisere ante Johannis natale cum Gallo nihil pacisci. Ita Helveciis in hunc diem parum convenit, nisi quod subinde ac continuo conveniunt de rerum summa consultaturi: nam opus habent, nemo proposito moveri vult. Gallici pensionarii, quorum maxime res agitur, nihil intermittunt quo sociorum animos a Caesare abalienent. Nostri circumferunt orationem, qua oratores sui regis fortitudinem et clementiam a prostratis et devictis Helveciis electoribus commendant, ut ita genti invidiam moveant. Sedonensis, ut suorum ingenia optime novit et pro meritis egregia authoritate pollet, ita constanter in fide perseverat neque ullis pollicitis ad Francos allici potest. Pecunia opus habent, sed magna utrinque discrimina: Caesar pacem offert, attamen vel amici potentia formidabilis. Si Gallum sequentur, durum contra stimulum calcitrare, iacta est alea. Imprimis prospiciendum, ne discedatur, ne confoederatio solvatur. Quanta putas perculsos [493]) formidine facta occasione ducatus Wirtenhurgensis [494]), quod Helveticum horreum dicitur, unde annona invehi consuevit: taceo militum strenuitatem. Emptus autem principatus Carolo ducentis et decem milibus aureorum: praeterea decem milia, quae confoederatus in usus bellicos mutuaverat [495]), remittuntur; insuper de ea pecunia comitatus Tirolensis nihil sibi partitur. Venditores [496]) cavent de emtione [497]) recepto ducatu in confoederationem, quemadmodum et nuper Hassia recepta. Provinciae redditus aestimantur centum milium

---

[493]) Cod. perculsas. — [494]) Cod. Wittenburgensis. — [495]) Cod. mutauerat. — [496]) Cod. Venditos. — [497]) Cod. eniccione.

aureorum, de his octoginta pignorata, filiolo Christophoro pro alimentis et quod sibi Tubingenses se dederant constituta annua quinque milia, sorori viginti ubi nupserit, uterque ad omnipotentem commigrare iussus et ni fallor mater Sibilla acceptis dotis fructibus. Pater hucusque ab Helveciis concivibus frustra auxilia imploravit, venit tamen Schaffhusae cum Maximiliano Sibenbergio in colloquium, forsan desperatis rebus pensionem aliquam petiturus. In hunc modum, de quo Ulmae ad te perscripsi [498]) excidere pulcherrimo principatu Wirtenburgenses [499]). Superest, ne ad internicionem deleantur: nam provinciales omnes magno assensu utpote excussa [500]) tyrannide in Caroli verba iurare procurante Sibenbergio, quod illius authoritatem prae se fert et unus omnia potest. Postremo non ignoras, Otto, fuisse tempus, quo ad te scripsissem, quanto senatus applausu, quanta populi gratulatione redierimus: nunc vero magis animum movet, Romanos quosdam Puteolis lavantes Ciceronem a Sicula quaestura redeuntem sed sua spe longe frustratum rogasse, qua die Roma exisset, numquid ibi esset novi? rursus indignanti responsum, Aphricanum quaestorem fuisse, non quod in beneficiis vulgo collatis prorsus nullam spem ponam, sed quod me ipsum exinanire et depositis navitatibus quae invidiam et tantas tragoedias movent totum deo permittere vellem. Quare redeo, unde digressus sum, ad dialogum scilicet nescio ubi confictum evulgandumve [501]), solatur autem me conscientia recte factorum. Commoda vestra pro virili promovi, vestratium laudum praeco fui et buccinator, nihil unquam [502]) temere commisi in aliquem Wittenburgensem: si peccavi, vel in hoc peccavi quod in Hispaniam missus, unde forsan aliquorum invidia exacerbata, vel quod ab Eckiana amicitia multo antea familiariter inita absque causa immo contra ius humanum non discessi, nullum secretum prodidi unquam [503]) quippe nullius conscius, nulla convicia transmisi, nihil hortatus sum praeter sinceram amicitiam, altercationes odi, convicia sum detestatus, reliquum de Wittenburgensibus nihil demerui nisi quod plus nimio amavi. Merentur tamen, scio, mea peccata longe graviora: attamen magnanimi, id genus iniurias quae suo authori magis nocent magnanimiter contemnere, de quibus aliquando plura. Interea tu vale feliciter. Salutat te uxor, in cuius officina acuaria ista scripsimus horis succisivis, nimirum si multa

---

[498]) Cod. praescripsi. — [499]) Cod. Wittenburgen. mit dem Abkürzungsſtrich. — [500]) Cod. excusa. — [501]) Es iſt von dem Eccius dedolatus die Rede. — [502]) Cod. nūqz. — [503]) Cod. nunquam.

incongrua tua tamen benevolentia sarcienda atque boni consulenda. Communibus amicis me commenda, imprimis dominis praeposito, decano, patri Martino, doctoribus Carolostadio, Wolffgango, Jeronimo, Cristanno, Ambstorffio, Feltkirchio, Melanchtoni. Iterum vale et deum pro me ora. Nurnbergae ex aedibus nostris ad VI. kalendas Aprilis anno 1520.

Christofforus Scheurlius doctor.

Nr. 214. 1. April 1520.

An Philipp Melanchthon.

Cod J. fol. 47 (235) b. Die Aufschrift des Briefes ist von Scheurl's eigner Hand.

Ad. Phil. Melancht.

S. Adeon' fecunda fuit Maurica epistola, [504]) ut apud te sibi unica senas pepererit litteras? Alios ad scribendum provocas, disputationis rationem reddis, taciturnitatem accusas. Ego in te officiose amando neque Mauro neque Hesso concivi secundum me arbitror, attamen iam amplius VI. menses nihil a te accipio litterarum, non quod eam desiderem fecunditatem qui longe gravioribus distineris, sed quod nollem nostram amicitiam tam diuturno silentio interrumpi, et interdum bona nomina, si nunquam interpelles, mala fiunt. Tu in officina litteraria quottidianus es, sine intermissione scribis, legis, doces, disputas, abusus scholarum explodis, recta studia postliminio reducis, aetatem nostram rhetorice, Latine, Graece, sincere instituis: mea me res publica [505]) et familiaris etiam longe alio avocat. Non ideo tibi convenit priorem amicitiam disrumpere, quod tu prior illam qui tuus est candor provocasti: mihi in animo est eam velis nolis neque rescinderc neque dissuere, puto me in onni vita cum nemine probo, litterato ne ullam quidem exercuisse simultatem, tantum abest ut ab amicitia semel contracta discesserim unquam. Spero in mea civitate omnibus me ordinibus iuxta charum, nemo perfidiae insimulat praeter unum vere scelestum, ut sua ipsius descriptione utar, quippe conscientia mille testes. Sed per Hiesum, ut interim reliquas nenias [506]) omittamus, quae vestra potui secreta prodere vel quid oportuit Eckium apud nos explorare? Si tantam mihi movet invidiam Eckiana praesentia, paucis accipe. Multo ante exorsam istam telam pro iure fraterni amoris placuit Eckio nostris olim adesse hymenaeis: forte fortuna accidit, ut pridie nonas Sextiles a Lipsica disputatione rediens sponsalibus quoque adesse potuisset. Ni suspi-

[504]) S. Corp. Ref. I. p. 62. — [505]) Cod. ne resp. — [506]) Cod. veniae.

cio imminentis legationis nuptias maturasset, profecto Wittenburgenses gratissimos hospites gratissime expectassem, quos interea retulit suavissimus Udalricus de Dinsthet. Neuter ducum meo accessu locupletatur, neuter mea tirocinia ambit, sed nec cupit quidem. Erasmus se integrum servat, odit ista sectionum nomina sicut vere odienda, quod omnes Christi sumus. Nostri optimates et ferme plebei quoque cives, item etiam docti omnes favent domino Martino. Religiosi ordine movent, aliqui libellos quosdam transmittunt parum merentes, cum nihil minus sit suum officium, scindimur, oriuntur intestinae factiones. Quam ego optarim reducem istam Christi sinceram theologiam! Adferte quoque mutuam charitatem. Homo omnium sum quietissimus: dissidia, iurgia, maledicta, iniurias, scurrilia video plerisque displicere. D. Martinum semper ex animo dilexi, Eckium et veterem et bene meritum amicum nulla causa non repudio. Audio varia capita varias sententias et in nullius saltim cum alterius iniuria verba iuro. Velim omnes nos unum esse in Christo et de quicunque fratre mereri pulcherrime: hinc in suspicionem venio quibusdam, fabula fio et tragoediis miris traducor. Certe nisi hucusque prohibuisset me religio Christiana, non fuisset prorsus difficile scelestum scelestis et invidis suis coloribus ad unguem pingere et omnia haec mendacia depellere: confido tamen in d. Martini et tuam virtutem vobis haec famosa non usquequaque placere, sic et senatui nostro supra modum incipiunt displicere. Forsan aliquando integritas mea omnibus erit perspecta, quippe ne ullius quidem sinistri conscius sum. Si quid amplius in me desideres, optime Melanchton, certior factus eum me praestabo qualem maxime expectas. D. Martino et Carolostadio cupio commendari non vulgariter. Vale. Nornbergae ex aedibus nostris calendis [507]) Aprilis 1520.

C. S. d.

Nr. 215. 1. April 1520.

An Spalatin.

Cod J. fol. 48 (236) a.

S. Binas tuas litteras et aureos V. reddam fratri Steffano, ut primum ad me venerit: quatinus autem citius veniat, mandavi municipibus hominem vocent. Scio, non tardabit, velox est, obediens est, quid vis? totus est bonus et purus et catholicus. Bene facis tuis iuvando, deus retribuit. Udalricus de

[507]) Cod. Calendas.

Dinsthet veniet ad te, homo mihi amicissimus: quidquid in hunc contuleris humanitatis, et meretur [508]) sua virtus et in me contulisse arbitraberis. Adfuit nuper meis [509]) hymenaeis, qui tantas tragoedias mihi excitant. Quid Eckius apud me egerit, ex ipso audies. In summa, res ipsa eum me declarabit in Wittenburgenses qualis semper fui. Gaudeo optimum principem celebraturum pascha apud Wittenburgenses, vellem mihi quoque adesse liceret. Vidi septuplicatum iubileum, cupio scire festa et omnem Wittenbergensium conditionem: mirum, unde propulsentur indulgentiae et ex omni Germania, eo potissimum advocentur. Tu vale. Aulicos, communis amicos nostros, resaluto. Nostri apud omnis Divos non immemor vale, frater in Christo suavissime. Nurnbergae kalendis Aprilis anno 1520.

Dialogum promissum frustra expectas. Apologia [510]) nuper apud vos iterum excusa commovit nostros concionatores, ut ex composito in authorem vehementissime conclamarent atque hunc publice lacerarent, decernentes [511]) ipsum e civitate pellendum et ordine seu officio destituendum, quin imperarunt dialogum adhuc ab officina excusoria [512]) madentem in angulum [513]) relegari. Cetera scripsimus Otthoni et Melanchtoni. Vale etc. C. S. d.

Nr. 216. 13. September 1520.

An Otto Beckmann.

Cod. L. fol. 110 (335) a.

Ad Ottonem Beckman licentiatum.

S. Quas dulcissimo d. cantori ad me dedisti litteras adhuc desidero, accepi autem alias tuas cum certis scedis et libellis, de quibus agimus tibi gratias. Eccios dedolatos, depictos, assatos, pileatos quoque et demum quidquid apud vos editur expecto, maxime qui in statu sint res vestrae, quem cupio neque dubito optimum. Caesar quod adhuc pontifice opus habet rem difficiliorem reddidit, forsan dein consultius agetur. Viennenses dicuntur Coloniensium exemplum secuti: apud Moguntiacos structo rogo lictor prohibitus est ignem admovere, iussus ligna domum referre. In hunc modum vicinia quoque omnis quiescit. Quid ille moliturus est, nescio. Joannes Fabri provincialis in caput nunciatur excepisse vulnera quaedam, unde rem video armis geri coeptam. Ego spectator horum. Multi vobis bene precantur. Quam vellem quemque [514])

---

[508]) Cod. meritur. — [509]) Cod. meas. — [510]) Spengler's „Schutzrede" für Luther, welche 1519 erschienen, 1520 von Melchior Lotther zu Wittenberg wieder herausgegeben worden ist. — [511]) Cod. dicernentes. — [512]) Cod. excussoria. — [513]) Cod. anglum. — [514]) Cod. quemquam.

libere disputare, ceterum spirare fraternam charitatem omneis. Caesar agit Heidelbergae, senatores Vormaciae consulunt reipublicae: ne dubita, omnia bene cedent, unus regnabit ubique. Amicos saluta. Nurnbergae ex aedibus nostris 13. Septembris anno 1520.

C. Scheurlus doctor.

Nr. 217. (5 oder) 13. October 1520.

An Ulrich von Dinstedt.

Cod. C. fol. 217 (253) b.

Ad doctorem Ulrichen de Dinsthet.

Salva sit praestantia tua, clarissime vir. Johannes Pezenstainer, homo gnavus, Wittenbergam rediturus cupit tecum constituere amicitiam: fac hominem nomine nostro benevole tractes. Is de singulis certiorem te reddet, unde brevior sum. Carolus venire debuit Aquas Granias 6. Octobris et 8. coronari: principes in magna frequentia Coloniae substitere rogaruntque regem, pestem Aquisgrani declinet, Coloniae coronetur. Coloniensis reclamat, quod parum sibi convenit cum civibus suis. Quidam arbitrantur, Polono cum magno ordinis ministro pacem confectam et milites reverti populata prius Marchionis ditione. Si quid praeterea acciderit novi, scribam ad te vel Wittenbergam, ubi communis amicos verbis meis salutabis et in Wallersperg pro me rem divinam fieri curabis. Salutat te Sawrmannus. Pestis hic supra modum lente grassatur et certe multo minus in urbe quam agro morimur, dabit aliquando deus clementiorem auram. Tu vale cum omnibus tuis et me pro iure tuo utere uti amico constanti. Nurnbergae ex pometis meis III. [515]) idus Octobris anno 1520.

C. S. d.

Nr. 218. (5. oder) 13. October 1520.

An Hector Pömer.

Cod. C. fol. 222 (260) b.

Ad dominum praepositum Sancti Laurencii Hectorem [516]) Behemer.

S. Non me fugit, reverende pater, novam hanc dignitatem, ut fit, simul et plerosque novos tibi peperisse amicos: me etsi antea tui fuisse studiosum testetur optima genitrix tua, cui aliquando

[515]) Cod.: XI., wohl ein Leſefehler des Abſchreibers; der im Cod. vorhergehende Brief an Johann Tucher, welcher nur Ermahnungen und geringfügige Notizen enthält, hat wenigſtens das Datum „ad 3 Idus octobris.“ — [516]) Cod. Hectori. Ueber Hector Pömer vgl. Will's Nürnberg. Gel.-Lex. III., S. 205 ff.

pulcherrimam spem proposui omnia de te pollicitus, futurum etiam te patriae ornamento et amicis utilitati, attamen nihil dissimulo, hi tui honores magis ac magis me tibi adstrinxere. Fuit mihi cum praedecessoribus tuis summa necessitudo et (cognatum Sixtum Tucherum et adfinem Anthonium Kressium omittam) certe Georgius Beheim familiariter me dilexit, quicum seria [517]) et ioca. Is subinde adfirmabat, patriae instituta, mores et vivendi genus non usquequaque priori hominum consuetudini respondere. Nosti [518]) hominem. In horum tu vestigia succedis et, ni fallor, haud mediocrem sustines expectationem: probo igitur, quod nedum vitam vivis sobriam, continentem, integram, sed et dicendo te exercites. Quodsi aliquando ausus fueris conscenso suggesto Christi gregi declamare, facile civium opinioni respondebis vel superabis etiam: videtur enim ecclesia haec Laurentina quodam fato nonnisi sacrosanctos sibi vendicare praelatos. Ego interim pluribus nominibus tuae egregiae virtuti plurimum debeo, id est quod exorsus sum et in praesenti significandum duxi. Versor circa hanc rempub iam decimum annum: quodsi quid longo usu, frequenti exercitatione assecutus sum, si quid possum quod ad honorem vel commodum tuum pertinere putaveris, profecto offero, despondeo me tibi amicum sincerum, fidum, constantem, integrum, perpetuum; persuade tibi fidem et officium meum, neque frustra neque temere postulabis unquam. — — — — — Venio nunc ad publica. Instituerat divus Carolus Carolino regioque diademate kalendis Octobris more praedecessorum ad Aquas Granii investiri: id nescio aquarum inundatione an aliis iustis causis in VIII. idus protractum est. Ceterum regni principes Coloniae frequentes substitere, Aquas Granias ob pestis saevitiam declinant [519]), regem per internuncios rogant Agrippinae coronari. Rursus audio archipraesulem reclamare, quod cum civibus Coloniensibus parum sibi convenit: lego tamen pontificiis et Caesarianis diplomatibus cautum, licere Coloniensi ubicunque in sua dioecesi coronare regem, et Rupertum Bavarum Coloniae imperii diademate insignitum, quod Aquis Granii cum duce Sicambro conspiraverant qui a Ruperto dissentiebat. Scribit Spalatinus theologistas istic omneis acerrimos bonorum studiorum hostes et sententiam contra Capnionem et bullam in d. Martinum passim involgare. Misi hac [520]) aestate Ottoni nostro quamquam non redditam supplicationem praedicatorum ex conventu Franckfordiano, qui pontifici exponunt transegisse se cum d. Capnione atque a lite discessisse: quin eius chirographum vidi, solutos sibi expensarum nomine centum undecim

[517]) Cod. sera. — [518]) Cod. nouum. — [519]) Cod. declamant. — [520]) Cod. hec.

aureos, nescire nnde. Nunc fertur denuo citatus. Sed in ea synodo aberat Hochstratus, unde postea prioratu, inquisitoriatu ac provincia [521]) etiam exautoratus est: ceterum Leo pontifex privatum cum scitu archipraesulis Coloniensis nedum restituit sed et hos honores perpetuo confirmavit. Quïdquid praeterea allatum fuerit, scribam ad te pro officio meo sedulo. Apud nos grassatur pestis more suo admodum lente, numerantur absumpti hoc triduo circiter 30: speramus propediem sereniorem auram. Vale, egregie vir, et me ama, quod facies mutuiter. Iterum vale cum amicis communibus. Nurnbergae ex pometis meis ad III. [522]) idus Octobris anno 1520.

C. S. d.

Nr. 219. 11. November 1520.

An Otto Beckmann.

Cod. L. fol. 97 (322) a.

Ad Otthonem Beckman.

Salve, mi amabilissime frater. Quod ex tua Westphalia salvus rediisti, gaudeo: vellem tibi omnia ex sententia evenisse, si quid secus accidit forte aliqnando resarcietur. Qui se deo dedicat, hunc amat, illius praecepta observat, is mihi videtur ingentia habere beneficia et omnium locupletissima: contra nescio quid plerumque secum adferat dispendii et animi et rei familiaris illa praebendarum affluentia, subinde alia aliam devorat. Quae de Romanis aquilis scribis, multum a te dissentio; ni fallor, fata meliora praetendunt [523]), eventus saluberrimus erit, modo acquiesce. Ego mense Octobri Augusta divertens Ingolstadium iter decliuavi, tum Divo Leonardo apud . . . . . [524]) voti [525]) reus, tum nt consobrinae meae filiolos Ebnerios viderim, addo etiam itineris securitatem. Nondum in hospitium diverteram, quum me d. Eccius et theologus Marstaller concivis ex fenestra conspexerunt et sine cunctatione insecuti sunt. Varius, ut fit, sermo super coenam incidit: ego nihil blandiens omnia libere locutus sum, de nemine male sensi, Lazari Spenglerii cansam familiariter egi etsi hominis iniussu. Haec snmma nostrae conversationis. Nosti, me utrique ducum, ut plerisque viris egregiis semper consuevi, ab antiquo iunctum fuisse familiariter. Ubi res ad iurgia vergere coepit, dolui, continui me ipsum, optavi semper omneis nos unius tantum Cristi factionis esse, omnia legi, nulla iudicavi, quantum in me fuit neutram amicitiam neque dissu-

[521]) Cod. prouinciã. — [522]) Cod.: XI., vgl. jedoch Anm. 515. — [523]) Cod. protendunt. — [524]) Das hier fehlende Wort sieht wie Inchuhofrum aus. — [525]) Cod. nati.

endam neque rescindendam sum arbitratus: quae res aliquorum mihi movit invidiam vel saltim indignationem, neque dubito hunc fortuitum nostrum conventum aemulos aliter interpretaturos [526]), unde rem ad te scribo. Quidquid hucusque gestum vel prudenter vel imprudenter, profecto nihil meis auspiciis vel consiliis gestum est: si res meo ageretur arbitrio, tam illis conveniret quam Otthoni et Scheurlio. Cura, ut amicum praepositum reddas tibi amicissimum, ut quandoque habeas apud nos amicos charissimos: hunc verbis meis saluta et fautorum cohortem, te vero velim infulis doctoreis insigniri. Dei [527]) beneficio admodum lente apud nos grassatur pestis. Ceteri collegae mei ex fuga revocantur, in causa sunt complices Lutheriani: ego cum coniuge, quae tibi bene optat, et reliqua familia quantum licet domi me contineo. Fratrem a Caesaris coronatione expecto. Vale, charissime frater, et de singulis quae indies apud vos eveniunt digneris me et sedulo et fideliter reddere certiorem, quod mutuo faciam. Salutat te Benedictus. Apud virginem Wallerspergiam digna deo vota pro me reddes. Nurnbergae in die S. Martini, natali meo, 1520.

C. S. d.

Nr. 220. 13. November 1520.

An Hector Pömer.

Cod. C. fol. 220 (256) b.

Ad Hectorem Boemer.

S. — — — — — — Dei benignitate ex Hispaniis prospera nunciantur: imperatoriae copiae praevalent et potiores incipiunt haberi, tumultum hunc spero mox fore sedandum et omnia tranquillius habitura. Quo die ista scribebamus, eo die tabellariorum relatu constituerant Caesar et Saxonum VIIvir Mogunciam ingredi: hic est 13. Novembris 1520.

C. S. d.

Nr. 221. 13. November 1520.

An Johann Dolz.

Cod. C. fol. 221 (257) a

Ad Johannem Dolschium licentiatum de Feltkirchen.

Salve, frater. Scripsi nuper ad te, misisse me numerum piretorum et chirothecarum definitum, si quibus praeterea opus haberes ea quoque missurum, neque in ullo defuturum quod ad tuam

[526]) Cod. interpretaturum. — [527]) Cod. de.

utilitatem pertinere putavero: verum scire cupio, ut quae misimus ad stomachum faciant, sintne iusto empta. Aliena usus sum opera, de meo praestare nihil potui praeter paratam voluntatem. Insuper opto te gymnasium ipsum adhuc multo tempore illustrare, unde amplissimos honores foveo [528]) quidem sed discessum doleo. Cupio tardam resignationem, quando aliter fieri non potest: posses adventum Domini populo declamare et post aliquibus diebus reversus colligere sarcinulas. Johannes Hubschenawer, olim Eccii discipulus, theologus, praedicator Divi Sebaldi, meus amicissimus, nihil magis optat quam certo tempore in schola Martiniana militarier. Si in eum tuus reclinari posset canonicatus, facile utrique consultum foret. Triennio multa accidere possunt et tuus forte mutari animus: eo exacto ubi Bambergenses adverterent ad canonicatum redeundi potestatem, facilius providerent tibi vel pinguioribus te sollicitarent pactis. Cogito nigrescentem [529]) aetatem, servitium et labores a dominatu et otio secerno. Quod si aliter fieri non potest, demus vela ventis, modo solvas ac festines tarde. Vale. Nurnbergae [530]) 13. Novembris 1520. Expecto longissimas litteras tuas.

C. S. d.

Nr. 222. (25. December 1520 oder 1. Januar 1521.)

An Otto Beckmann.

Cod. L. fol. 251 (138) a.

Ad Ottonem Beckman licentiatum.

Haud iniuria ineunte hodie novo hoc anno 21 ad te omnium primum scribo, qui ferme omnium semper mihi fuisti praecipuus et fidus amicus. Tibi igitur ex animo precor, clarissime vir, hunc annum et perpetuo omnia ex sententia ad dei laudem evenire: neque enim vota tua deseret deus, modo te illi credas dedasque. Quod Georgium in itinere Wallersbergio vacuum nostris litteris habuisti obvium, nostra absentia effecit [531]): eo hinc abeunte nos in Suevis agebamus; quod nihilominus illi ad me dedisti epistolam officii plenam cum actis Agrippinensibus, agimus tuae bonitati gratias: principis et titulorum geminatio authorem prodit. Post pauculos dies scripsit etiam ad me d. cantor: de te, quod miror, nulla habita mentio. Omnia ubique gestis nostris personant: eo deducta res, ut tandem inclinatura est vel Romana vel Saxonica acies. Nostri episcopi videntur paulatim bullam admissuri, populus iste creditur nobis subscribere. Minoritanus exemplo Annabergii

[528]) Cod. fauco. — [529]) Cod. nigra uescentem. — [530]) Cod. Nouembris. — [531]) Cod. affecit.

opiuionem vestram sugillaverat, patres homiuem mouuere; ille nuuciatur nova pecnnia, 400 scil. aureis, a pontifice adiutus, instat, urget, diem statuit: contra consulitnr hic strenue. Multa turbulenta et Carolus nos audire negans stipulatam securitatem caucellavit, et tamen post mnltas caedes tandem audire oportebit. Interea horribiliora multa exspectantur fulmina bullaria: modo non scindamur in parteis. Quicquid vobis editur agiturve, a te petimus. Hucusque apud nos pestis grassatur et haec triduo hoc etiam solito saevius aliquanto, sed et apud Vangiones irrepsit, ut nihil minus credam quam finituros eos Germanica concilia. Caesar apud eos principes exspectat, Moguntino et Saltzburgensi stipatus, praeterea anlicis pauculis. Nuper Austriam cum Carinthia, Stiria, Caruiola et adiacentibus fratri cesserat Ferdinando. Pro hoc Ragndorfius Annam Hungaram, rursus pro Ludovico Hungaro Mariam Castellanam Zecko in faciem ecclesiae desponsarunt, paulo post utraque matrimonia consummanda. Sed et ex Hispanis faustus adfertur nuncius. In summum discrimen res deducta erat. Quam Caesaris mater Joanna cnm posthuma Catherina habitat urbem, eam coniurati occupaverant haud alio consilio, quam ut coacta regina ad novos thalamos alium Castellae deligereut regem. Stetit victoria unde debuit: urbe vi etsi non absque ingenti strage expugnata regina cum prole tanto periculo liberata est. Eam deditiouem secuta est civitas Toletana. Spero deinceps omnia tranquillius habitura et optimum Caesarem diutius adfuturum rebus Germanicis. Omnia illi hucusque coutigere sine sanguine: quid mirum, si in tanti imperii administratioue tantis aemulis quaedam etiam adversa moliuntnr, quae ille sua sapientia digerit et planat. Aula in hunc diem aere Britannico adiuta; Lusitanus filiae Caroli consobrinae dotem affert sedecies centena milia, praeterea a cousiliis et in nuptiales expensas quater ceutena milia ducatorum. Ne dubita, Otto, aliquando bene et belle habebunt omnia, oportet tamen prius hanc cruentam tempestatem serenare. In qua re vehementer opus erit dei beneficentia et Germanorum fortitudiue et concordia, ut meminerint se vere Germanos. Tu vale communi meo et uxoris uomine et deum time. C. S. d.

Nr. 223. 4. Januar 1521.

An Hector Pömer.

Cod. L. fol. 252 (139) a.

Ad dominum praepositum Hectorem Behemer.

Salve, optime praesul. Nostri cives quottidie redeunt. Desiderio desideravimus frigora et longiores dies sperantes salubriorem

aerem, quemadmodum praeteritis annis usu didicimus: pulcherrima spe hucusque hei frustramur, quando hoc quatriduo plures absumpsit pestis quam antea decendium ferme, quod nos angit, cruciat, deprimit et longe iufaustiora [532]) etiam timere facit ac si iugeus pestis saevitia cervicibus nostris adhuc immiueat. Omnia adversa merentur crimina nostra et quis consiliarius dei fuit? unde puto in illius misericordiam constituendum omne refugium. De rebus vestris plura apud nos circumferuntur, etiam Huttenici commentarii in bullam. Nos quae in nullius obprobrium vergunt ad te mittimus Erasmi axiomata: quodsi prius habes vel iam iter ad nos arripuisti, volo tameu tibi testatum esse officium meum, qui uihil nnquam omissurus sum, quod ad tuam dignitatem pertiuere credidero, cui me commeudo et dedo. Vale optime. Nurnbergae pridie nouas Januarias 1521.

C. S. d.

Nr. 224. 10. Februar 1521.

An Spalatin.

Cod. L. fol. 252 (139) b.

Ad Georgium Spalatiuum.

S. Si quando tardiuscule ad me scribis, qui in scribendis amicorum litteris omnium es officiosissimus, fateor turbor qui amicitias tui similium, optimorum scil., velim augere. Opportune igitur ea me suspicione liberaruut litterae tuae amicissimae, de quibus et libellis transmissis ago gratias et ut id genus munera ad me saepe mittas te rogo, immo vero quicquid apud vos editur. Quodsi quoque in auimo est de meis Hieronimis Ebuerio et Holtzschuerio mereri belle, iis quoque mitte chartacea. Quando euim a vestris comitiis dependet orbis, uimirum, si harum rerum sumus cupidissimi: oblata facultate gratia referetur. Tandem effeci traductiones tuas involgari sumque pro mea opera duobus exemplaribus douatus: rursus Virsingium per litteras rogavi, ut per suos vel nostros sed quam primum ad te mittat multa opera. Quod communem fratrem fuci iusimulas et hominis pugnantibus verbis supra modum moveris, me quoque moveret, si id ratione faceres, et eo magis moveret quo caussa sua mihi communis est. Domum duodecim tantum aureis emptam coustat. Si litterae ad me XXX significaut, erraruut: mihi non conscius sum legisse uisi XII, puto te errasse gravioribus obrutum. Iutegrior est frater tuus quam ut aliud staus aliud

[532]) Cod. in faustiora.

sedens sentiat, totus planus est, totus probus, totus catholicus. Declinaveram [533]) ego nuper iter in tuum municipium: a Steffano mira benevolentia exceptus totius familiae alacritate et animorum ingenua promptitudine sum oblectatus inpendio. Quicquid in illos confers, partim in nos quoque contulisse scias: neque enim Stepfani innocentia inter meos postremum locum vendicat. Si tamen me vis hominem monere [534]) ad frugalitatem et bonitatem, monebo addamque equo sponte currenti calcaria, etsi forsan magis freno opus haberet: sed et reliqua mandata exequar. Petrarcha cum litteris te abeunte Ottoni redditus est, litteras puto te accepisse. Si me amas, nomine meo gesta vestra ordine perscribe Ottoni meo horum cupidissimo [535]), sed et nobis rescribe: omnia quae mei sunt officii, diligenter et sedulo faciam. Audio praepositum Henningum vita excessisse. Tu vale, vive et nos mutuo ama. Nurnbergae ad 4 idus Februarias anno 1521.

C. S. d.

Nr. 225. 16. Februar 1521.

An Hector Pömer.

Cod. C. fol. 335 (6) a.

Ad dominum praepositum Hectorem Behemer.

S. Quando pro tua in me benevolentia, quam vel proximae binae litterae et transmissi libelli testantur, reverende praeposite, nullam tibi in praesenti aliam possum referre gratiam, sum arbitratus amplitudinem tuam non secus ac utriusque nostrum amicissimum d. Otthonem Beckmannum potissimum hoc tempore imperii status percupidum, quod ab his Vangionum comitiis summarum rerum momenta et huius seculi et apud posteros dependere plerisque indicantur. Unde paucis sic accipe. Tam fervet et celebris est hic procerum conventus quam nemo mortalium memoratur, quod nomenclatura indicat [536]). Coiere apud Caesarem Germaniae principes [537]), ut alienos taceam, supra XXXXX, ex quibus duobus et viginti [538]) dominus [539]) de Schiveris, qui unus omnium omnia potest, epulum dedit spectatu dignum. Caesar imprimis quemque in ordinem redegit et quas dicunt sessiones composuit, de quibus maiores ab antiquo contendere anxie. Adhuc tamen certant Moguntinus et Saxo, uter patrum sententias roget: hinc praefectura [540]) praetorio, illinc Germaniae cancellariatus hoc [541]) iuris sibi

---

[533]) Cod. declamaueram. — [534]) Cod. mouere. — [535]) Cod. cupidissime. — [536]) Cod. iudicat. — [537]) Cod. princeps. — [538]) Cod. ingentj. — [539]) Cod. dominj. — [540]) Cod. profectura. — [541]) Cod. hic.

vendicat. Moguntinum iuvat Pertoldi quasi possessio, sed si hoc hominis industriae et precario dedit Ernestus non debet posteris derogare. His ordinatis quae Caesaris nomine proposita sunt (ne multis tuam reverentiam detineam, ut petita sunt ita fideliter mittimus) mox seliguntur 7 viri, sed [542]) quisque duobus a consiliis stipatus, aliqui principes et Nurnbergens. et Argentinens., qui privatim res imperii prius diligenter discutiant, expendant, consulant et placita in publicum referant. Tota comitia ad hoc unum ante omnia spectare videntur, ut Caesareus senatus quod Galli perlamentum vocant constituatur, apud quem absente Augusto omnis potestas sit, ad quem multorum opinione quascunque etiam praesentes graviores causae referentur, quod in tanta loci incommoditate et temporis angustia non videntur posse opportune expediri. Nam Caesar ipse classem iam instruit, qua veniente Maio cum adfine Johanne Federicho Saxone in Hispanias referatur, principes autem in tanta urbis Vormaciae ob civium et clericorum discordias desolatione et ob tanti populi frequentiam rerum omnium extrema caritate non videntur diu nec posse nec velle subsistere. Adde aëris iniquitatem et pestilentiam, quae in hodiernum diem deo ita permittente apud nos quoque pertinaciter grassatur: alioquin perlamento commodissima sedes patria Nurenberga uno ferme omnium ore et publico assensu provocatur. Ineuntibus comitiis imperator, ut est rerum Germanicarum studiosissimus et per omnia vigilantissimus princeps, coram audivit praesulem et cives Colonienses, post Braunschwicensem causam. Litterae in castris Lunenburgens. interceptae publice recitatae sunt, Gallicae fraudis et traditionis refertae [543]), nihil obscure significantes id belli tantum ad impediendam Caesaream coronationem institutum. Sed et papistici persuaserunt, Augustorum semper fuisse officium sedem apostolicam tueri, eoque promoverant, ut bonus Caesar litteras iam signaverat et subscripserat etiam quibus bannum et omnia dira contra d. Lutherium statuebantur. In tanta rerum difficultate unum tantum consultatum fuit, prodirentne ea edicta solo Caesaris nomine an etiam sacri senatus authoritate. Quum hi potestatis plenitudini ut assolent divina et humana quaeque permitterent, praevaluit tamen eorum sententia, qui senatus consultum necessarium affirmabant, unde causa ad patres reiecta: quid his tandem statuetur, incertum habemus. Quod ecclesiastici numero excedunt et omnes vici monachis referti sunt, qui forte

[542]) Cod. sex. — [543]) Cod. referre.

timent ista in suam quandoque perniciem redundare, faxit deus ut sententiae expendantur magis quam numerentur. Certe papistae contravociferando paene raucescunt, unde causa aliquibus diebus siluit quievitque publice. Communes amici scribunt, rem spectare ad incredibilem seditionem, si d. Martinus inauditus et non revictus condemnetur, nec decsse qui hunc contra quoscunque defendere velint et possint. Interea Martiniana habentur Vangionibus in pretio, divenduntur plateatim, cantantur etiam vulgo. D. Wencesslaus vicarius author est Aleandrum dixisse, etsi Germani, qui tamen inter omnes nationes minimum dependent, apostolicum [544]) iugum excusserint, curaturos tamen Romanos, ut proprio mucrone intereamus et nos ipsos confodiamus: vox certe parum pastoricia, nisi quod hoc hominum genus magis pastoris existimat deglubere quam tondere. Princeps Federichus Anthonium Tucherium donavit assertionibus articulorum, ut a secretis Jeronimi verbis utar, respective damnatorum, quas ego triduo ante meis Maecenatibus communicaveram. Ebnerio et Holtzschuerio, nostrorum procuratoribus, etiam cum specialissimo mandato denegata est absolutio ad cautelam, oblata tamen pura et non respectiva, sed credo id quoque depensurum a decreto totius ordinis. Interea vivat et valeat praestantia tua, cui me dedo commendoque. Nurnbergae 14 kalendas Martias anno virginei partus 1521.

C. S. d.

Nr. 226. 1. März 1521.

An Hector Pömer.

Cod. C. fol. 337 (8) a.

Ad dominum praepositum [545]) Hectorem Boemer.

S. Remissa causa Lutheriana, ut antea significavimus, ad patres conscriptos et his ferme hominis perniciem assentientibus coactoque senatu idibus Februariis apud Franciscanos Aleander nedum hostiliter peroravit, sed et ad augendam invidiam et ut ita sedem apostolicam uudecunque strenue defenderet Martiniana discerpsit. Inde recitatur copia Caesarei decreti, qua nedum ipse factionis dux vinctus ad poenam rapiebatur, sed et quicunque hunc . . . . [546]) publicatis fortunis perdebantur. Ni fallor, in ducis favorem ita conceptum erat saevire, ut senatus tantam tyrannidem ferre non potens consilium potius discuteret quam

[544]) Cod. apostolico. — [545]) Cod. propositum. — [546]) Das hier fehlende Wort sieht wie hiscerant aus, vielleicht ist zu lesen huic haerescerent.

praecipitaret. Ita accidit, iudicatum, ut certe debuit, statutum pluo aequo sanguinarium, petitum est responsum in tertium diem differri, quod Augustus putatus est aegre assensisse, quum sibi in hunc modum decretum esset per universam patriam ditionem edicere, ut mea fert opinio, ita urgentibus papisticis nihil obscure imperii abrogationem minitantibus: quippe tumultus hos Hispanicos, ut certe adhuc fervent, ita ab initio statim suspectos habui; nonne sub hoc umbrae titulo coniurati plurimum Austriae ditionis occupare? Die tertio consultatum in multam noctem, tandem Caesaris catholicus animus dilaudatus, visum tamen monitumque prudentissime agendum, ne forsan universa Germania tumultuaret damnata veritate evangelica priusquam audita aut revicta, forsan operae pretium futurum d. Martinum adhuc stipulata securitate audiri, si quaedam mitigare vellet. Post haec principes seculares invitis tamen ecclesiasticis, si modo ita dicendi sunt omnium mundanissimi, de annatis, palliis et id genus abusibus quae reformatione egeant multa conquesti sunt. Certe patrum hoc responsum anceps bonum quoque imperatorem dubium fecit et ita dubium, ut in hunc diem Wittenburgenses ad unam omnis sacri Romani imperii gravissimas causas suspenderint, ut ne tantillum hucusque statutum sit: ita ab hoc angulo pendet orbis. Sed et Rho. episcopus vestras Caesaribus iure debitas preces approbare aut quidquam dare renuit, donec de medio viventium, si modo fieri potest et non alias [547]) radices egerunt, eradicetur Lutherius, cui tamen civitatum oratores, comites, nobiles cum tota plebe favent, subscribunt, acclamant: episcopi et quidam duces, ut varia sunt hominum iudicia, secus sentiunt. Utcunque res periculi plena. Sed et Augustani [548]) authore iureconsulto Rolingero suos sacerdotes monuere, populo crimina dimitterent, ne quid acerbius exspectarent, his respondentibus partim esse papastros, huius oportere mandatis obtemperare. Nuper praefectus [549]) Altae Petrae in Worms, dum uxoris funebrem vere pompam duceret, ad aram nihil obtulit: qui honoris causa aderant, id facile secuti sunt. Jussus rationem reddere respondit, Lutherium docere potius egeno quam sacerdoti erogandum. Plebanus videns rem suam agi vicario Ratisponensi iniurias queritur: citatur nobilis: rescribunt magistratus (Palatini Ambergae tum [550]) praesident), abstineant iudicare, donec Martinus iure iudicetur. Dum haec nunciabantur, nondum reversus

[547]) Cod. ali 9. — [548]) Cod. Augustum. — [549]) Cod. profectus. — [550]) Cod. suum.

erat pastor, forsan periculum timens. Id genus quottidie adferuntur multa. Sed et praeter Embseriana et Murneriana allata quoque apologia fratris Ambrosii Catharini Florentini, unde puto authoris titulo, Praedicatoris [551]) scilicet, de opere abunde satis iudicatum. Id in quinque libros digessit immo potius expuit, dolos Martinianos colligit, per specula haereses, calumnias, blasphemias, insana documenta demonstrat, potestatem papisticam et conciliarem super petram firmat, decreta a frigiditate vendicat, eum interea nihil minus quam calorem adferat, ut igne maxime opus putes, Aristotelem, Caietanum, Prieratem laudibus vehit, super omnia Aquinatis authoritatem . . . . . [552]). Praeterea ex sacris litteris admodum parum promit, ut vel minimum versum Lutherianum scriptura non refellat, omnia suadet, nulla persuadet, adulatur, conviciatur, nugatur: adeo nuda sunt omnia quam quae [553]) nudissima, ut plane Silvestrum silvestraliter redoleat, ut ego Italorum vicem doleam quorum etiam patronum agit et me hominis vere pauperis, simplicis, humilis non parum misereat. Unum tantum probo, quod in calce rationes adducit, quare non sit replicaturus, etsi arbitrer magis pharmacopola aliquo quam Lutheriano respondente opus esse: nam, ut uno verbo dicam, nitoris aliquid, roboris nihil. Interea redeo ad Vangionum comitia. Quo die sacer senatus a Caesare, nisi ei molestum esset, Martinum conductum audiri petiit, eo die illi quoque rescripserunt Franciscus Sickingerus [554]) et plerique nobiles, secundum pacta defensuros se Huttenicam contra quorumcunque sententiam, donec cum sociis audiatur, rem spectare ad incredibilem seditionem popularem contra clericos. Adeo omnia Lutherium resonant [555]). Adde quod Francorum rex a clero suo semestres fructus petiit, forsan ut coniuratis stipendia det. Hi ex omnibus finibus oratores misere Lugdunum: videntur quoque tandem Gallica signa professuri, quamquam etiam ad Caesarem legatos misere, etsi illum parum ditiorem aestiment avo. Venio ad nostros. Conclvis Leonardus Marstaller, qui Ingolstadii theologiam profitetur, illorum specialissimus procurator, rogatis tabellionibus et testibus tum confessus est tum negavit, donec absolutionem meruit, quod audio mandatarios indigne ferre. Si ita iussum, ipsi viderint.

---

[551]) Cod. praedicatori. Der Titel der Schrift lautet: Ad Carolum max. imperatorem et Hispaniarum regem F. Ambrosii Catharini ordin. Praedicatorum Apologia etc. — [552]) Im Cod. ſtehen hier die Worte: sanctimonia asserit Illo potiss. Euangelico seu paulino maius bene scripsisti de me thoma. [553]) Cod. qui. — [554]) Cod. Sinckerus. — [555]) Cod. resonent.

Quam ego semper optavi omneis nos unum esse in Christo Jhesu domino nostro! Tu Ottonem meum saluta suaviter et vale perpetuo. Nürnbergae calendis [556]) Martiis 1521.

C. S. d.

Nr. 227. (?) 1521.

An Otto Beckmann.

Cod. C. fol. 339 (10) a.

Ad Otthonem Beckman licentiatum.

S. Lazaruss Spenglerius, senatus ab epistolis, illi ob frequentem assuetudinem et multorum secretorum conscientiam admodum gratus est: apud hunc quoque Eccii amicitia nobis suspicionem peperit, donec res ipsa monstravit omnem hanc actam fabulam me et invito et inscio. Unde missurus filium cognominem ad mercatum vestrarum disciplinarum, quamquam consilio domini praepositi certum habeat cuiusnam [557]) fidei credat et officinae, me tamen rogandum duxit, ut adulescentem alicui praecipuo familiariter quoque commendarem. Ego etsi eam suspicionem utpote omnis huius tragoediae insontissimus indigne admodum tuli, tamen quia hoc unum semper studeo de omnibus mereri bene, offendere neminem, quia etiam frater eius Georgius Tucheriam cognatam habet uxorem et neminem unquam mortalium amavi suavius familiariusve Ottone nostro, tibi Lazarum hunc diligentissime commendo et rogo, ut tuo hortatu, tua authoritate quottidie evadat melior, ad te unum confugiat, si qua re opus habeat, tu in nulla sibi desis, ita ut pater simul intelligat nos a te amari mutuo, voluisse sibi morem gerere neque commendationem nostram fuisse inanem. Ea re nedum etiam atque etiam me obligabis, sed et huic beneficium dando accipies. Quin et Petrus Purchardus author est d. Lutherium et Melanchtonem admodum nobis propter Eccium indignari. Ita undequaque infeliciter cedit Ecciana amicitia, si modo dicendi sunt amici, quibus tanto tempore, a fervescente scilicet hac tragoedia, nec coram nec per litteras aut aliquod etiam internunciolum ne tantillum quidem consuetudinis intercessit, nisi quod ante aliquos menses forte Ingolstadium tantum visendorum Ebneriorum causa divertentem secutus est, quem ego abesse credideram, in hospitium, ubi semel et iterum convivati sumus familiariter, sed citra cuiusque iniuriam et contumeliam. Quid vis me agere? Cum Eccio ante multos annos, quod probe nosti, sociale foedus con-

[556]) Cod. Calendas. — [557]) Cod. cuiusdam.

stitui: numquid facio satis, si, postquam hominem frustra dehortatus sum, prorsus abstineo, si ita me tempero [558]) ut aliis permittam iudicium? Ipsi viderint: quid ad me? Ego gloriae vestrae praeco sum et buccinator fidissimus, sed nemini maledixit unquam, neque vos facile tam leves aestimo qui inauditum ne dicam egregie meritum damnetis, quando boni viri semper fuit officium amico ante sententiam crimen diluendum proponere. Sed forte graves habentur, qui nobis hanc calumniam struunt: sed inimicus reipub. pestis idoneus testis non est. Id si respondendi occasio dabitur plane deducam. Interea vale. 1521 calendas xiij [559]).

C. S. d.

Nr. 228. 25. November 1524.

An Amicus Taegius.

Cod M. fol. 155 (1) a.

Magnifico viro domino Amico Taegio, oratori Mediolanensi, domino et amico honorando.

S. p. d. Quod me nil tale merentem pro sola tua humanitate in rationarium Marguticorum adscribere dignatus es, certe magno tibi obstrictus sum beneficio, quod scio me in collegium nedum optimorum virorum sed et principum et, si diis placet, regum tuo beneficio adoptatum esse: et si ille gaudebat nunquam e foro discedere nisi parato novo aliquo amico, ego vero quantum tibi debeo, magnifice et honorande vir, qui id genus hominum assuetudine et familiaritate semper et mirum in modum oblectatus sum. Quibus etsi me cognoscam longe imparem, studebo tamen pro virili, ne me geram prorsus inutilem Marguticum, neque est quod me aut mea quantulacunque sunt tuae dominationi offeram, cum ex ipsa professione Margutica omnia Margutica constet esse communia. Unum tamen rogo, ut si quae invictissimo [560]) Insubrium principi aut tibi apud nos agenda erunt [561]), ut prompti animi mei aliqua ratio habeatur, ut mea quoque dignemini uti opella, ut me constituatis hic publicum Marguticorum procuratorem. Fui autem hucusque tuis litteris crebro et ex animo oblectatus: modo vero, cum utriusque nostrum amicissimus Anthonius discedat, quamquam sperem brevi rediturum, tamen fac obsecro, ne simul hominis lepidissimi et certe plane digni et egregii Margutici consuetudine

[558]) Cod. temperio. — [559]) So Cod., viell. Maij dafür zu lesen. — [560]) Cod. Junctiss. — [561]) Cod. agendo errent.

et tuis litteris caream, quae me frequenter erudiant de Francorum excidio, quamquam, ut verum fatear, murorum Mediolanensium id est sepulchri Gallici deditio nondum me magnopere commovit. Facta enim sunt haec, ut scriptura impleretur dicens, Franciscum primum et ultimum occidendum fore in agro Brixiano. Tu vero qui more Margutico egregie sapis, an adhuc dubitas accessu paucorum annorum dominaturum, quasi dixissem devoraturum, Carolum Romanum pontificium, Gallorum regem cum suis Suiceris? quod et ego imperii civitatum orator Caesari coram praedixi, modo Austriacis cum evangelio conveniat. Sed de his et quae nobiscum aguntur scribam aliquando pluribus, quae tu in bonam partem interpretabere rescribesque lingua materna: nam ego nedum Italicis omnia mea debeo, sed et sermonem vestrum non mediocriter amo. Vale et vive foelix. Nurnbergae ad VII. cal. Decemb. 1524.

Totus tuus Margutissimus
Ch. Sch. i. u. d. advocatus patriae.

Nr. 229. (Nach dem 13. December 1524.)

An Antonio Vento.

Cod. M. fol. 155 (1) b. Der Brief ſcheint jedenfalls noch im December geſchrieben

Spectabili domino Anthonio Vento, mercatori Genuensi [562]), fratri et amico honorando.

S. Quas tu et Taegius noster ex Ponte Ini tertia et decima Decembris ad me dedistis humanitatis et mutuae benevolentiae plenas litteras accepi et cum animi voluptate pellegi. Multa tibi debeo, optime Anthoni, et hoc imprimis quod Marguto nostro tam accurate me commendasti. Is incipit, ni fallor, cum principibus et multis aliis intelligere, quanta iactura humanas leges dei verbo hucusque praetulerimus: sed si ita decretum est deo opt. max. resuscitare evangelion suum, bellissimum medium est, etsi ipse medio non indigeat, pontificio[rum] defectio. Vide ne aliquando eveniant, quae nos coram crebro vaticinati sumus: utcunque donec redeas, quod brevi futurum confido, te rogo, ut omnia sine affectione et sicut sentis ad me perscribas. Nos hic in eo ferme statu vivimus [563]), in quo hinc discedens nos dimisisti: attamen deputati sunt quatuor provisores magnae eleemosynae, duo senatorii et duo mercatores, quibus assignantur redditus ecclesiarum et praepositorum Sebaldi et Laurentii, xenodochiorum,

[562]) Cod. Senuensi. — [563]) Cod. venimus. —

fundationum et multa id genus. Qui ecclessiae serviunt, his decernuntur stipendia annua in pecunia numerata, ut ita omnia sacra sicut accepta sunt ita gratis dentur, quae superabundant egenis elargiantur. Commoti hac pietate fratres Augustinenses monasterium cum omnibus redditibus et bonis suis ante pedes provisorum sponte abiiciunt, operas suas promittunt in promovendo evangelio, rogant tantum senio confectis ex publico provideri. Ea petitio in hodiernum deliberatur, et ut nihil ignores, fratres Eboracenses, [qui] apud Herbipolim habitant, II in urbe ista aedes possident, quas hostes sui noctu intrarunt et ligatis duobus fratribus domum expoliant, pecuniam, argentum, monumenta et multa alia colligunt et mox apertis portis abeunt: audax facinus et antea inauditum. Praeterea apud Ulmam coiere nuper civitates imperiales: hi pro dei verbo magno assensu vota dedere, scripserunt de ea re ad Caesarem. Carolstadius autem et asseclae negant in hostia Christi corpus: qui libellum impresserat Hieronymus Holtzel coniectus est in carcerem. Tu vale et quod facis me mutuo ama. Ex Nurnberga.

Nr. 230. 22. Januar 1525.

An Amicus Taegius.

Cod. M. fol. 157 (8) a.

Praestanti et egregio viro domino Amico Taegio, Mediolanensium oratori, fratri suavissimo.

S. — — — Vehementer commovit pontificis et Venetorum animos obsidio Massiliensis suspectamque reddidit Caesaris fortunam seu dicterium Plus ultra, quod Castellanis dicitur Mas atlante, tanquam illi angustae viderentur Hispaniae, Germaniae et magna Latii pars. Neque Insubriam invasit Gallus dissentientibus Venetis et pontifice, sed partitis prius inter se Longobardis et Siculis, etsi tam lentum rerum successum non speraverint, quod illos adhuc pacta dissimulare facit. Unde nihil nobis sperandum est neque de pontifice neque de Venetis, qui ab antiquo foederibus stare didicere, quousque id ex utilitate sua arbitrati sunt. Sumus igitur militibus longe impares: quo magis ego demiror reditum clarissimorum equitum, quos nuper Ferdinandus evocaverit, cuius haec Mediolanensis pugna tantum interest, ut ab illa devotio quorundam provincialium dependere videatur, ne quid amplius dicam. Exacti reguli animos popularium evangelio sibi conciliant, nos ex diametro diversum agimus. Inter haec summopere me oblectat, quod tam fidenter nobis victoriam pol-

liceris: ego cum Mercurino a Gattinariis, Caesaris magno cancellario, saepe interlocutus sum, qui vaticiniis non parum multum tribuens amplissimum Caesaris imperium saepe praedixit, cui ego semper subscripsi. Non dubita, crede mihi per Marguticam fidem, qui es Margutorum praesidium et decus, in agro Virginis arescet lilium, cuius ultima laus sub aquila volabit, et vivente gallo alius gallus crcabitur; si pugnabit Franciscus, aut capietur aut ego nihil intelligo, regnabit autem Carolus ab oriente usque ad occidentem. Quare te obnixe rogo, ut hoc tabellario de omni belli statu diligentissime et currenter me certiorem reddas, ut id quibusdam principibus et communibus amicis ut soleo communicare valeam: quare etiam publico nomine tibi gratias ago et humanitati tuae plurimum me debere sentio cupioque commendari non vulgariter. Datae Nurembergae ad XI. cal. Februarias anno MDXXV.

Tuae dominationis Margutissimus
Christophorus ScheVrlius, i. u. d. patriae advocatus.

Nr. 231. 22. Januar 1525.

An Antonio Vento.

Cod. M. fol. 158 (9) a.

Spectabili et praestanti viro d. Anthonio Vento, mercatori Januensi, amico et fratri honorando suavissimoque.

S. Iam mihi convenerat, honorande frater, cum Baptista nostro respondere prioribus litteris tuis, cum ipse alteras mihi reddidit, quas tu Venetiis calendis Januariis dedisti. Quid dicam? Officio et urbanitate superari non potes, alacri voluntato et animi promptitudine tecum contendo. Nihil in tuis litteris desidero, nisi quod mearum quas ad te Babtistae dedi mense Decembri nullam faciunt mentionem: quare nollem tarditatis aut etiam rusticitatis tibi accusari. Quodsi iusiurandum regni causa violandum est, iustam causam habent potentatus Italici, quos scio obsidione Massiliensi magnopere deterritos, ac si illi orbis angustus videatur iuxta illud dicterium suum Castellanum Mas atlante. Propterea nulla subsidia expectamus nisi a solo deo, cui si decreta est orbis monarchia et pontificii excidium, bene agitur, ita oportuit fieri. De direptione Saonensi supra fidem datam satis constat: speramus etiam aliquantisper remorari Gallum in occupanda Luca et restituendis Petruciis. Multa dependent a pugna Mediolanensi, quam nostri non detrectant. Aut ego penitus decipior aut lilium in agro Virginis arescet: quin omnia astra ad-

versa quaeque Francisco praesagiunt, ita quod vivente adhuc gallo alius gallus creabitur qui favebit aquilae. Noster Taegius, ut sunt hominum affectus varii, omnia prospera binis et his Margutissimis litteris suis pollicetur, quod etsi nunquam dubitavi, delectant tamen me plurimum. Ago igitur tibi gratias de tanto amico et quod tam accurate singula ad me perscribis, quod ut de cetero vigilanter facias plurimum obsecro. Occurrunt autem ingentia scribenda, quae nos magno desiderio expectamus, principibus, senatoribus et communibus amicis tuo nomine et Taegii, si modo consentiant, communicanda. In Germania adhuc vivimus tranquille, nisi quod Carlstadiani in pluribus locis invalescunt: hi corpus Christi in hostia et parvulis baptisma negant destruuntque imagines interpretantes pro se scripturas. Id virus ne longius apud nos serperet, coniecti sunt in carcerem tres pictores. Sed et qui propter adulterium coniuges dimittunt, iterum contrahunt auctoritate evangelii; plerique Christiana libertate abutuntur: quod quanto magis obest negotio evangelico, tanto magis proficiet inexplebilis regni cupido in pontifice maximo. Interea tui mihi sunt commendatissimi, modo plura possim. Tu vale et me mutuo ama et communem etiam parentem verbis meis saluta. Nurembergae ad XI. cal. Februarias anno MDXXV.

Tuus Margutissimus
Christophorus Schevrlius, i. u. d. patriae advocatus.

Nr. 232. 31. Januar 1525.

An Amicus Taegius.

Cod. M. fol. 159 (10) a. Concept von Scheurl's eigener Hand.

D. Amico Taegio.

S. Quando mihi decretum est cum omnibus Marguticis in te amando contendere, nolui Baptistae nostri litteras ad te sine meis pervenire. Delatum est igitur ad nos foedus pontificium, quod multo antea decretum fuit et coniectari licuit: de Britanniae rege quidam etiam mussitant. Ego Caesarianorum victoriam et pontificii excidium ita certa habeo, ut nihil penitus dubitem, quo magis contemno rumusculos tractatus novi regis promovendi. Accepimus etiam deditionem Clevensium et Vallis Tellinae atque etiam agrestium obsidionem. Interea apud nos percrebruit amicitia nostra Margutica, multi praestantes viri subinde percontantur, numquid ad nos scripseris. Rogo igitur humanitatem tuam per omnem benivolentiam nostram, ut subinde de

omnibus digneris me diligentissime certiorem reddere: nos enim tuas litteras avide desideramus, quibus etiam fidei plurimum tribuimus. Praeterea serenissimus archidux nuntiatur de evangelio aliquanto sincerius sentire, dignissimus cui Christiani consiliarii contingant: ita enim deo et hominibus amabilem se praestabit. Tu vero vale et me mutuo ama. Nurenbergae pridie cal. Februarias.

Nr. 233. 14. Februar 1525.

An Amicus Taegius.

Cod. M. fol. 159 (10) a. Concept von Scheurl's eigner Hand.

Domino Amico Taegio.

S. Certum habuimus Venetos, quod iuraverant, Caesarem sequi et Gallum Papiensem obsidionem solvisse, sed tuae litterae aliud renuntiant Gaudeo imprimis Caesarem pristinae valitudini restitutum: astrorum consulti praedixerant quidem nonnihil periculi hoc anno, sed eo superato evasurum longe potentissimum. Modo evangelio subscribat cum fratre, et facile eradicato pontificio dominabimur Gallis et Venetis. Iterum gaudeo, quod nihil dubitas, quod certam habes victoriam, quam ego quoque certissimam habeo: praesaginnt illam frequentia incommoda, quibus Gallus in hac obsidione affectus est, imprimis expugnatio castelli S. Angeli. Ceterum magna pars Sueviae tumultuaria est propter ecclesiasticorum tyrannidem et dominorum exactiones: rustici ad II lapidem prope Ulmam decrevere alia comitia sed armata ad XVII. Februarii. Confoederati auxilia mandant, sed plebei suo ordini haud tuto opponentur. Quod ego de evangelio frequenter scribo, in causa est, quod universa Virtenberga suo Udalrico favet, hunc odio habet ferme propter dei verbum. Pirchamerius se rursus tibi commendat polliceturque Ptolomei editionem ad medium quadragesimae. Interea tuas litteras desideranter expecto partum victoriae et rerum summam ordine referentes et vale Margutiae. Nurenbergae XIIII. Februarii MDXXV.

Nr. 234. 28. März 1525.

An Amicus Taegius.

Cod. M. fol. 191 (42) a.

Clarissimo et praestantissimo viro domino Amico Taegio, oratori Mediolanensium, domino, amico et fratri optimo suavissimoque.

Salve, lepidissime vir, addo etiam Margutorum optime. Quanto maior est tua in me humanitas, tanto amplius me tibi

debere sentio. Quid autem maius in me conferre potuisti quam Caesaris nostri victoriam ipsa hora, qua ad vos delata est, ad me scribere, postea autem ordine singula referre. Utraque epistola, etsi opinione tardius reddita est, declarat tamen animum Marguticum sinceri et doctissimi amici. Percrebuit apud nos stupenda haec victoria illucescente tertia Martii confirmaturque freqnentibus postea litteris quorundam etiam militum praefectorum, sed quod senatus iste et optimi quique cives (nam omnibus his aut lecta aut interpretata est posterior epistola) uno ore affirmant nemo Amico Taegio pugnam Ticinensem dilucidius, ornatius diligentiusve in hunc usque diem ad nos perscripsit. Parum abfuit, quin impressoribus traderem: tam multi rogarunt eam sibi communicari, tam multi exscribendam aut alio mittendam curarunt. Quidam tardantibus tuis litteris dubitabant tantum rerum successum; quottidie rogabant litteras Marguticas, quibus omnes nos incredibiliter exhilarasti agimusque et habemus tibi publico nomine gratias infinitas. Nec pigeat te eius laboris: quod ad me scribis, sexcentis scribis. Pluribus scio tuam virtutem cognitam, sed et nostra amicitia, tua fides et singularis eruditio omnibus Caesarianis hic abunde perspecta est. Aliis dolet una mecum, tuam praestantiam tam diu apud nos, ut ita dicam, latuisse et non amplissimis, ut par erat, honoribus fuisse auctam; alii hortantur, ut tuam amicitiam multis nominibus ambiam confirmemque, ut undecunque de te bene mereri studeam, quantumvis frequenter ad nos perscribas: multum enim tribuitur tuis litteris tum fidei tum authoritatis. Quod non sum gravatus ad te scribere, ne te moveat noster Baptista asserens forsan nova tibi recenseri, quae iam nobis imprimuntur. Heus sunt illi nimis nova, qui tam gravate hucusque personam tulit, ut iuxta proverbium diutius ferre nequeat, alioquin bonus et utriusque nostrum amantissimus. Longe candidius sinceriusque sentit meus Anthonius Ventus, cui inter alia hanc qnoque Marguticam nostram amicitiam debeo et plurimum debeo. Is agnoscit dextram dei ipsamque Carolo orbis monarchiam decrevisse, et iam ab affectione liber totus in aquilana castra concedit. Quodsi par animorum inclinatio firmissimum amicitiae vinculum aestimatur, nihil opus est nostram amicitiam firmari: semper mihi tecum convenit Margutissime. Tu in omnibus litteris promisisti victoriam. Ego ad XI. cal. Februarias ad te scripsi in haec verba: Non dubita, crede mihi per Marguticam fidem, qui es Margutorum praesidium et decus, in agro Virginis arescet

lilium cuius ultima laus sub aquila volabit, et vivente gallo alius gallus creabitur; si pugnabit Franciscus, aut capietur aut ego nihil intelligo. Et in litteris, quas pridie cal. Februarias ad te dedi: Caesarianorum victoriam et pontificii excidium tam certa habui, ut nihil penitus dubitarim. Fluctuabant plerique inter spem et metum, alii deiecto erant animo audita pontificis et Italiae defectione, quos ego semper erexi et laetos dimisi quaeque prospera pollicitus, quibus iam habeor propheta. Sciebam enim antiquitus praedictum fuisse, Galliarum regem inter pugnandum in agro Brixiano captum iri; non ignorabam id genus sexcenta prognostica, quasi ex composito, omnia Gallis adversa; audieram Carolum natum in ruinam Helvetiorum et vindictam avi Maximiliani adversus Gallos. Constat paedagogum Burbonii matri inique ferenti, quod plus illi quam primogenito tribueret, praedixisse, futurum aliquando Carolum pauperrimum nobilem, futurum etiam potentissimum dominum omnium Galliarum. Non fuit astrorum ignarus noster marchio Pescheria, cuius ingeniosa strategemata dei opt. max. beneficio hanc nobis peperere victoriam, qui tota hac militia laetus vaticinatus est, futurum se instrumentum capiendi alicuius regis. Quod vero ad pontificii excidium attinet, aliquando scribam fusius, ne in praesenti tua abutar benevolentia. Quamquam autem certo constet Caesarem non minus didicisse victoria uti quam vincere, quemadmodum tamen uti decreverit, publico nomine et enixe te rogo, diligenter et quam primum ordine ad me, id est senatum hunc et optimum quemque, referes Nos interea principi nostro hunc felicissimum nuntium nedum campanis, focis, tympanis et bombardis sumus congratulati, sed et deo, a qui omnis victoria procedit, gratias agentes cuique pauperi elargiti sumus libras butyri duas. Signanti hanc epistolam noster Anthonius communicavit, quas ad eum dedisti XX. Martii. Vale, doctissime vir, et vale Margutissime in tertia generatione. Datae Nurenbergae V. cal. Apriles 1525.

Christoualo Schevrlo doctor
marguticamente abolzanato.

Nr. 235. 8. Februar 1528.

An Jobſt Ludwig Decius.

Cod. D. fol. 169 a.

Praestanti ac ornatissimo viro domino Jodoco Ludovico Decio [864]), regio secretario et historiographo fidissimo, domino et amico honorando.

[864]) Eine kurze Nachricht über ihn in Jöcher's Gel.-Lex. II. S. 60. —

S. p. d. Saepe mecum reputo [565]), tantas res nostra aetate geri, quantas vix alia aetas vel vidit vel audivit. Interea tamen vix unus aut alter prodit, qui magnifica gesta in litteras referat et quod ego sciam nemo Caesarum, regum aut principum eum honorem tulit, quo tu Alamanicus serenissimum regem Sigismundum decorasti illius tempora vere diligenterque describens. Multo autem maiorem gloriam referet rex et Sarmacia tua, si quod feliciter coepisti nedum in XXI. annum ut promittis, sed tota vita tua producas. Legi quae te retrahunt, sed ea pro tua sapientia moderari poteris: dandum est aliquid tanti regis, tanti regni honori sed et amicis quoque, cum nemo sibi soli natus sit. Quam obsecro magis egregiam navare poteris operam vel in quos fertiliores usus convertenda erat pecunia quam editione Mechoviensis [566]) et tuis sacratissimis annalibus, quibus universam Sarmaciam et tempora nostra prae omnibus coaetaneis plurimum illustrastis, vobis vero immortalitatem comparastis? Debet vobis inclytus rex, debent Jagellones omnes, debemus nos quoque qui tempora noscere cupidi sumus. Unde tuam humanitatem plurimum rogo, prosequere coeptum opus audacter, scribere non cessa, non desunt amanuenses: ita et perpetuo et valebis et vives. Non est nisi de transactis rebus integrum iudicium: sed forsan post mortem quis edet? et numquid praesentia quottidie praetereunt? vel saltem posteris praeterita indicabuntur. Quantum ad me attinet, certe Polonicarum rerum ab anno XVI. gestarum sum cupidissimus. Si adhuc in ordinem redactae non sunt, si publico donare nondum decretum est, utinam a te impetrare possim saltem brevem lectionem, qua re maximo me obligabis beneficio. Facit enim virtus, eruditio et humanitas tua, quam annales tui omnibus probant, ut audacter ad te scribam. Accedit utriusque amicissimi Wilhelmi Weidott auctoritas, qui vel mutuam amicitiam tuam promittit Insuper si ad me vel Germanice scribere iusseris, quae apud Polonos, Hungaros et Turcos geruntur, facile compensare potero quottidianis gestis Germanicis, Italicis, Hispanis atque Gallicis, modo tibi gratum intelligam (interea non te praeterit Catherinam Philippi Castellae regis posthumam ante biennium Joanni Lusitanorum regi matrimonio collocatam), qui eum me praestabo qui humanitate et amicitia tua haud prorsus sim indignus. Dominum Mathiam Mechoviensem doctorem et canonicum nominatissimum verbis meis

[565]) Cod. repeto. — [566]) Cod. Mochouienses. Matthias Mechovius' Annales Polonici und Historia Sarmatiae Asianae et Europaeae sind gemeint. —

saluta et litteras nostras boni consule, cui me trado dedoque. Datae Nurimbergae VI. idus Februarias anno a reconciliata divinitate M. D. XXVIII.

C. Schewrlius.

Nr. 236. 8. December 1531.

An Conrad Peutinger.

Cod. G. fol. 321 (340) b.

Domino Chunrado Peutingero Augustano, viro undecunque erudito et humano, patrono et amico honorando.

S. p. Bellum hoc decennale, quod Longobardis gestum est, scripsit Galeatius Capella multa quidem diligentia et fide, nisi quantum nostrorum gesta ut plerumque fit extenuat. Eum librum nuper ad me misit Mediolano affinis meus Erasmus Fuetrer, quem ego in multorum gratiam chalcographis nostris dedi iterum excudendum. Speravi autem tuae praestantiae futurum gratum, qui tempora nostra scribis et apud Germanos omnes in historia facile primas tenes: unde etiam tanto libentius ad te mitto, quod ab ineunte adulescentia tuam humanitatem praecipuum patronum delegi et certe ex animo colui, observavi, amavi. Audio praeterea apud Cremonam vel Brixiam scriptum esse iustum volumen de bello Italico vel forsan Europaeo, sed non prodituram nisi a Caesaris reditu in Hispanias. Si putavero prius ad me delatum fore, tuae quoque integritati mittetur, cui valde cupio gratificari et hospitalitati et benevolentiae tuae paratum devotumque animum regerere atque testari. Interea Eccius noster tuam chartam Germanicam, quod Celticum quoque furtum suspicatur, in publicum edi optat, nihil ambigens, te praeclara benemerita in litterariam rempublicam hoc quoque officio cumulaturum. Amicissimus meus Sebastianus a Rotenhann tibi salutem impertit. Vale, vir ornatissime, cum optima coniuge et liberis. Norinbergae VI. idus Decembris anno a partu virgineo M. D. XXXI.

Christopherus Schewrl, i. u. doctor.

Nr. 237. 26. März 1533.

An Erzbiſchof Albrecht von Mainz.

Cod. G. fol. 407 (426) b. Die Aufſchrift iſt von Scheurl's eigner Hand.

Herrn Albrechtn Cardinaln zu Maintz ꝛc.

Hochwirdigiſter durchleichtigiſter hochgeborner furſt, Ewr Churfurſtlich hocheit geruhen auf mein Jungſt ſchreiben den 11 dits genediglichſt weiter zuuernemen.

Den 27. februarij iſt ain gemaine puudtnus zw beſchirmung Italien nach langwiriger vntherhandlung zw Bononien verruffen vnd ſollen zw vntherhaltung des zwſatz erlegen vnd verſichern 84,000 ducaten, Irr ich nit, herr Anthoni de leua als Capitanio general In welſchen landen, vnd dan auf erfordrung der Notturfft alle monat ſo Vill, bennanklich vnſer her kaiſer 30,000, Bebſtliche hai. mit ſampt florentz 24,000, hertzog von Mailand 10,000, hertzog von ferrer 10,000, genua 5000, luca vnd piſa 5000. Sena iſt In ander weg angeſchlagen, Hertzog von ſaphoia ſo[l] zwey Monat bedacht haben. Genneſer haben das figln auf vnſers herrn kayſers ankunfft verſchoben, ob ſy Ringerung erlangen mochten In dem, das Innen ſonnſt mag auferlegt ſein. Venediger haben kainswegs mogen beret werden, weitter zubewilligen Dan Ir voriger vertrag mit vnſerm herrn kayſer zw beſchutzung Mailannd auß weiſt, vnd ſich Genua halben enſchuldigt Darumb das der furſt Andrea Doria den turckhen In Morea angriffen hat, wie wol das die vrſachen nit ſein, ſonder das ſy dem khonig von franckreich zw freundt behalten wellen, vnd ſtet mains bedunckens darauf, Bebſtliche hei. vnd ſie die Venediger beſorgen, hertzog von Mailand mocht ſchwacheit halben nit vaſt langwirig ſein vnd vnſer herr kaiſer als lehenherr das hertzogtumb eynnemen, ſie bederſeits mit dem khonig Reich Neapels In die mitfaſten [567]) vnd Innen, wie an Im ſelbſt dy warheit iſt, zw vill mechtig werden, das ſy kains wegs erdulden konnen, vnd derhalb practicirn, durch verheirathung weilandt des hertzogen von Orlientz ſeinen Vatter dem khonig von franckreich zw Lombardia zuuerhelfen, darnach die geſanutten Cardinel Thornon vnd Agromont zum hefftigſten arbaiten vnd anhalten.

Verner hat vnſer her kayſer einen anſtant erlangt zwiſchen Babſt vnd hertzogen von ferrer auf 18 Monat.

Von Concilion ſchreiben die walhen wenig vnd halten noch weniger dauon, doch hab ich ein vngeferlich ſchreiben geſehen, als ſolt ain Concilij bewilligt [werden] In dreien Jarn zuhalten zw Augſpurg oder Coln mit geding, das mittler Zeit die teuſch Nacion fridlich bleib vnd ſich verainig, damit dy fremden potentaten des ſchickens nit abſcheuch tragen, derhalb der preſident von Mecheln vnd ein Bebſtiſcher zw Churfurſten, furſten vnd ſtenden ſich zuuergleichen abgefertigt ſein ſollen.

Vnſers herrn kayſers beytochter hat am ſuntag Inuocabit zw Inſpruck die khoniglichen kinder eererbitlich haimgeſucht, gleich wol ſchreibt man noch wenig von Irer verheiratung mit hertzog Alixandern von florentz.

[567]) So Cod., wohl „mit faſten.“ —

Bebſtliche hey[t] hat vnſerm herrn kayſer zw gefallen den Biſchoff zw Barj Cardinaln creirt, vnd ſein abermaln In reden geweſſen hern Niclas von ſchonberg Ertzbiſchoff zw Capua vnd Muſetola, volgt aber nit.

Priſter Johanns botſchafft iſt verhort vnd M. gl[ter] herr Cardinal zw trient ꝛc. damaln auch In Conſiſtorio geweſenn.

Auch haben die finf ort vmb hilff angſucht vnd mogen villeicht In die pundnus genomen ſein, darumb das ſie ſich von den von Zurch vberfals beſorgen, die ſach vbel ſtet vnd v[e] lennger veſchwiriger wirdet.

So vill iſt mir vngeferlich von berurter tagleiſtung biſher geſchriben vnd das man achtet Bebſtlicher hay[t] vnd kay. Mt. ſeien mit aller ding woll zwfriden abgeſchiden, des pundnus Capitl vnd anderts gwart Ich hernacher.

Der babſt iſt auf Ancona zogen, das vor etlichen Monaten ſein treffenlicher haubtman, herr ludwig von gonzagen, Im ſchein eins geſprechs mit dem legaten In thuſcia vberfallen vnd aingenumen hat, der kurtzlich hernacher aus des . . . . . [368]) iſt ein vrfiner, des Babſt wiederwertiger, ſchlos mit archibus erſchoſſen iſt.

Es hat den laut gehabt, [kayſer] wurd den nechſten Alixandria zwziehen vnd daſelbſt der zeit des vberſchiffens Erwarten, aber ſein Mt. hat den weg genumen auf Modona, Retz, iſt zw Chromonaia [369]) einkhomen Den 7 dits vnd vollgend gen Mailand, daſelbſt oſtern zw halten vnd gegen dem Meien vber zw ſchiffen.

Dieweil aber der Jungſt Meilendiſch vertrag lautter auſweiſt, Das al Caſtellan vnſerm herrn kayſer gſchworn ſein ſollen, wo der hertzog on lehens Erben verſturb, das land ainzwraumen, zweiffel ich nit, ſein Mt. werd In dem vnd anderm guthe furſehung thun vnd den wiederwertigen practicken wiſſen zw begegnen.

Darzw hat Ir. Mt. 4000 knecht auf die Armada vnd den hertzogen del guaſto zw obriſtem Capitaneo verordnet, vnd armirt der furſt von daria mit ſambt den ailff ſpaniſchen 30 galeen vnd zw dem vorigen einen neuen galion vnd zwen galioten, wirdet darfur gehalten, ſo In vnſer her kayſer In hiſpanien gelangt, ſein Mt. werdt dieſe mechtige Armada In aphrica wieder den Barbaroſſa brauchen vnd In gwaltiglich angreiffen.

Die Rho. kay. [370]) Mt. iſt von linz mit ailff ſchiffen den 15 dits zw Wien ankhomen, aus vrſachen das ſy herrn hieronimo de Zarrea Relation auß Conſtantinopl den 23 Januarij auf der poſt durch Vngern empfangen hat Inhalds, das er doſelbſt den 11 ankhumen vnd als

[368]) Im Cod. ſteht: „abbatin dy verfare." — [369]) Modena, Reggio, Cremona. — [370]) So Cod. ſt. „ko." —

bald den 12 vnd 13 Januarij von Braim Waſcha vnd dan dem turckhen ſelbſt auf drey ſtund verhort ſey, der halb Im ein eerlich panget gehalten, ainen langwirigen frid verruffen, den Aloyſo Grittj auß offen, da er gwiſlich ob 12,000 turckhen ſtarck geweſen iſt, vnd ander ſein zugehorigen Vonn den grentzen abfordern laſſen vnd ain botſchafft mit benants Sarra ſun mit den frid Capiteln zw vnſerm herrn khonig abgefertigt, dem ſeien Mt. den Nicoliſch Jurithitz vntther augen geſchickt hab, ſie gen Wien zwbelaiten, In maſſen auch des Weida geſanten vntherhendler wiederrufft vnd zw preſpurg mit beſchwertem traurigem gemut zw ſchiff gangen ſein. Vnd wie man weiter ſchreibt, ſoll die Turckiſch botſchafft mit ſiben pferdn nun me zw Wien ankhumen ſein, aber der Capitl hab ich noch nit, ſonder gwart dero teglich, woll wirdet In gmain dauon geret, Hungerland bleib vnſerm herrn khonig, dagegen rumb vnſer herr kayſer dem Turckhen wiederumb ein Choron vnd anders in Morea, das gwiſlich ſein Mt. Dermaſſen beueſtnet vnd beſetzt hat, das ſie In langer Zeit kainer gefar gewarten.

Was von dem allem veruolgt vnd ſich weitter zutregt, ſchreib [571]) Ewr Churfurſtlichen Durchleichtikeit Ich mit erſtem hernacher vnd ſag dero vnterthenigſten danck der Reichen vererung des guthen ſtuck Weins, der her gott verleich mit gnad den Ewr Churfl. hochwirdigkeit zw eren mit Meinen guten freinden aufzutrinckhen vnd Innen abzudienen, Darinen wolt Ich ie gern mein vermogen nit ſparen, ſonder yeder Zeit bereit willig vnd gefliſſen erfunden werden, Vnd thu Ewrn Churfl. G. mich hiemit Vntherdenigſt beuelhen

Dathum Nornberg mitwoch noch annuntiationis [572]) den 26. Monatztag Marcij Anno getlicher menſchwerdung 1533.

Nr. 238. 26. Juni 1533.

An Erzbiſchof Albrecht von Mainz.

Cod G. fol. 422 (441) b.

Schreiben an Churf. von Maintz.

hillff mit großen volck vnnd gelt, etlich melden von 8 Milionn golds In ainner benannten Zeit, veruolg[t] Je lennger Jie mer, vermainen [813]) Etlich, Jr Maiſtet werdt Zu denn wettertagen Zu Neaples mit großer macht ankomen. Die verordnnent noch vir vnnd vir Groß ſuma gelts In Jr Maieſtet Italianſch Reich, Inn Jre niderlanndt vnnd auff augspurg [814]). Auch veruolgt Barbaroſſa Erlittnner ſchiffbruch vnnd das Inn ain große annzall ſeiner ſcheffgenoſſen vnnd kriegs vollgs am brechen vnnd hungers geſtorben ſein, Dauon vnd der Chriſten Eroberung vnnd außrichtung auff Jetzigen Zug ain venediſch ſchreiben zu wien getruckt iſt, des Verteuſchte Copienn euer furſtlichenn hochhait Ich mich verſihe bey nechſten zuſchicken.

Ertzbiſchoff von lunda iſt diſe tag auß Hiſpanien bey Remiſcher ꝛc. kunglicher Maieſtet Zu wienn annkomen, Brengt gnungſamen kaiſerlichen gwalt vnd beuelch die proteſtierennden ſtennd Notturfftiglich Zuuerſichern des fridens Vnnd ſtilſtannds bis auff erortrunng ains kinfftigen Concilionn, welchs außgeſchriben vnnd prorogirt iſt auß anngezaigten vrſachen biß auff oſternn, Vnnd von denn Reichſtennden hilff zubegernn wider denn Turckenn. Danneben ſchreibt man auß dem niderland, das die knecht beſchiden wern auff Punn vnnd Iſt ain Gulgiſche [815]) oder gelriſche botſchafft hie durch zogen zu Remiſcher [816]) ꝛc. kiniglicher Maieſtet ꝛc.

Her philopo Stroco von florentz, ainer der furnnembſten vnnd Mech[t]igſten Burger In halb Italien, auff ettlich hunderttauſen Cronnen Reich geachtet, ain haubt Der mediceß widerbart, der die freihait ſeins Vatterlannds geuochten vnnd daſſelb ain gutte Zeit bebſtlicher heiligkait vnnd kaſerlichen kriegsuolgt furgehalten vnnd Ettwan vor ainnem Jar liderlich Niderzelegenn vnnd bys her gefennglich enthalten iſt, fur Des ledigung kinigin von frannckreich auff anregen ſeinner Mummen der Dolfinin Jr erſte bet anngelegt, Welchs kaſerlichs Maieſtet bewilligt hat, ſol [817]) vernner hertzog Allexannders Mort Nich thailhafftig [ſein], Iſt der halben gefultort vnnd auff Erfindung ſeiner vnnſchuld von kaiſerlicher May. des lebenns geſichert, Im Caſtell zu florennz frey gelaſſenn vnnd herren [818]) Coſimo [819]) de medicis vonn florennz geſchennckt wordenn. als er [820]) aber ſollichs vermerckt, das er ſeiner [821]) vnnd des vaterlannds Lieberthet nicht [822]) zu theiln werden vnd villeich in ainem tieffen thurn erfaulen mieſt, hatt er Im ſelbſt denn 16 december ain ſtund vor nachts mit ainem meſſer Die gurgell abgſtochen, Das wol ain Erber[m]lich groß exempel iſt Des vnſtetten

[813]) Cod. „vermannen". — [814]) Cod. „alspurg". — [815]) Cod. „Gollguliſche". — [816]) Cod. „Renſter", — [817]) Cod. „hat So haben ſol". — [818]) Cod. „hertzen". — [819]) Cod. „Coſtmo". — [820]) Cod. „alſo". — [821]) Cod. „ſeinen". — [822]) Cod. „ſeinen".

glucks Vnnd der welt lauff. Er was ain gerad, ſchen, wolberedt, Namhafft, anngenem man bey meniglich, ain gutter theologus, Juriſt [823]), allerley ſprachen vnnd gutter kinſt Erfarn vnnd glert, ain Muſicus, ain gutter vechter, ain feiner wertner, ain ſchrein aller thugent, hat 6 oder 7 ſchenner gerader ſunn verlaſſenn, aber das iſt ſein ennd geweſenn Vnnd ſunderlich der ſelen verluſt mit leidenn zutragen, Das nit vnnzeittlich geſagt wurdet, Suma felicitas Inn felicitate Mori [824]) et ante diem vltimum nemo beatus dici poteſt.

Damit thu euer furſtlichen hochayt meinen gnedigen furſten vnd hern ich mich In vntherthenigkait beuelhen, die der guttig her got vor vbel bewaren well. Datum Nurnb. Dinſtag den 14 monats Januarij anno gettlicher menſchwerdung 1539.

Nr. 271. (Januar) 1539.

An Erzbiſchof Albrecht von Mainz (?).

Cod. 287 (K) fol. 278a.

Hochwirdigiſter durchleuch[t]i[g]ſter Hochgebornner Churfurſt, Euer Churfurſtlichenn durchleuchtigkait Sein mein vnntherthennigſt gannтz willig dienſt Zuuor berait. Gnedigſter Churfurſt, Euer Churfurſtlichenn hochait hab ich denn 29 December die kiniglichenn heirattenn vnnther annderm vnntherthenigligſt Zu erkennenn gebenn, Aber vergeſſenn, das Bebſtiſcher [825]) hailigkait Zuergetzlicheit Auinionn, Der griegs [826]) Thittell Zu parma vnnd placens In ainem Erbtittell der Remiſchenn kirchenn bewenndt vnnd darZu das hertzogthumb Vrbin auch gegebenn werdenn ſolten. Dieſelben des hernn Granuela Verzaichnus hab ich hernacher gleichlauttennd gehabt auß weſtphalnn, von denn Burgundiſchen Vnnd Colniſchen hoff herrurend Vnnd vernummen, das pabſt paulus ſeinen Son petter Alois Zu haubtmann wider vrbin gemacht Vnnd derhalb ſeinne Galleen, als ſie haimkomen ſein, widerumb armiern laſſen haben.

Ertzbiſchoff von Lundaw iſt Neulicher tag am Remiſchen kiniglichen hoff annkomen mit Notturfftigen kaiſerlichen beuelch vnnd gewaldt, Die proteſtierenden ſtennd bis auff ain Concilium, Dauon auff kinfftig oſternn Gereth wirdeth, Des fridenns genungckſamlich Zuuerſichernn vnnd vom Reich hilff wider dem Turcken Zubegern, vnnd hath kaiſerlich Maieſteth Zu haubtleuth verordent herrnn frannтz von Caſtelalt, Ecken vonn Reiſchach vnnd Mercken von Ems.

Fur vnnd fur wirdet geſchriben vonn kaiſerlichen Matt. Groß-mech[t]igſter kriegsruſtung Wider denn Turcken, das ſie vberauß groß

---

[823]) Cod. „Juliſt". — [824]) Cod. „More". — [825]) Cod. „Beblſcher". — [826]) D. i. Kriegs.

vnnd ſouiell gelts auff vnnd zuſamenn bring, als Imer meglich iſt, Vnnd der halben Zu Mailannd ettlich flecken, die Muntz vnnd was gelt gelten will verkauffen laß, Vnnd das Jr Maieſtet kurtzlich mit großer macht In Italian komen ſoll.

Jr Maieſtet hatt der mechtigſten vnnd furnemſten Burger einnen In halb Italia hernn philipo Strotzo Zu florentz veltern laſſen vnnd volgennt beuollen zurichten, das er aber nitt erwarten wollen, ſonnder hatt Im ſelbſt den 16 December ein ſtund vor nachts die Gurgell abgeſtochenn, iſt woll ein Erbermlich Groß beiſpill des vnnbeſtendigen glucks.

Was die Chriſtennlich Armada dieſenn herbſt außgericht Vnnd die Turckiſch ſchadens gelitten hatt, iſt Zu wienn getruckt vnnd durch mich Verteuſcht, das geruchen Euer Churfürſtlich guttigkait Zu Irer gelegennhait herenn leſſen [827]), Zuuerſichtig, ſie wern des Ergetzlicheit Vnnd wolgefallenn Empfahenn.

Ferner, gnedigiſter her, werdenn Euer Churfurſtlich gnnad vernnomenn haben, das kayſerlich Matt. die fortza nit allein Zu florennz ſonnder auch Zu piſa Vnnd ligorno Innen habenn, meinenn Ettlich, ſie werdt Tuſcana Irem Sonn Zu einnem kinigreich erhebenn.

Der prinnz Aurea hatt die kayſerlich Armada Zu Brundus gelaſſenn Vnnd iſt per Terra genn Neaples komenn, Auff kayſerlicher Maieſtett annkunnfft ZuZuriſtenn, vnnd wie vonn kiniglichem hoff geſchribenn wirdett, hatt Jr Mayeſtet vor achzig Tauſennt ſtarck wider denn Turckenn ZuZiehenn, Der verleihe Der guttig gott Victorj. Auch iſt her anndrea Grittj hertzog Zu Vennedig Zu weihennachten mit tod abganngenn.

Nr. 272. 6. März 1539.

An einen ungenannten Fürſten.

Cod. 287 (K) fol. 285b.

Durchleuchtiger Hochgebornner furſt, Euernn furſtlichenn durchleuchtigkait ſeienn mein vnntherthenig, verpflicht diennſt getreues vleis Zuuor berait, gnnediger furſt vnnd her, Vonn Ro[r]. kay. Mt. habenn wir Nhun mer ebenn lanng nichts nit ſounders gehabt, Dann Das ſie Inn arbait ſtehet, mercklich Suma gelts Zumachenn, aber in ſchlechter Riſtung ſey wider denn Turckenn, dann ſouil Im holand vnnd Selanndt beylaufftig hunder[t] vnnd Zehen groſſe ſchiff armirt werden. Der prinnz Aurea hat ſein armada Zu Brundus gelaſſenn vnnd iſt auff rom vnnd Loretho Zu lannd genn Genoa kommen, Was er vor hat, [hat] man bis her noch nit Vernumen. Die genn Vennedig

[827]) D. i. leſen. Cod. „laſſen“.

hanndelnn, brenngenn, Das Ire Schef ennlitzig [828]) haimkomenn, das ſie kein wiſcotti pachenn vnnd wol gar in kainer Riſtung ſeienn, Darumb viel vermuttenn, das ſie ſich mit dem Turckenn vergleichenn mechtenn, Dieweil die Niderlag der Specereien vnnd kauffmannßhandel Zu Irem entlichen verderbenn thut Raichenn, Das ſie nit erduldenn könnenn. Sie ſagenn weitter, das die frannßheſchiſch pottſchafft faſt hinvnndwider poſtier, gen Rom, Hiſpanienn vnnd Conſtanndinopel, Darauß etlich vermuttenn Ein practica eins gemeinnenn Turckiſchenn annſtaunds, wie ſich dann frannckreich gegenn kinigin Maria Inn beyſein Laſarus Tucher offennlich vernomen hat laſſenn, das berurther annſtannd Inn ſeinnenn hanndenn ſtehe, denn er vnnſerm herrenn kaiſer ſeins wolgefallenns erlanngen wol. Vonn dannenn viel ſchlieſſenn, Das diſes Jar kainn gewaltiger herZuch wider die vnnglaubigenn beſtehenn werdt. Gleich wol vernnemenn wir Vonn Namhafftenn guten leutenn auß polnn, das ſie ſich, got lob, vor dem Turckenn nichtz Zubeſorgenn habenn, aber Vonn Vennedig auß brieffenn von Conſtanndinopel, Das der Turck ein gutte anzal Neuer Galleenn Zurichten loſſenn vnnd Barbaroſſa ann Stat des abgeliepten Abraim Zu Obriſtenn Waſſa vnnd nechſten perſonn nach Im Erwelth hab.

Secretarius Merbelj Schreibt auff 16. vnnd 18. februarij auß brieffen von 23 Januarij von Tholedo, das vnnſer her kaiſer noch vnuerruckt doſelbſt Vnnd in kainer anndernn Riſtung was, dann gelt zumachen, het aber mit [829]) denn Spanniernn noch nichts nit beſchloſſenn. Der Margraff hanns albrecht Vnnd doctor mathias helt acht tag Zuuor ann kayſerlichen hoff annkomenn warnn Vnnd deßelbenn tags pfaltzgraff Friderich vnnd princeſſa annkomenn ſolthenn, welcher Rais vnnd Vncoſtenns ſich viel verwundertenn, vnd hat genn Neuen Marck hieuor gelangt, das beid Ir furſtlich gnnad auff denn pireneiſchenn gebirgenn auß verweilung verfalnner Mauleſelnn vnnd vbermeſſig ſchneuens vnnther ainem fels vngeſſenn vbernacht haben.

Er ſchreibt weitter Vnnd annder weith, das Bebſtlich hailigkait Verwilligt hab, mit dem Tholfin Zu diſpennſirnn ſein gemahel de Medicis, Dieweill ſie bisher vnnfruchtbar geweſen ſey, Inn ein Cloſter Zuthun, Vnnd annder weith zuheiraten, Inn Maſſenn auch kinig ludwig der Zwelfft gethonn vnnd ſeins vetternn vnnd geuatternn kinigk Carls wittib [geheirat], aber gleich wol kainenn Sun gebornn hat.

Vnnd wie ich Vermerck practicirt kinig franneiſcus denn Dolfin vnnſers hernn kaiſers frailein ains Vnnd deun Hertzogeun von Lothringenn die wittib von Mailanndt, vnnd hat den aid gennoſſenn al

---

[828]) Erſt war „einnzlyg“ geſchrieben, das wieder ausgeſtrichen iſt. — [829]) Cod. „nit“.

ir penſionn, ſo ſich auff 90000 kronn erſtrecken ſollen, Entlich abkindet, Auch hertzogenn Chriſtoffen von Wirthenberg, bin ich Recht berichtet, abgefertigt, beweiſt ſich allenthalbenn kayſerlicher Mat. beſten freundt. Die hat her koſmo de Medicis Zu hertzogen Zu florenntz beſtettet vnnd Inn vermehelt Ires vicere Zu Neaples Dochter, Aber Irer Mat. Beytochter, weilanndt Hertzogenn Zu florenntz, belobt ſich Ires herrenn Singnor Octauiann Varneſo des pabſts Eniglein bei weittenn nit ſo wol, als anndere furſten, Dieweil er mer nit dann 14 Jar alt vnnd Iſt Zu Rom ain genunng ſtille hochzeit geweſenn. Vonn dannenn hat Bebſtliche heiligkait den [830]) Cardinal auß enngellandt ver[t]laidet mit dreienn poſt pferdenn abgefertigt, kaiſerlich Mat., frannckreich vnnd Schattenn Zuerregen wider Engellanndt, der ſol aber malnn einnenn mechtigenn herrenn auß ſeiner freundtſchafft Metzelnn laſſen haben.

Euer Furſtlich hochait werdenn wiſſenn, das hertzog von Gullich tod iſt, vnnd das Die von frannckforth Irenn hauptman hernn Conradten von hatſtat Einnenn faſt berembten, Namhafften vnnd woluerdiennten Ritter gefangen habenn vnnd faſt hart haltenn, die ſag iſt, auff anregenn Euer furſtlichenn durchleuchtigkait vetternn vnnd aydenn, Darumb das er meinem gnedigſten herrenn Cardinalu von Maintz Reutter geworben haben ſol. Aber vom beſchluß der kayſerlichenn Commiſſarienn vnntherhanndlung haben wir noch nichitz, dann das ſich meins verhoffenns die ſachen mer Zu frid dann vnfrid, des wir nit von allenn thailnn notturfftig ſein, ſchicken.

Ich hab vnntherlaſſen, das Merbelius Meldet, ain vennediſche poſt Inn hiſpanien hab ſich Zu Mailanndt vornnemen laſſen, ſouernn kay. M. denn Turckenn mit gwalt angreif, wellen ſie Ir vermegen Zu Ir ſetzenn, wo nitt werdenn ſie getrungen vertrag annzunemen.

Die kaiſerin verhofft nunc deglich Zugebernn vnnd meiner gnedigenn frauen der Jungenn furſtin Contarfect findet Euer furſthlich durchleuchtigkait bey ligenndt, die der guttig her got Inn lanngwiriger geſundthait vnnd freligkait erhalten wel, dero ich mich vnntherthenigliich beuelhen thu. Datum Nurnberg Donerſtag nach Reminiſcere denn 6 Monatstag Marcij anno gettlicher mennſchwerdung 1539.

E. F. D.

Vnntherthenigerr getreuer
erb dienner
Chriſtoff Scheurl
der Rechten Doctor.

---

[830]) Cod. „dem".

Nr. 273. 12. April 1539.

An Paul Neudecker.

Cod. 287 (K) fol. 296 A a.

Ann Doctor Neidecker.

Inn Italia, ſonnderlich Zu Mailanndt hert mann Wenig vom Turckenn vnnd noch weniger vonn vnnſer gegennriſtung. Der printz oria Ruſt denn Groſſenn galleenn vnnd Zuricht Vermuttlich fur kayl. Mat. ainenn quinque Remenn bederſeits vonn funffZig palckenn vnnd 250 Rudernn. Venediger habenn ainn Turckiſche Bottſchafft bey Innenn, Werdenn Innenn wie mann acht frid ſchaffenn.

Merbelius ſchreibt, frannckreich hab ain Cardinal zu Bebſtlicher heyligkait verordennt, Diſpennſaeionn auß Zubrenngenn, Das der dolfinn ſein weib Inn ain Cloſter thun Vnnd vnſers herrenn kayſers freulein nemenn meg, Vnnd das Babſt vorhab auß Bononenn ſeinnem Eniglein Singnor octauiann varneſo vnnſers herrenn kayſers aydenn ain hertzogthumb Zumachenn Vnnd Dennſelbenn mit erlanngter kayſerlicher bewilligung parma Vnnd placens einzulibenn, Des ſich die bolongneſer Zum thail beſchwern, Derhalb etlich genn Rom erfordert, Verhafft, vnnd ettlich Enntwichenn ſein, Vnnd Babſt gedennck ſelbs genn Bonnonienn Zukomenn.

Inn Sicillienn habenn ſich die ſpanier Empört, zwenn fleckenn aingennomenn, geplundert Vnnd beſchedigt, Die hat der vicere mit gelt geſtilt, Die haubtleut als die auffwigler Gefanngenn, galleotiſch gekleidet Vnnd auff galleenn geſchmidt, kayſerlichs beuelchs gewartenndt.

Weitter ſchreibt Merbelius, kayſerlich Maieſtet het vonn Irer ſpanniſchenn geiſtlicheit Sibennhundert Tauſent ducatenn erlanngt, Aber die Ritterſchafft nichts geben wellenn, Es wur[d] dann wider argeri gebraucht, vnd wer 20 mal Vonn Toledo verruckt, vnnd die ſag ſie ſol genn parpingnan mit frannckreich ZuuntherRedenn. ſonnſt habenn wir, das Jr Mayeſtet durch die fucker Inn Vnnſere lanndt gewechſelt hab Zway hundert tauſennt guldin, ettlich meldenn auch Vonn welſeriſcheenn wechſelnn.

Die Schmalkalder Warenn komenn von einenn Ewigenn frid auff Zehenn Vnnd weniger Jar, letzlich aber auff 18 Monnath, Welchenn denn enntwerten gaiſtlichen ein Competenntz volgenn laſſenn, mit aylender Turcken hilff annligenn vnnd preuſſenn vnnd Temmarck villeicht auch fallenn laſſenn, doch mit vorbehalt ainer offnnenn hanndt, diſe 18 Oder Ja die 15 monath, ſo Jnenn bewilligt warenn, meniglich Zu Jnenn ainzunemenn, Inn Irenn Religionn frid Zubeſchlyeſſenn, wie ſie dann bey Irenn Teologenn In Rath fundenn, ſo fernn ſie bey verluſt Irer ſelen hail Niemanndt abſonndernn vnnd die pfortenn

der himeln Verſchlieſſenn, Welcher artickel dem Ertzbiſchoff vonn lundav kayſerlichem gewalthhaber keins wegs annemlich Was. Nichts Weniger Iſt vor acht tagenn ain Ritter auß paierlanndt hie durch [komen] 340 Braunſchweygiſche pferdt Zu vrlaubenn, Die ſambt anndern, wie mann ſagt hat, Zu denn 14 fenlein knechtenn zu Minſter vnnd hernn Jergenn Schencken Stathalters Jun frießlanndt kriegsuolg Stoſſenn hettenn ſollenn. Ob nun die hanndlung diſe tag zum beſchluß als zum frid oder vnnfrid gelannget hat oder Nachmalnn gelangen Wirdet, kann ich dits mals nit gruntlich wiſſenn. Datum Nurnnberg Sonnabet In albis denn 12 monnats tag apprillis anno gottlicher mennſchwerdung 1539.

Nr. 274. 25. April 1539.

An Erzbiſchof Albrecht von Mainz. (?)

Cod. 287 (K) fol. 309b.

Hochwirdigiſter durchleuchtigiſter hochgebornner Churfurſt, euer Churfurſtlich durchleuchtigkait ſeienn meinn vnntherthenigſt verpflicht diennſt alzeit getreues Vleiß Zuuor berait, gnedigſter her, Ich Zweifell Nit, euer Churfurſtlich hochait habenn mit ſonderm ſchrecken vnnd kumernuß Den abganng des fromenn Chriſtlichenn furſtenn meins gnedigenn hernn Hertzogenn Georgenn ꝛc. Hochloblicher gedechtnus vernomenn, Darann kayſerlich vnnd kiniglich Maieſteten ſampt dem gannzenn theuſchenn Lanndt ſer viell verlornn habenn. Er hat gelebt 67 Jar 7 monnat 20 tag, Regirt vnnd hauß gehaltenn Wie Euer Churfurſtlich gnad wiſſenn. Der guettig her got geruch der ſelenn gnedig Vnnd Barmhertzig Zuſein.

Mann ſchreibt, das auch die Romiſch kayſerin geferlich kranck ſey vnnd kurtzlich geperrn ſoll, ob Villeicht kayſerlich Mat. Deßhalbenn auffgehaltenn werdt waiß ich nit, Dann mann hert Ihe noch vonn kainer ſonndernn Schiffriſtung, Dann was die Inn portenn hin vnnd wider beſchehenn mag.

Merbelius, Mailenndiſcher Secretarj, hat ettlich Mal geſchribenn vonn einer bebſtlichenn Diſpennſacionn vnnd zulaſſung dem Dolfin ſein gemahell de medicis Inn ein Cloſter zuthun vnnd annder weib zu hairatenn, villeicht zu vnnſers herrenn kaiſers freilein, Vnnd das Bebſtlich Hailigkait vorhab, Irem Eniglein Singner Octauiann farneſo vnnſers herrenn kayſers aiden Bannonien zu einem Hertzogthumb zumachenn vnnd parma vnnd placenns zuincorporiernn mit bewilligung kayſerlicher Mayeſtet.

Vonn Vennedig ſchreibt mann, das der gritti einenn annſtannd auff zway monnat zu vernner hanndlung vom turckenn pracht hab,

Das Ire gutter In lennat *) ledig gebenn ſeienn, Das Singnnor Andreo Kaiſerlicher geſanntther Stattlich beger Zu wiſſenn, was ſich kayſerlich Mat., die Irs thaits ſouil Ir die pintnus auff leg gefaſt ſeien, zu Inenn [831]) den Venedigernn verſehen ſol, Darauff ſie anntwurtn ſolthen vnnd etwas geſpaltenn warn, Die Inn die Thurckey handelu begernn mit dem thurcken frid zumachenn, Die anndernn als gut kayſerriſch [832]) beſorgenn als dann denn vnnfrid vonn kay. Mat. Dem Zugegenn ſchreibenn vnnd treſtenn ettlich von ainem gemennenn Annſtannd auff zway Jar der Chriſtennlichenn potenntatenn mit dem Turckenn, Meldenn auch von furgaung beſtenndiger freuntſchaft vnnd ainigkait kay. May. vnnd kinigs vonn frannckreich, die ſich ſambt Anndernn wider Enngelannd Verglichenn haben ſollenn, Dagegenn ſich frannckreich aller Juriſdicionn fordrung wider Zu Italienn Vonn Neuenn verziehen thue.

Wiewol ich des kainenn gewiſſenn grund hab, [hab] Ichs doch nit vnntherlaſſenn mogenn E.er Churfurſtlichenn Durchleuchtigkait annzuzaigen vnnd derſelbenn mich vnntherthenigſt zubefellen, Die der guttig her Got In langwiriger wolfart geruh gnnediglich zuerhalten. Datum Nurnb. freitag Sannt Marxenn den 25 Monats tag apprillis anno getttlicher Mennſchwerdung 1539.

Nr. 275. 19. Mai 1539.

An Erzbiſchof Albrecht von Mainz.

Cod. 287 (K) fol. 314b.

Hern Albrechten Cardinaln.

Hochwirdigiſter Durchleuchtigiſter Hochgebornner furſt, Ewern Churfurſtlichenn Durchleuchtigkeit ſeienn mein gantz Vnderthenig willig dienſt alzeitt ſchuldigs vleis Zuuor beraith, gnedigſter Churfurſt, Vonn keyſerticher Mt. Vnnſer aller herrenn haben wir wening ſonnders, Ir Mt. was noch Inn Caſtitien ſchicket ſich zu keinnenn vberſchiffenn vieleicht Dieſes Jar, het Irer gemahetnn zugeſagt, bey Ir zubleibenn, Die nehennet zu der gepurt vnnd was nit einnem geferlichem verzerendem fieber genant Etica beladenn.

Keyſerlicher Mtt. Orator andolot was vonn Venedig vnnd Rom widerumb nach Hiſpanien Poſtirt, gut leut meintenn, es wurd ein zwiJeriger frid zwuſchen keyſerlicher Mt. vnnd dem Turckenn gehandelt, Die Venediger aber habenn einnen frid auff 4 Jar beſchloſſenn, gleichwoll hinter keyſerlicher Mt., Darumb ſie deſtweninger dauonn laſſenn laut werdenn, gleichwoll was Barbaroſſa als vonn Natur ein beſer venediger Inn Ir port zw Corfun vngewarnt eingefallenn vnnd het Inenn bey funff Galleen zu grundt geſchoſſenn.

*) So Cod. „leuant"? — [831]) Cod. „Irenn". — [832]) Cod. „kayſerrichs".

In Hun[g]ern vnnd Oſterreich iſt es des Turcken halbenn ſo ſtill, das ſie auch verhoffenn Dieſes Jar frid zuhabenn, woll habenn aber die Turckenn ein frantzhoſiſch Scheff, ſo aus Marſilien mit viell kauffmanſchatz vnnd gelts nach lefandt nauigirn wollen, gefaungenn, vorn an Etlich meinnen, Das Bebſtlich heiligkeit vnſerm herren keyſer verarg, das ſie mer gena[i]gt ſey wider Denn Turckenn Dann Enngelant zukriegenn, welcher fur Den Rechten Turcken zuachten ſey, Der thut allenthalben auch Jnn Dieſenn landen groſſe kriegs prouiſion.

Mereres habenn wir [833]) meins bedunckenns Dits mals nit bey vnns, was aber weitter herlanngt, bleibt Ewer Churfurſtlichenn Durchleuchtigkeit vnuerhalten, Dero ich mich derſelbenn getrewen Dienner vndertheniglichſts beuelhen thue, Die der guttig her got Jnn lanngwiriger wolfart gnediglich geruch zuerhalthenn. Datum Nurmberg Montag nach Exaudi Den 19 Monats tag May Anno gotlicher menſchwerdung 1539.

Nr. 276. 15. Juli 1539.

An einen Ungenannten.

Cod. 287 (K) fol. 320b.

S. Quas tu inscripsisti X. cal. Sextiles, pridie mihi redditae sunt, accepi etiam antea priores litteras tuas. Ludovici Bavari collega in sacri imperii legatione ad Ferdinandum et Hungariae proceres anno abhinc decimo septimo cum Cuspiniano haud vulgarem constitui amicitiam: ab eo tempore hominis humanitatem et eruditionem reverenter adamavi. Hoc commune habui, quod uterque natus videtur devotus Austriacus et ei familiae deditissimus, quae naturae similitudo nedum amicitiam auxit sed et dolorem meum, nempe tot vigilias, tot labores inter pulveres delitescere et . . . . . [834]) confectos. Filium, qui illos ducentis aureis aestimabat et non omnibus fidebat, crebris litteris diligenter monui officii sui, tribueret hoc ossibus paternis, non amitteret tam praeclaram de rep. litteraria bene merendi occasionem, pluris faceret gloriam domus suae et longaevam memoriam auro modico et caduco, caveret paternarum manium indignationem. Ipse aliquot annis sed frustra alitus spe magnorum principum ingentis remunerationis, tandem victus fideli mea diligentia mihi libros concredidit, ab amicis persuasus, sed ea conditione quam accepisti, unde certe iucundiss. nobis nunciasti, gaudeo et magnas tibi gratias ago habeoque, quod tuae industriae quae omnia mihi promittit nedum chalcographus contigit sed et egregius

[833]) Cod. „mir". — [834]) Lücke im Cod.

corrector, qui autorem novit et suo merito probat: tali nobis opus erat opera, qui typographi errata curet, sed etiam quid edendum quid supprimendum examinet; multa enim scribimus quae in publicum prodeuntia *) deliberatius oblinimus [835]), et ipse Cuspinianus historiae suae nondum ultimam manum imposuerat. Recte igitur fecerit Gerbelius [836]) noster hoc officio suo, cuius arbitrio tum autoris tum operis praefationem praemitto nihil diffidens, quin ita moderaturus sit ut nostris neque dissentiat neque superfluat. Quod [837]) me attinet, clarissime vir, undequaque se ostentat egregia tua humanitas et benevolentia; heredis stipulata dedicationis nedum nobis permittis, sed et operam tuam polliceris qua te intelligam summo studio voluisse gratificari mihi et voluntati meae obsequi: de qua re item tibi debeo gratias ingentes. Quid retribuam, nisi quod rursum me tuum et familiae tuae deditissimum profitear? Eo vehementius tuam operam desidero, quod Cuspinianum non legi neque vidi prius [838]) quam mox acceptum tibi misi. Id inde curari possit, si librarius ut plerumque fieri solet vacuo folio dedicatorio [839]) finem libri expectaret: interea bonae partis videndae mihi copia fieri posset. Rogo autem te, ut mihi amice consulas perscribasque [840]) obiter, quo modo tu dedicaturus eras operas istas Ferdinando: nam inde argumentum intelligam et quod imiter atque decerpam habebo, forsan non minus gratificaturus regi, si volente Cuspiniani filio honos iste regiis filiis cedatur, quod mihi non parum arridet. Ceterum accepta sententia tua liberationem meam tuae limae subiiciam, sine [841]) tua auctoritate nihil constituam. Habes, quid velim. Quod reliquum est, non errasti quod sciebas gavisurum me tibi natam filiolam salva parente, gaudeoque [842]) etiam scientiam tuam, amici scilicet officium. Congratulatur insuper Coleri vidua utrique vestrum. Deo habenda gloria, qui faxit videre te generum, nepotulos et pacem super Israhelem. Quando autem tibi commodum fuerit, expecto Mecovium [843]) et reliquos libros meos, Capellam vero spero tua promotione rursus prelum subiturum aliquando addita praefatione Italica, ut ei quoque amico fiat satis. Vale, vir ornatissime, uxor et filii plurimum salutare te cupiunt cum puerpera et filiolis. Iterum [844]) vale et me mutuo ama. Nurenberg, ex aedibus nostris idus Quintiles anno MDXXXIX.

Amicus tuus Christophorus Schewrlius
i. u. doctor manu propria.

*) Cod. prudencia. — [835]) Cod. obliuimus. — [836]) Cod. Herbelius. — [837]) Cod. sed. — [838]) Cod. fidi ferius. — [839]) Cod. filio deducatorio. — [840]) Cod. Consules perscribasque. — [841]) Cod. siue. — [842]) Cod. gaudeo quod. — [843]) Cod. Meconicum. Es handelt ſich vermuthlich um eine Schrift des Matthias Mechovius. — [844]) Cod. Item.

Nr. 277. 12. Juli 1539.

An einen Ungenannten.

Cod 287 (K) fol. 321b.

Reverentiam debitam. Plures mihi sunt dei benignitate tota Germania patroni et amici, quorum tua praestantia senior est quam colui et amavi annis XXXXIIII. Unde litterae tuae iucundissimae mihi fuere et tanto iucundiores quanto maiorem mihi faciunt spem initurum me gratiam reverendissimi electi praesulis nostri, cuius humanitas [845]) et egregia virtus [846]) plane mihi dudum cognita est, cui episcopatum quem longe ante meruit quam accepit nuper per litteras congratulatus sum, speroque Ennium meum reddidisse, sed ei litterae meae cum quibusdam aliis allatae sunt Herbipolim pridie quam ille discederet: miror illi transmissas non esse quibus omnibus significavi [847]) me illius amplitudinis futurum fidelem servitorem, speroque non prorsus inutilem. Feci autem ingentem iacturam, amisi plane opt. principem qui me [848]) inter charos servitores annumeraverat, quod saepe manu sua testatus est; quae clades ingenti me affecit [849]) dolore: sed habeo hoc commune cum Carole Caesare, cum Ferdinando rege, tota Germania cuius decus erat, cum nobili Misna et certe cum omnibus bonis. Sed ista fuit voluntas divina: sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Quo in statu reliquerit provinciales, abunde testatur epitaphium Christiani principis, quod ego nepoti meo Alberto quem suavissimi filii loco habeo transmisi tuae paternitati communicandum, ut ita ansam haberet se [850]) tuae familiaritati insinuandi et ipse quoque [851]) bonus Truchses evadendi. Quod si Eccius interceperit, aliud mitto, mox missurus quae tuus Ahawsensis faber in illum edit: nam sub prelo est. Intelliges etiam ex his quas nuper ad me dedit doctor Cocleus, quae reverendissimo nostro significabunt binas suas litteras mea cura fideliter illi redditas, ea fide ceterae quoque reddentur etiam absque proprio tabellario: nam Bacchum meum exploratum habent plerique nuncii. Litteras Ambrosii Gumpenpergii et Veronensis episcopi hac hora misi antistiti Misnensi et Cocleo: illius et Vicelii litteras brevi expecto, quas ni fallor reverendissimus quoque praestolabitur. Quod noster Eccius non multum tribuit comitiis nostris litterariis, forte certior factus est Eccium et Lutherum ex stipulatu eo conventu seclusos esse,

[845]) Cod. humanitates. — [846]) Cod. virtutus. — [847]) Cod. significari. — [848]) Cod. non. — [849]) Cod. non affuit. — [850]) Cod. si. — [851]) Cod. quo.

quod aiunt utrumque a recto tramite nimis deviare. Nostri in ea opinione sunt theologos et proceres Noricum advolaturos sed non proximo mense, forte Jacobum apostolum cui isti parum tribuunt [852]) expectabunt. Quid profecturi sint, scire non possumus, cum caeli facies nondum videatur mitior, et quod deterius est sacrum euangelion non est in litteris sed [853]) in armis: Christum quaerimus et suum verbum, ut sub hac umbra aliena rapiamus, seditionem excitemus et tumultum, ut ita detur [854]) occasio conspirandi, addo etiam rebellandi et dominandi, ne dicam libidinandi et pro nutu nostro omnia invertendi. Caesar se [855]) Italiae navigationi accingit forte a nobis quoque non longe abfuturus [856]), cum Turcis quibus se dedidit Jo. Catzianer communi omnium sententia inducias pepigit, de Gallo non dubitat, cum Anglo qui dicitur reverendissimus novam affinitatem tractat. His constitutis ni fallor intendet relligionis causae, nisi forsan totam Germaniam amittere velit. Interea ex aula sua dimisit Federicum Palatinum cum nepte VIII. idus Maii, asserens ipsum apud inquisitores suos tueri non posse, ceterum futurum propitium: quippe organista in Novo Foro qui nuper vita functus est scripserat progressum Lutherismi concapellano suo, qui rem aulae detulerat, unde eum quoque in reditu ferunt mortuum laqueo scilicet et Palatinum pridie applicuisse Haidelbergam praemissa coniuge. Eo accelerare dicunt consules Ambergenses et Novoforenses principem suum informandi et mitigandi gratia. Haec iam tertio et constanter ad me delata sunt, quae tamen non affirmo: tantum nostro episcopo et tuae humanitati, ut petis, fidenter scribo; nollem enim me authorem esse eius rumoris. Sed redeo ad Eccium. Saepe ille habet nova Auripolitana, ne dicam parum constantia. Si credit Caesarem non subscripsisse articulis Franckfordensibus, certe errat: ab omnibus recepti sunt. Eorum admonet Ferdinandus etiam [857]) Henricum, ut ecclesiam Misnensem [858]) non innovet: exemplar litterarum penes me est. Ea occasione missus exercitus Westvalis. Quid? Henricus Braunsvicensis indignabundus praefert ad Carolum valde accelerans. Quae reliqua apud nos his diebus fuere, scripsi Alberto filio, ut Eccio referret, ut ita hominem sibi conciliaret. Hunc tuae paternitati commendo, pupillus est: nam Francus Abspergius innocentem patrem durissimo carcere et compedibus maceratum crudeliter occidit: ebrius scilicet sagitta confossus [859]) est, nam

[852]) Cod. tribuitur. — [853]) Cod. qꝫ. — [854]) Cod. datur. — [855]) Cod. Cesarex. — [856]) Cod. abfuturos. — [857]) Cod. rerum. — [858]) Cod Misnensis. — [859]) Cod. confessus.

eam dei indignationem meruerat, quod plane horrendum est. Nunc Lazarus in sinu Abraham divitem videt. Quicquid in hunc contuleris humanitatis, in me duplum contulisse ne dubita. Cum tertia parte postillae Vicellianae et edendis libellis recompensabo aureum: longior quam constitueram abusus sum tua humanitate. Facit hoc meus in te inveteratus amor et devotio: nonnihil in causa est, quod sperabam me his non displiciturum reverendissimo et plane nobilissimo episcopo nostro, cui praestantia tua me non vulgariter commendabit, oro et rogo. Bene valeat amplitudo tua, cui me dedo. Ex aedibus nostris in profesto S. Margaritae anno a reconciliata divinitate MDXXXIX.

Tuae r. paternitatis devotus
Christophorus Schewrlius,
i. u. doctor.

Veterem quoque amicum p. p. Kilianum Leib verbis meis plurimum cupio salvere congratulorque episcopum faventissimum: nam cum doctos [800]) ipse doctus colat et faveat, non dubito habiturum Kilianum charissimum.

Nr. 278. 9. December 1539.

An Stephan Wild.

Cod. 287 (K) fol. 333a.

Doctor steffann Wild.

Erbarer Hochgelerter, Euer Erbarkait sein mein gannţ willig diennſt alles Vleiß Zuuor berait, ſonnder leber her vnnd gutter freundt, auff euer begernn anuzaig Ich euch Inn ſuma, Das vnnſer her kaiſer vnnd kinig frannţiſcus enntlich vertragenn vnnd verglichenn ſein, alſo das kinig philippus vonn Hiſpanienu Freulein Magdalenna Des kinigs tochter vnnd herwiderumb ſein ſun hertzog vonn Angulemo kinig ferdinnanndus Tochter vnnd Zu heirath gut, doch mit ettlichenn gedinngenn Mailanndt habenn ſol, Darauß dann mer hairaten verendrunng erfolgenn mechtenn.

Vnnſer her kaiſer vnnd franncfreich habenn ein gewoltigenn Turckennzug beſchloſſenn, Merkes de gwaſto zu oberſtenn hauptmann anngeſehenn, ſtehenn Inn arbeit mer potenntaten Zu Innenn zuziehenn vnnd der geiſtlichenn gutter Zu hilff annzugreiffenn, haben Ire ſtatheltere In Lombardienu vnnd podemont Zu den venedigern verordennt, ein wiſſen Zuenntpfahen, was ſie ſich haltenn wellenn, vnnd die Rottuifft mit Innen Zuhandelnn. Auff ſolchs hat kay. Mgt., dero der Dolfin, ſein bruder hertzogenn Vonn Angolemo vnnd gran

[800]) Cod. doctus.

Amiral bis genn bardwius enntgegenngeritten ſein, furgenumenn auff 15. Nouennberis vonn Madril Zu Ruck vnnd vngeuerlich mit 3 pferdenn Vnnd durch frannckreich In Ire Niderlanndt Zupoſtiernn Vnnd gewißlich zurueſt vnnd teglich Die Vorreitter annkomen. Gleichwol bedunckt mich, ſollchs wel ſich etwas verweilenn, Darumb das geſagt wil werdenn, kinig vonn frannckreich, Der ſich genn pariß fuernn hat laſſenn Doſelbſt Zuwarten, ſie mit ſchwachheit beladen.

Der her Tomis [881]) hat Die gemeine haubtleut gen Eßlingenn beſchribenn, wie mann ſagt 20 feinnlein kunecht annzunemenn, vnnd das hertzog Heinrich vonn Braunſchweig verordennt ſei executor wider ni[n]denn, Des ich doch keinenn grund hab. Wol waiß ich, Das kinig ferdinannt auff vnnſers herrenn kaiſers annzug warttet, ſich als dann auch In die Niderlanndt zuuerfugenn, Dohin mer gewaltige heubter kumen vnnd gemeinner Chriſtenheit wolfart, noturfft vnnd Einigung hanndeln ſollenn, vonn dem mann hernacher weitter heret. Der guttig her got Verleihe ſein gettlich gnnad vnnd ſei mit vns allenn. Datum Nurnnberg Dinſtag nach Concepcionis marie denn 9 Monnatstag Decemberis Anno gettlicher mennſchwerdung 1539.

Nr. 279. 13. Februar 1540.

An Johann Eck.

Cod. 287 (K) fol. 348b.

Reverendo patri et egregio viro domino Joanni Eccio theologo, protonotario apostolico, vicecancellario et ordinario Auripolitano, domino et fratri honorando et charissimo.

S. p. d. Non dubito praestantiam tuam, frater Ecki, et communes amicos cupidos certiores reddi actorum regiorum. Quod autem illa tuae amplitudini in tanta amicorum turba brevibus describere institui, in causa est, quod tua commendatio reverendissimum Eystetensem et plerosque bonos viros mihi conciliavit amicos. Res igitur sic se habet.

Ubi inclytus senatus accepit, regem et dominum nostrum Federico Palatino qui subito in balnea Nigrae Silvae discessit gratias egisse et recto itinere huc advolaturum uti amicum et ut regiis verbis utar als ein postpotten, certe omnes humanos honores illi ut par erat decrevit. In primis adornatur ecclesia S. Petri, cui ante annos 116. canonizatus S. Seboldus successit tanquam sponsa viro suo. Deferuntur sacrae reliquiae imperiales, convenit clerus totus clericaliter vestitus et Romano more psallens,

[881]) Cod. „Tonuis".

selectissimi musici, organistae, tubicines et qui utuntur tympanis chordis et cymbalis bene sonantibus: his demandatum erat Te Deum Laudamus, tenentibus 40 pueris rubeo vestitis accensas faculas. Instruuntur vici [862]) frondibus, potissimum regius, qui ex arce prae foribus nostris ad palatium et forum ducit, ubi appenduntur sex circuli (festones dicunt) cum armis regibus toti frondati annexis omne genus pomis, quae plane naturalia dixisses, uti olim Zeusis aves fefellit. Ceterum miro artificio instructa erat arcis porta tota Austria, omnia plena erant laetitia: tota civitas exultabat prae gaudio videre salutare suum.

Mittuntur Clemens Volckamer VIIvir et Sebaldus Haller 24 equis armati et rubei vestiti excepturi principem in Sultzpach et deducturi ad Noricos limites, si forto illum movere possent medio itinere pernoctaturum. Verebatur nempe providus senatus, si septem miliaria tam brevi die tam lutosa et aspera via quam rex aliquantisper pedes confecit peragranda forent, non venturum regem nisi nocte et ita, sicut evenit, non commodum fore ecclesiasticis ceremoniis more priscorum imperatorum detineri atque remorari. Sunt tamen qui asserant, illum ita cum episcopis deliberasse, qui ni fallor facile in aliam sententiam per amicos, modo illis tantum fidei adhibitum fuisset . . . . . [863]) regium prandium paravit et regem cum suis pro virili excepit atque tractavit, qui postea ad primum ferme lapidem abhinc obvios habuit quinque VIIviros ad genua provolutos commendantes catholicam remp., quibus per vicecancellarium doctorem Genger benignissime respondit. Comitabantur patres conscriptos ferme trecenti cives equites rubeis vestiti demptis primoribus qui nigris induebantur: per medium istorum progressum est agmen regium.

Ubi perventum est ad portam Feminarum, cui Madalenae paenitentes nomen indidere quae [864]) antiquitus nondum muris prorogatis extra civitatem in silva habitantes et in concilio Lugdunensi abrogatae S. Clarae cessere, Bernardus Paumgartner VIIvir cum universo reliquo senatu Ferdinando a deo coronato almam urbem dedens, professus et recognoscens totam Caesaream atque regiam praesentavitque baldachinum rubeum Damascenum, cui insidebant omnem regionem versus aquilae quattuor atque pulchre [865]) denotantes orbis principem, quod gestabant quattuor consules. Rex, ut plane est omnium principum humanissimus,

[862]) Cod. vicus. — [863]) Im Cod. iſt die Lücke nicht angedeutet. — [864]) Cod. qui. — [865]) Cod. pulcher.

pro sua incredibili benignitate et quadam hilaritate singulis senatoribus, etiam octo artificibus, qui pro plebe ubi volunt senatum ingrediuntur, manum porrexit.

A porta usque ad arcem astabant in duobus ordinibus plus minus mille sexcenti pedites, ferme hellebarderi et armati cives, pro virili bene vestiti. Declinabat ferme dies in crepusculum noctis: caelum vero plusculis diebus turbidum et pluvinosum mirum qua serenitate subito affulserit, ac si terreno principi arriserit atque congratulatum fuerit.

Ingrediuntur primo familiae baronum, episcoporum, oratorum, deinde proceres et regii aulici, regii caballi, marsalchus cum ense nudo; post hos divus Ferdinandus omnia summa diligentia spectans atque admirans cum equo [866]) hinc inde gyrans, modo huc modo illuc vagans, ut plerumque turbaverit et haud parum negotii fecerit caeliferis. A tergo regio haerebant oratores pontificius et Venetus, meus antistes Tridentinus, qui tum primum in aulam venerat et ad secundum lapidem regem humanissime exceperat, praesules Rabensis qui cancellarius Hungariae est et Vienensis cui datus est coadiutor Nausea. Penes hos equitabant quinque primores urbis, more patricio vestiti, equis tectis cum binis satellitibus: totum agmen regium claudebat equitatus Noricus. Ubi Tridentinus praesul conspexit arcis portam, a tergo rogavit regem, quid sibi de tanto apparatu videretur. Conversus rex ad oratores et episcopos inquit: Certe Norinbergenses semper me amaruut et ego illos. O regium oraculum! o vocem dignam rege maximo! Neque falsus est bonus rex: dispeream, ita me deus amet, si scindas corda optimatum, civium et plebis, non videbis nisi aquilas Rhomanas, nisi tripartitum scutum rubeum et album. Malumus omnes quotquot sumus, si opus sit, cum nostris vere sanctissimis principibus periclitari quam cum perditissimis sectis et coniuratis, si possibile foret, salvi fieri.

Ubi rex paululum quievit, offeruntur illi senatus nomine quinque vasa portatoria referta piscibus. Possem tibi, Ecki, referre triginta unum genera piscium quos Peguntia alit, sed hi fuere omnium grandissimi, selectissimi atque praestantissimi. Post hos ducebant quaterni spectabiles equi quinque currus coopertos rubeo et in medio panno albo: priores duo onusti erant octo legellis vini Cretici, Tergestini et Genuensis de Taiga, in medio illorum quattuor vasa Renensia, Rinckauria [867]); reliqui [868]) tres avenam vehebant.

---

[866]) Cod. equeo. — [867]) Rheingauer? — [868]) Cod. Requi.

Habes acta diei sabathi; nisi molestum sit, exponam etiam quae dominica Esto mihi in deum protectorem gesta sunt: sed video te super modum avidum et uno hiatu nostra legere, quid igitur moror cui semper suavissimum fuit Eccio [869]) placere et morem gerere? Vix horam illucesserat [870]) dies, ascendimus Hierosolymam. Ego principem meum Tridentinum, quod meum erat officium, comitatus sum obsequiose: episcopi et oratores introeunt in regium cubiculum, proceres et aulici praestolamur in anteriori stantia. Prodit sincerus rex in publicum. Tenacis memoriae, quod cum divo Maximiliano commune habet, non viderat fratrem tuum in XVIII. annis nisi sacri imperii oratorem principis tui Ludovici collegam ad Ungariae et Austriae proceres et in comitiis Augustanis, subito me dextera manu complexus est humanissime: fui enim secundus, quem tum ea benignitate dignatus est rex catholicus. Ibi liberum fuit cuique susurrare in aures regias, ut est princeps facilis, benignus et omnium laboriosissimus, nullius rei minus patiens quam otii et quietis. Rex accersito doctore Georgio Genger aut Presingero, quem novimus in Hispaniis, qui magna authoritate officium gerit Stebelmeister, mandavit quae fieri voluit atque in cubile rediit expediturus quae magis urgebant.

Hic ego opportunitatem [871]) nactus filio doctoris Iheronimi Moroni, cuius prudentia apud Insubres plurimum valuit, oratori pontificio, gratias egi quod in amici causa familiarissime ad me scripserat. Is in universa aula bene audit, gratus est atque plausibilis, tum regi tum proceribus acceptus, humanitate et eruditione praeditus. Mox conveni antistitem Vicnensem. Sub primum congressum iudicavit me ex epistolis forte apud Eccium recitatis bonum catholicum, quod certe divina beniguitate commune habeo cum universa patria mea. Deinde subiunxit, nos non longe abesse a regno dei, quod cum ego super cenam repeterem respondit amicus per iocum, quae illi obtulimus honoraria fecere nos propinquiores caelorum regno decem vel duodecim leueis, id est Gallicis milliaribus. Ego vero, ut lubens solco de amicis loqui, sermonem movi de Eccio nostro. Respondit Vienensis, parum laudis etiam apud suos consecutum Ahausensem fabrum [872]), argumentum revocasse iam sopitum et obliteratum, haud ita dignum tanta exclamatione, ne dicam

---

[869]) Am Rande ſteht noch amico, aber ohne Andeutung der Einſchaltung. — [870]) So Cod. — [871]) Cod. oportunitate. — [872]) Vgl. Wiedemann, Dr. Joh. Ec, S. 635.

insania, optare se Eccio modestiam. Respondi, supra multorum expectationem illum maxima usum clementia. Vultu et primo intuitu prae se fert Vienensis incudem, malleum et nescio quid fabrile magis quam ingenii acumen: sed et Thomas Aquinas corpulentiam excusabat, quod curbita crescat, etiam si non pascas. Mihi iam in senium vergenti oculi sunt nonnihil lippientes, attamen visa est mihi Vienensis Domascena vestis aliquantulum lacera, ne dicam uncta etiam, more [873]) scilicet theologico Auripolitano si Cressio credes. Deinde sua sponte salutavit nos Venetus orator collaudans linguam Italicam, relatu scilicet Tridentino.

Sub haec rediit sanctissimus dominus noster molem Adriani e fenestra spectaturus: illuc advolans ex hertzog Aurach antistes Bambergensis regem salutavit, stipatus quattuor canonicis, comite Christophoro Hennebergio, Caspare a Monte, Papenhemio magistro curiae de Thurn, praeposito nostro S. Gangolphi et plerisque aliis. Audio hunc per amitinum meum Sigismundum Pfintzing donasse regi centum praegrandes lucios, sexaginta forhe[l]n et optimos carpones.

Postea discessum est ad missam in capella arcis admodum vetusta lectam, quam devotus rex audivit et vidit desuper in oratorio regio antiquitus ad hoc destinato et recluso. Bambergensis qui primas tenebat illi dedit aquam benedictam more Romano non inscius tantum Christi crucifixi sanguine deleri nostra crimina, porrexit etiam evangeliorum librum deosculandum. Finito sacrificio intromissi Brandenburgii suum quoque principem invitare, quod rex gratum habuit, negavit tamen non semel sed iterum: constituerat enim venire in Winsshaim, Mergetum, Mospach et quarto die Haidelbergam, mutavit tamen paulo post sententiam revocatis oratoribus et coepulones retinuit pontificium, Venetum, Bambergensem et meum Tridentinum.

A prandio redivimus in aulam. Bonus rex in cubili suo intendit privatis negotiis quae acceleratione indigebant, audivit Herbipolensem Heinricum Truchses praefectum aulae, Andream de Tungen et concanonicum: reliquorum vicinorum vidi neminem, forte dormitantes non sumpto oleo euntes ad vendentes neglexere sponsum. Sed neque diu vigilare nostri septemviri, paululum remorati per posticum ad principem nostrum introducuntur: ibi procidentes ad genua adorarunt hunc verum dei vicarium, obnixe obtestantes nihil dubitandum de sincera sua fide in Christum

---

[873]) Cod. mere.

salvatorem, in sanctam matrem ecclesiam, erga Carolum et Ferdinandum, semper futuros se bonos, fideles, obedientes filios, et apertis thesauris recognovere suum regem nedum alacri animo sed et duobus deauratis poculis ingeniosissime fabricatis et inusitatae magnitudinis, quibus impositi erant aurei nummi nuper monetati duo milia, cum prioribus regibus tantum mille in vulgari poculo offerre consueverint, sed erga Ferdinandum nullis impensis parsum est. Fuere quoque patres officiosi in regios optimates, erga apostolicum oratorem, Tridentinum et ceteros: nempe ab antiquo hic mos invaluit, ut novus princeps primum veniens honorato poculo deaurato excipiatur.

Post haec circumivit rex ferme sesquihoram bastionem singula perlustrans et experiens, quam placuit non satis scio: abeuntem audivi magistrum fabricae Maltensem sciscitantem, num prius huiusmodi valla construxisset [874]). Neudecker mihi retulit, Iherosolimorum muros fuisse dentatos et perditos tamen. Bambergensis defatigatus audiens longe maximum iter restare substitit voluitque me sibi considere, plura locutus familiariter, cui nos retulimus Eccium quoque ocreatum: plane bonus princeps, diligens paterfamilias, qui camerae debita dissolvit. Inde rex rediit in arcem, pontificius vero et Venetus spectarunt armarium et frumentaria publica, quae Tridentinus ante biduum lustraverat, avidissimi videndi veterrimi tritici cuius inscriptio habet repositum illud triticum anno 1343, cuius tibi mittimus paucula grana.

Sobrius rex cena abstinuit. Inde spectavit ignes artificiales, sed maior fuit expectatio quam res ipsa: parum honoris assecuti sunt magistri illi. Ceterum omnes plateae lucebant pendentibus undique lucernis et faculis ardentibus.

Sequenti die nona Februarii prorogati equites Norici ab arce portam versus. Per medium illorum discessit rex facie pudicus, annuit mihi in fenestra spectanti quadam regia modestia, ac si fideli servitori [875]) valediceret. Discessum autem eo ordine, quo ingressum descripsimus. Junctus Bambergensis: in toto agmine excellucre canonici cum caballis, multis iudicati ferme omnium militarissimi Bambergenses. Cum patribus conscriptis regrediens illos cenae adhibuit, humanissime complexus confoederatos pacis amantes: neque enim inscius est optimus praesul, antiquitus omnem iurisdictionem mundi et primaevo iure fuisse imperatoriam, almam quoque urbem quandoque redituram

[874]) So Cod., conspexisset? — [875]) Cod. seruatori.

in principis sui maximi Caroli gremium, quem deus assumpsit, ut regnet super omnia quae desiderat anima sua. 3. Reg. 11.

Discedente divo Ferdinando Onoltzpachium et Rottenburg subito rediit pluvia et caelum nubilum hodieque perseverat, optavimus autem longo [876]) tempore habere nobiscum dominum nostrum, ut ita devotionem nostram magis insinuare licuisset et aulicis gratificari ac de illis optime mereri. Ceterum rex cum tota familia bene gratus festinat ad fratrem, qui cum sorore Maria XXIX. Januarii sine omni pompa Bruxellas dei benignitate pervenit, qui faxit, ut omnia ad suam gloriam agantur, ut expectationi Israel fiat satis.

In hunc modum spero tuam humanitatem contentam fore de officio nostro: tantum restat Tridentinus antistes, quem paucis absolvam. Natus est XXX annos, procerae staturae nec minor quondam tuo Gabriele praesule: corpus agile, oculi parvi et virides, facies rotunda alba sufflata rubro colore: non est modestus sed ipsa modestia, totus formosus et elegans. Melius nosti quid dictum sit de Bonaventura, naturam nihil potuisse fingero pulchrius: nostrae mulieres peccatum dixere transigendam illi vitam sine toro uxorio. Ni fallor, supra modum complexus est me amanter: quatriduo illi coepulo [877]) fui. Varius incidit sermo. Dixi, me tali sidere natum, ut mihi semper optime conveniat cum magnis praelatis et principibus viris, futurum me quoque priusquam moriar ecclesiasticum qui iubileo tonsoratus sum Rhomae: respondit, mihi nulla opus fore corona, totam calvitiem denotans. Visus sum illi non sine admiratione nuper ex Italia rediisse: quae de hospite et hospitio sensit, vellem [878]) te audisse. Discedens Terentium allegavit, ut si qua in re mihi gratificari possit: Fac, inquit, periculum et re ipsa experiere me tibi amicissimum. Habet familiam valde honestam, quam [879]) cum XVI. equis in domo habui: cum omnibus contraxi amicitiam, omnes Italice mecum locuti, supra modum satisfacti abiere, in primis comes Sigismundus Latronas dominus de Arcu, olim Baioaricus de Pogen dictus, ut ceteros taceam.

Quid referam de barone Ottone Truchsess cantore [880]) Spirensi, pontificio cubiculario gratissimo? qui adhuc unum diem apud me remansit priusquam in Walburg et Spiram abiret, cuius frater Christophorus nostri praesulis condiscipulus, ipse vero sua r. p. familiarissime usus est Rhomae anno abhinc ferme quarto. Multa mihi narravit de pontifice Paulo, pontificiam aulam

[876]) Cod. longe. — [877]) Cod. corpulo. — [878]) Cod. velle. — [879]) Cod. quem. — [880]) Cod. cantori.

extollit ad sidera. Erat mihi animus tractandi Vicelianam dispensationem cum episcopo Mutinensi Morono: ipse Otto in se recepit, si opus sit, scribere pontifici, sed de nuntio huiusce responsum retulit, nequaquam tentandum, quod Eccius et multi alii hoc exemplo innixi facile uxores ducerent, Paulum iamdudum certiorem redditum decrevisse illi pensionem, tacite consentire matrimonio Viceliano, sufficere nobis conniventiam pontificiam atque tolerantiam supra omnes dispensationes, si opus sit scripturum apostolicum nuntium tum Herbipolensi tum Eystetensi praesulibus, non offensuros pontificiam maiestatem, si Vicelium cum uxorcula conducant et foveant, recepturum in se omne periculum: quod ego domino Danieli Stibero fideliter retuli et antea etiam scripsi de ea tolerantia ad praesulem meum Veronensem.

Unde nunc redeo ad baronem Ottonem, qui mihi recensuit novas creaturas, opus diei XIX. Decembris, quas propterea arbitror vos non ignorare, quod ea pontificia occupatio et concordiam et confirmationem remorata sit, referam tamen ordine. Primus est archiepiscopus Salernitanus Genuensis Fregosus, 2. Monsignor de Gambara Brixianus, scriptor apostolicus, quod officium saltim olim valebat ducatos 14000, 3. thesaurarius non Petri tamen sed Pauli, genus et titulos non memini, 4. doctor Parrhisius iureconsultus, qui Bononiae et Paduae magna gloria professus est, postea evasit auditor camerae, natione seu episcopatu Consentinus Zwiſchen Rom vnd Neapls, 5. Miser [881]) Marcello Senensis, secretarius papae, cui plurimum fidit, quem adiunxit sanctitas sua nepoti Farnesio vicecancellario, qui cum triginta uno poſtpferden ad Carolum legatus est, quod plane regium videtur, 6. frater Dionisius generalis servorum Mariae Beneventanus, 7. Guiditione [882]) Lucensis, 8. episcopus Aurelianensis Gallus, 9. Henricus de Borgia Hispanus, 10. episcopus Gebennensis, natione Burgundus, 11. Signor Jacobus de Sanellis Romanus, filius capitanei non Petri sed Pauli, scholaris Patavianus, quippe circiter vigesimum annum agit. Ferme eius aetatis creatus [883]) est Joannes Medices: nam pater Laurentius filiam in matrimonium collocaverat Innocentii pastardo, adiecta conditio ut propter tenellam aetatem et reverentiam cardinei ordinis triennio rubeo pileo abstineret, quae conditio hodie reiicitur, quippe omnia deteriora fiunt et pessundantur. Leo pontifex creatus ex sorore nepoti de Cibo pallium donavit his verbis:

[881]) So Cod. Monsignore. — [882]) Guibiccio. — [883]) Cod. reatus.

Innocentius dedit, Innocentio reddidi. De Leone interpretatus est nescio quis petitor inscriptionem cubilis sui, scil. M. CCCCL. X. Multi Caeci Cardinales Creavere Caecum Leonem Decimum. Ut liberum est Romae loqui! Duodecimam vero creaturam sanctitas Pauli reservavit in pectore.

Haec sunt, honorande frater [884]), quae arbitratus sum ad te scribenda, longior fui quam par erat, abusus sum humanitate tua: facit hoc singularis meus in te amor, qui nescit habere modum. Scripsi autem confidenter et ex tempore ut quodque verbum in buccam venit, vix relegi: tuum erit errata emendare et officium nostrum boni consulere. Litterae vero tuae expectabunt secundum iussum, si velis illas episcopis mitti Bruxellas (nam facile per postam pervenient) an potius tibi reddi. Vale, optime vir, et me ama, quod certo mutuo facies. Ex Norinberga catholica et Caesaria urbe, 13. Februarii anno a reconciliata divinitate M. V^c. XXXX. [885]).

Tuae praestantiae devotus et ex animo frater
Christophorus Scheurlius, i. u. d. manu propria.

Nr. 280. 1. Mai 1540.

An Petrus Merbelius.

Cod. 287 (K.) fol. 366b.

An Petrum Marbelium.

Edler vnd feſter, euch ſein mein freundwillig dienſt ſampt allem guten mit fleis zuuor bereit. Gunſtiger Lieber her vnd ſonder guter freundt, Von Euerm vetterun hab ich In langer Zeit gar nichts Empfangen Vnd euch, was mir allemal zukumen iſt, vleiſſig zugeſchickt, auch nye geſpurt, das euch etwas nit geantwort were, woll ſein mir 2 ſchreiben den 17 februarj vnd 4 Aprilis datirt ſeinth meines Jungſten ſchreibens, die ich aus gleichmeſſigen vrſachen, das ich wenig ſchreibwurdig gehabt, noch nit verantwort hab, zukumen, der ich euch danck ſag, vnd widerumb, ſouil wir [886]) hentigs tags bey vns wiſſen haben, hyemit Zuerkennen gib in maſſen wie nachfolgt.

Vnſer herr kayſer vnd keng ſampt der konigin Maria ſein zu Gendt, vnd man hort noch von keinem auffbruch. Kay. Mt. hat nehr nit dann 9 von allen e[n]thporigen zu Gent mit dem ſchwert richten laſſen, vngeachtet von alter hergebrachter freyhaiten, das auch die gerichten burger Zu Irer begrebnus beſtatet werden ſollen, die andern ſollen des lebens geſichert ſein, vnd hat gemaine ſtat angfangen

[884]) Von Scheurls Hand iſt vir übergeſchrieben. — [885]) Cod. M. V. XXXX. — [886]) Cod. „mir".

kay. Mt. Ein gwaltig ſchloſſ zubauen Vnd, wie man ſagt, bewilligt, Ein merckliche beſetzung zubeſolden.

Hertzog Haiurich zu Braunſchweig hat den hertzogen von Gulch auff 15 ditz gen Gendt bracht, von dannen gute hoffnung iſt dis orts vertrags hayrat vnd fridens, troſten etzlich, das wir auch Gellern widerumb erlangen ſollen, Vnd ſchreiben, das auch Churfurſt von Sachſſen vnd Landtgraff von heſſen zu vnſerm herrn kayſer kumen ſollen. Das gibt die Zeit zuerkennen.

Das gemein gerucht iſt, das kong von Franckhreich Maillandt mit aller ſeiner zugehorung haben woll, welches Babſten, Venedigern, Genueſſern vnd andern Italianiſchen Poteſtaten vnleydenlich ſey, vnd vnſerm herrn kayſſer, wie er villeicht vermenth hab, nit thun woll, Derhalben zwiſchen Inen neu Irrungen vnd verpiterung eingefallen ſeyn, vnd New Oratorn erwelt ſein Vnd Zuſamen geſchickt worden, etliche melden, der konig hab die abgefertigten widerrufft, ſey hart erzurnt, troe vnd ſchick ſich zum krieg, vnd hab alberait ein neu potſchafft zu ſeinem bruder dem Solimon abgefertigt, darnach wiſſen zu richten.

Graff Wilhelm von Furſtenberg vnd vil vnterhauptleut ligen zu Straßburg, wirdt geredt, das ſy kung von Engeland beſold oder Ja handel zubeſolden, villeicht ſeinem ſchwager hertzog Von gulg Zu gutem, vnd das er vor hab ſein ſchweſter auff Johannis zukronen, aber er ſoll [887]) das nechſt weib biß ſy einen ſon geber nit krunnen wollen, vnd dadurch ſy verkurtzt hat, dieweil ſy in wochen verſchiden iſt. Wie mich auch anlangt, gedenckt er ſein ehliche dochter freulein Maria anderſt nit zuuerheyraten dann fur ſein Leibliche tochter, all ander artickel hat er ſich mit Pfaltzgraff Philipſen verglichen vnd Im diſes ſtucks halben bedacht gelaſſen die heyrat zwiſchen dannen vnd Pfingſten zu oder abzuſchreiben, derhalben die Pfaltzgraffen ſich auff 20 ditz gen haydelberg beſchreiben haben laſſen.

Die Schmalckaldiſchen haben eben Lang zu Schmalkalden getagleiſt, doch Letzlich den abſchid gemacht, die redt gehen, ſyhe haben Ire penſionirer gevrlaubt, ſein des Langwirigen ſchweren vnkoſtens mued, wollen den abſtellen, wollen zum wenigſten die ergerlichen bildnus abthun, ob der Augſchpurgiſchen confeſſion vngewichen halten, Vitam monasticam außreiten vnd dero rent auff vnterhallung Irer predicanten bewenden, haben 6 oder 8 vorm altar, wie auch zw Leypſig pfleglich iſt, ob ſy gleich gentzlich vngelert ſein die hendt auffgelegt vnd gewalt geben adminiſtrandj Sacramenta, aber nit Sanandi omnes Languores, welches bey den huſſen nie gebreuchlich geweſſen iſt.

---

[887]) Cod. „woll“.

Pfaltzgraff Fridrich iſt auch gepetten, bey Inen geweſt, hat wie ich bericht bin 30000 gulden Jerlichs Leibgedings haben mugen oder villeicht ein mehrers, aber ſich Dagegen ſeiner g. gemahel dreyer erbkungreich oder dero gerechtikait nit verzeyhen wollen.

Herr Jeronimus Laſki iſt von vnſerm herrn kayſſer des turkiſchen anſtandts halben widerumb abgefertigt vnd Im eingang dits zu Wien verritten nach der windiſchen marck, Weyland herrn hanſen katzianers verLaſſne herrſchafft ſchloſſer von ſeiner wittib zuerfordern vnd einzunemen, Aber der graff von Serin behaltet noch Caſtaniowitz, darinnen er In entleibt hat, ſampt andern ſeinen haben vnd gutern.

Es wirdt vil geſchriben, das der turk betroe vngern vnd Polen zu vberziehen, ſonderlich aber die graffen von Serin zu ſchtraffen.

Damit will ich, ſo uil beyleufftig bey vns wiſſent iſt, Euch Sumaria anzaigt vnd damit mein ſthillſchweigen ein zeytlang erholet vnd entſchuldigt haben, freuntlich bittend, was ſich weytter zutrekt mir auch zuſchreiben, das vnd was auch ſunſt allenthalben Lieb vnd dienſt iſt, will ich widerumb auch thun vnd hab Aſinius futerern ſeyn brieff gebenn, Der gutig herr got ſey mit vns allen. Datum Nurmberg Sonabent Walburgis den erſten Monnatstag May Anno ꝛc. 1540.

Euer williger Vnd guter freundt
Chriſtoff Scheurl Der Rechten doctor.

Nr. 281. 1. Auguſt 1540.

An Kaiſer Karl V.

Concept von Scheurls eigener Hand. Drei Blätter in Folio, letzte Seite leer.

Divo Carolo Austrio, Romanorum imperatori semper Augusto, Hispaniarum regi, catholico, pio, felici, victorioso, pacifico, domino et principi meo clementissimo, victoriam, triumphum atque monarchiam.

Quodsi de rep. litteraria semper bene meriti sunt etiam hi, qui post alios memoranda gesta summorum monarcharum atque laudatissimorum principum memoriae mandarunt, quanto maiorem laudem merentur hi, qui nedum prius scripta undique librorum excerpunt, sed ea quoque quae prius in litteras relata non erant accurate describunt neque habent quem imitentur. Nam facile est aliorum scripta recensere et locupletare etiam, sed prius non scripta memoriae prodere, hic labor, hoc opus. Non desunt qui a Noe historiam exoriuntur, cum ad nostra tempora quae maxime nosse cupiebamus perveniunt, deficiunt et obmutescunt. Hinc prodit non absque publico incommodo penuria illa chronicarum nostri aevi, etsi non minorem campum scribendi ministret

quibuscunque prioribus seculis, etiamsi praeter tua gesta, o Carole Auguste, caetera nonnihil taceantur. Hanc duplicem coronam merctur, ni fallor, doctor Joannes Cuspinianus Francus, divi Caesaris Maximiliani avi tui a consiliis, orator et Vienens. vicedominus, qui Caesarum vitas a Julio exorsus usque ad tuum sacrosanctum et felicissimum imperium describens nedum graves et probatos authores imitatus est et illorum facta hinc inde sparsa delegit, congessit, locupletavit, verum etiam nostri saeculi Caesares Germanicos et in his serenissimos maiores et proavos tuos Rudolphum, Albertos, Federicos et Maximilianum Austrios (videntur nempe Romanae aquilae Austriam domum quasi peculiarem, libenter diccrem hereditarium sibi nidum delegisse), quos Italici ferme transeunter attingunt, maiori diligentia, fide, experientia quam quisquam alius et certe omnium plenissimis buccis conscripsit. Cum hoc utpote viro erudito et toto Caesareo pro more meo haud vulgarem constitui amicitiam sacri imperii tui oratorem agens ad Ferdinandum proregem et Hungariae proceres, principis Ludovici Bavari collega, impetrare autem non potui ab amico et conterranco, ut se vivo vel Caesares vel consules suos edi pateretur, quos in nonum annum premendos censebat. Quin et defuncto Cuspiniano cum filio Joanne Spishamer, cive Vienensi, multum diuturnumque negotium mihi fuit vigilias paternas a pulveribns vindicandi, quod sperabam me simul amici memoriae consulturum et in commune litteratis omnibus gratificaturum, potissimum eis qui in historia nihil contemnunt, inter quos est Joachimns noster Chamerarius, luculentus orator. Tandem transegi, evici atque impetravi commentariis his publicum atqne illos meae fidei committi, adiecta stipulatione, ut Cuspiniani Caesares divo Carolo, consules vero fratri Ferdinando regi (ita enim pater ultimo eulogio constituerat) dicarentur. Quod mea sponte facturus eram absque pacto, cui a progenitoribus et natura insitum est vestrarum maiestatum devotissimum, fidelissimum et totum deditum atque addictum esse: habeo hoc commune nedum cum concivibus meis, optimatibus, infimatibus, et universa Norica patria quae ab antiquo Caesarea Caesarum favore id fastigii conscendit, sed et plane cum omnibus bonis quibus animus est vel emergere vel non submergere. Habes, inclyte Caesar, consilium meae inscriptionis: si temeritatem dixeris, animum addidit incredibilis humanitas tua, qua me primum in Cathalonia apud Molendinum Regium, deinde etiam in Castilia Vallisoleti nedum benignissime audivisti, verum etiam te nobis clementissimum futurum per magnum cancellarium Gatti-

narium cardinalem ingenue promisisti, quod tum munere et tandem Neapoli exemplo Ferdinandi regis honesto titulo testatus es. Quippe omnium Germanorum oratorum primus etiam ante redditum electorale diploma patriae meae Noricae obedientiam tibi praestiti et nomine omnium sacri imperii liberarum civitatum celsitudinem tuam agnovi ac salutavi unicum principem et dominum, utrobique in magna Hispanorum heroum frequentia, victoriam, triumphos, omnia prospera Carolo tum a deo opt. max. precatus tum vaticinatus sum constanter. Dubium, an maiori constiterit Octaviano Augusto Loliana et Variana clades in Teutoburgiensi saltu inter Amysiam et Lupiam amnes prope Phrysiam tuam, tribus legionibus obtruncatis per Germanos et duabus aquilis ademptis, an ne ingentiorem iacturam fecerit sacrosancta maiestas tua amissione vere Christianissimi principis et domini mei pientissimi Goorgii, Saxoniae ducis (evolavit is ad superos XVII. Aprilis praecedentis anni publico provincialium et omnium piorum luctu, cuius fides cognita tibi fuit et Ferdinando fratri perspecta sincera devotio), necnon Bernardi cardinalis Tridentini, cancellarii regii omnium integerrimi, qui cunctis muneribus abstinebat et mihi olim condiscipulus fuit, tum in syndicatu Bononiensis academiae successor. His fata coniunxere A. C. M. qui heroes sicut domui Austriacae omnium fidissimi fuere, ita de mea fide nihil addubitantes me quoque in rationarium suorum fidelium retulerant et sua amicitia dignabantur. Irreparabilis quidem clades, quae nedum barbam nutrire sed et caput parieti illidere possit: caeterum ne dubita, Caesar Auguste, periurium ab antiquo deum ultorem habuit. Post alios refert Cuspinianus noster, neminem coniuratorem Caii Caesaris ferme triennio supervixisse, et Nauclerus scribit [888]), Alberti regis, Rudolphi filii maioris, coniurati et fidefragi percussores mala morte periere, et quis unquam contra dominum suum prospere militavit? Aurum Tholosanum non mentitur. Imperialem potestatem tuam a solo deo recognoscis, a quo omnis victoria dependet, cuius tantum [889]) est regna disponere et principatus distribuere: bellorum eventus nemo sapiens facile praedixerit. Fac ergo quod assoles, victoriosissime Caesar, quod nimirum a divis progenitoribus tuis peculiare habes atque hereditarium, deum time, iustitiam cole, ambula in viis Excelsi, custodi mandata atque iudicia, obedias imperio summi dei, et ipse te faciet

[888]) Die Worte et Nauclerus scribit ſind im Concept entweder unterſtrichen oder ausgeſtrichen. — [889]) Concept: tm mit dem Abkürzungsſtrich.

excelsiorem cunctis gentibus quas creavit, omnis locus quem calcaverit pes tuus tuus erit, a deserto et Libano et flumine magno Eufrate usque ad mare occidentale erunt termini tui nullusque stabit contra te. Certo scio, impiorum consilia dissipabuntur, magni terrores parvis momentis in irritum recident, mali male perdentur, fugient a facie tua nemine persequente, ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Cum Egiptiis dicent: Fugiamus magnum Carolum a deo coronatum, in salutem populorum missum et donatum, urbis et orbis moderatorem, Dominus pugnat pro eo contra nos. Persequeris inimicos tuos et corruent coram te, teste Ticino, quinque Carolini persequentur centum fidefragos et centum Caesariani decem milia perditissimorum militum: sunt nempe omnium bipedum nequissimi, a deo maledicti et omnibus piis invisi, qui vana aura [890]) commoti et tantillo stipendiolo conducti contra principem suum militant. Cadent igitur hostes patriae, inimici tui, in conspectu tuo gladio: tu dei munere Italiam quondam orbis dominatricem ferme Romanis aquilis restituisti, Carthaginem Mauris eripuisti, periclitante et tremente Germania Viennam a Turcica obsidione liberasti, Austriam a Machumetica tyrannide vindicasti, unde tuae celsitudini merito deberet Germania opes suas, liberos suos, sanguinem et vitam, nisi tua affuisset potentia ferme actum erat de nobis omnibus. Suae religioni, si ita dicenda est, sollicite perspexit olim Numa, suae item [891]) Julianus ille ater: quid obstat, Carolum V. Carolo primo hoc est Magno maiorem immo omnium maximum Christianae quoque religioni ferre opem efficereque, ne tanto Christiani nominis probro divisi aperiamus Turcico tyranno fores ad aras et focos nostros, ne praestruamus viam belluae illi Antichristo ad subversionem, si fieri possit, Romanae monarchiae? Tu pro incredibili prudentia tua in tantis procellis non absque divino munere feliciter gubernasti Christianam remp. nec dubito dehinc quoque moderaturum te omnia in gloriam dei et salutem populorum tibi creditorum, praecipue vero Germaniae tuae, quae te, o dive Carole, patrem patriae agnoscet, redemptorem et servatorem suum compellabit, tibi vitam, tibi liberos et quicquid habet et potest acceptum fert, debet debebitque. Tibi post deum opt. max. gratiarum actio, tibi honor, tibi laus, tibi victoria, tibi triumphus! Te orbis mo-

---

[890]) So das Concept, wohl ſtatt vano auro. — [891]) Unten am Rande ſteht im Concept noch ohne Bezeichnung des Ortes die Einſchaltung: tarditatem supplicij graui ptateene [d. i. poenae] compensat. sed periurium et feloniam.

narchia expectat et dicat omnis populus: Fiat, fiat. Interea Cuspinianos Caosares diligenti Camerarii cura impressos, officium et devotionem nostram boni consule. Datae in maiestatis tuae imperiali et tota fideli civitate Nurenberga calendis Sextilis anno a reconciliata divinitate MDXXXX.

Caesareae et catholicae maiestatis tuae
devotissimus servitor
Christophorus ScheWrl, i. u. doctor.

Nr. 282. 4. December 1540.

An einen ungenannten Prälaten.

Cod. 287 (K) fol. 390a. Der Adreſſat ſcheint Erhard Truchſeß zu ſein.

Erwirdiger vnd Edler prelatt, gepiettender lieber herr, Dem hochwirdigen furſten, vnſernn gnedigen herrn, hab ich Den 26. Nouember bey Stengeln Cuſpinianum vnterthenigklich verehret, Die Tragedia vnd anders geſchicht vnd allerley zeyttung geſchrieben, zuuerſichtig, es hab mittler zeyt an Ewer Erwurd auch gelangtt.

Mithler Zeytt hab ich gehabt von Maylandt, Das Babſt Paulus mergklich gut geſammelt, ſeins Shuns ſhun, vnſers herren kayſers Ayden, Octauium Farneſo Herczogenn zu kammerin inueſtirt, Deſſelben ſchweſter Des Herczogen von Lathringen Brudern Mouſur De Guiſe verheyrat, gros gutt geſammelt vnd furgenommen, gſchlos vnd ſtat Caſtro, Dauon ſich ſein Shun Petro Aloyſo ſchreybt, Placenza vnd Rauenna Zubeveſten, vnd etlich tawſent man beyeinander habe, In meynung florentz zuſtroffenn, In Ma[i]nung, wo yhm kay. Mat. nit Darczu helff wis er wol andere hilff, Das zubeſorgenn ſteet, wens lang vmb gehet, Das wir vns auch Babſt, frantzhoſen vnd vieleicht venediger, Die gleicher weyß yhr ſtheet beueſtenen oder Jha beſetzen, erweren muſſen, Vnd das der printz von Melphi mit kayᵉ. Mat. gewaltigen Armada vnd konigk von Thunis noch zwoe ſteet in Affrica erobert haben ſollenn.

Von Leipzigk hab ich von eynem, Der Luthers wurmbiſche inſtruction geleſen hat, Des lauts, Das er alle ſeine Artickel ſtracks gehalten habenn, vetterem Eccleſiam gantz Idolatram machen, Vitam Monaſticam außtilgen, vniuerſitates Sinaiogas Satane Achten vnd Den ſeynen Der kloſter gutter zueignen wil, hoc Dicit in summa, nit weys ich, was vnſer Doctor eck nachgebenn vnd letzlich Draus werden wil, Vnd Das Churfurſt von ſachſſenn hierauff Nicoln von Minkwitz Reutter vnd knecht auffnemen leſt, Der ſtat Braunſchweig zuzufurn.

So ſeyen Die von Goßlar, Darumb Das ſie eyn kirchen oder zwo auß forcht Des von Braunſchweig abbrechen laſſen, Am Cammer-

gericht In Die acht erkendt vnd Die von eſlingen in Dreyhundert fl. verurtheiltt [892]), Darumb Das ſie ein priſter vnczugtigs lebens halbenn Auff eynem thurn geſtrofft haben, Aber Rothweil iſt mit Stoffeln von landenberg, vber das er yr vorſtat außprant, Dorffer, pucht Vnd weyer Abgraben hatt, vertragen, Darauff Das kriegßvolck verloffen iſt vnd Die Aydgenoſſen Zu mercklicher Anzal wider vmbkert habenn.

Auch iſt vnſer konigklich kriegßvolck Schwacheyt halben vor offen abczogenn, Jr hayll gegen Den Obern geſchlos plintenburgk zuuerſuchenn, Vnd haben meine herren Ro. ꝛc. ko^{r}. Mat. Jr fenlein noch 3 Monat als Die gehorſamen vnderthenigklich bewilligt, Aber frater Jorg Celeſtiner, Turck walandt vnd noch ein hungriſcher herr ſollen ſich verpunden habenn, Hungerlandt Dem Turcken auff zu halten vnd einzurawmen. Soviel von kriegßleufften Ditzmals.

Auff 22. nouember iſt Der herr von Granvhel vieleicht mit 40 pferden Zu wurmbs ein kommen, vnd Die handlung, wie man Die furnemenn will, Angefangenn. Dohin haben meine herren verordnet Iren Jungen Ratsfreundt meinen Oheim Eraſmus Ebner, Doctor Wentzeln Linckenn vnnd Hoſandernn von Ahawſenn, ethlich ſchreyben, Doctor Eck prauch ſich eyner krauſſen von Dreyen maſſenn, Domit Der Dienner nit offt einſchencken Durff.

Euher Adelkeyt ſag ich Danck vberſchickter puchlein, wil ſie gernn leſenn, wie ich auch gerrn gehort, Daſ ſie nach Wurmbs abgefertigt ſein, Dohin ich ſie auch beuelch gehabt zuſchickenn, hab aber weytter kains empfangenn.

Doctor Eck wirt wol bedacht habenn, etliche einem Rath vnd ſondern Ratsperſonen ehrerpiethlicher Anthwurtten vnd Durch potten verlauffenn zulaſſen ꝛc. Dan mein herren von S. Gilgenn Als verordenter Commiſſarius, nichtzigt beſchwerlichs oder Schmelichs Drucken noch verkauffenn zulaſſenn, wirt nit leichtlich zugeben, Eckiſche vnd Cocleiſche puchlein fayl zu habenn.

Wiewol meine herren Allen yhren malern Fayer vnd wercketag frue vnd ſpatt bis auff 10. vr in die nacht auffm Sichhaus zu arbeyten gebenn, iſt doch vnſer aller herrn Zukunfft noch nit gewiße, An Dem ſollen Aber E. E. nit zweyffeln, wo kayſerlich Mat. in dieſe landt arth gelanget, Das ſie gewiſlich herkumpt, Ich weys auch, Das ſie Anno 32. wo ſie ſouiel gewuſt hettet, als ſie hernacher erfarn hatt, herkommen were, vnd Das ſich Jr Mat. ſo woll als Römiſch ꝛc. ko. Mat. Dieſer Stat zum hochſten getroſt, wol zufrieden vnd vor andern genaygt iſt, hatt meinen herrenn Innerhalb wenig Monatten nit ein verechtlich Regal verlihenn vnd irem Radsfreundt Seboltheno Hallernn

---

[892]) Cod. „vertheiltt".

Zu Mundtlichem abſchiedt geſagt, wes ſich Jr Mat. Bruder von Dieſer Stat berömе, Dero yhr Mat. mit allen gnaden genaygt ſey, mit Dieſen worten, De won Cur [893]), wie Die frantzhoſen pflegen zureden, De Bono, hoc eſt, ex toto Corde, Deutro. VI. Audj, Jsrahel, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, wie mir mein Shun zu Tiſch pettenn. Daſ laß ich fallen, Dieweil es in Die ſchul gehort.

Gunſtiger lieber herr, wir wieſſenn zu groſſem theyl, Das wir jm viel zuuiel gethan vnd vns Dieſe leuth bey Der naſſen furen laſſen habenn, Aber lieber gott Der himliſch cinflus vnd Die groſſenn mißbrauch haben ſolchs verurſacht. Der herr got begnadt vns mit eyner leydenlichen Relligion ordnung. Jch acht genczlich, meine herren werdenn Jr predicanten Clamanten ſein laſſenn vnd nit die letzten ſein, Jch wayſ, Das viel groſſer haupter vnd gutt leut bas an meynen herrenn ſeinn vnd Jrem einhelligen weſen, Dan yhr aygen predicanten [894]) ſelbſt, Jn ſumma wir haben im Anfang zu Augsburgk Das lob Dauon gefurt, Das wir vnther Den vngeſchick[t]en Die geſchick[t]eſten ſein.

Warumb wolt aber vnſer frommer herr Dieſe Chriſtenliche ſtat Meyden, gott wolt Das ſein Mat. Dergleichenn ſtett viel hettenn, ſo wurdt es gewislich pas ſtheenn im reich, ein mal fur alle mal Jſt das der beſchlus, Das wir alle, Regenten vnd vnterthan, Reich Vnd Arm, Alt vnd Jung, ehr ſterben Vnd verderben, Die letzſten not leyden, Dan von vnſern herrenn kay$^{r}_{n}$ vnd ko$^{r}_{n}$ Mat. weichen wollen. Jn der kirchen haben wir tauff, Das hochwirdig Sacrament Des Altars vnd meins verhoffens was der ſelenn Noturfft erfordert, wie auch luther ſelbſt bekennet, Das wir yhm babſtum Ditz Alles gehabt, haben wir ein vnd ander geendert vnd mit vnſerm vnd vnſer kinder ſchweren nachteyl Ceremonien fallen laſſen, ach got wir habens nicht verſtanden vnd mit Jheremia. 17. nit gefragt, vbj est verbum Dominj, ſonder gemeint, was ſie vns fur ſagtenn, Das wer verbum, vnd ſo wirs nhun verſtheen, ſo iſt es auch ſchwer zuendern vnd vns ſelbſt ſchuldig zugebenn, hoffen von einen tag auff Den andern Vnd wolthen viel lieber, Das es mit gemeiner ordnung beſtehee, Darczu Verhelff vns Der guttig herr gott, AMenn.

Ewer adelkeyt klag ich meinen ſchwagernn vnd gutten freundt hanſen ſchnödenn, Der auff 27. nouembris eins langwirigen Fibers halben mit todt Abgangen iſt, mit Dem ich viel handlung gemeinſchafft vnd freundtſchafft gehabt hab, wie ich auch noch nit ein Jar on meinen ſchwagern Albrechten Letſchernn einen ſondern gutten Freundt

[893]) de bon coeur. — [894]) Cod. „precanten".

verlorn hab, Der herr gott woll vns allen gnedig vnd Barmhertzig ſein. Amenn.

Domitt thue hochgedachtem meinem gnedigenn furſtenn vnd Ewernn Erwirdenn, meinnem elthiſten liebſtenn herrnn, patron vnd freundt, Nempe annorum quadraginta quinque vnd auff Dje Faſten 46., ich mich vnderthenigklich vnd Dienſtlich beuelhenn, verhoff noch vor meim Todt ewrn Erwirden zu alther [895]) Zudienenn, Ob ſie woll zu Ayſtet ſeltner Dan zu Mönichſteinach Celebri[r]n, herwiderumb wurd auch participatio mej Seruientis Altarj peſſer ſein, Dan zu Steynach, Do ich doch mit einem pfenning reichlich vnd Danckbarlich zu beſolden was. Domit zu gutter nacht, mein nachtparn Die prediger leutten Nymmer mettenn, Ich glaub aber, es ſey nit weyt Daruon. Datum Nurmberg An S. Barbara Den 4. monatstag December Anno gottlicher Menſchwerdung. 1. 5. 40.

E. E.
C. S.

[895]) D. i. Altar.

Anhang.

Nr. 1. 30. Juni 1532.

Chr. Scheurl's Bericht über des Raths zu Nürnberg Schenkung an den päpſtlichen Orator Erzb. Pimpinelli.

Cod. G. fol. 347 (366)b.

Eyns Raths ſchanckhung des Babſts Oratorn.

Suntag den letzten Junij hat ein Rath herrn Pompinello Ertzbiſchofen Roſanenſi vnnd Babſtlichem Oratorn zw khonng Ferdinanden, als er von Regenſpurg herkham, dy Stat zubeſichtigen, 24 khanndel ſchenckhen laſſen, hab ich dermaſſen geworben,

Reverendissime in Christo pater, archipraesul, summi pontificis orator, vir undecunque doctissime. Senatus huius urbis gaudet amplitudinem vestram advenisse salvam, cui omnia iucunda precatur, censuitque more patrio reverendissimam paternitatem vestram hisce donariis honorandam, obsecrans clementia vestra dignetur animorum promptitudinem et sinceram voluntatem respicere. Quodsi qua in re patres conscripti vestrae bonitati possunt morem gerere atque gratificari, se offerunt paratos, deditos atque devotos.

Nachred.

Eruditio vestra iamdudum erat cognita et celebrata nedum huic civitati sed et reliquis quoque Germanis, humanitatem quoque et gratitudinem referam: interea ago habeoque nomine publico gratias maximas. Quantum ad me attinet, quicquid sum et mihi vestra praestantia tribuit non agnosco, sed acceptum refero post deum opt. max. dominis Italis, apud quos sum educatus et insignitus a genitore reverendissimi cardinalis legati Compegii, unde me plurimum debere profiteor toti nationi, cui etiam operas meas libenter impendo. Testes sunt orator Mediolanensis Amicus Taegius, Antonius Vento et reliqui astantes, ad quos provoco. Sic quoque me obligo ad obsequia reverendissimae paternitatis vestrae.

Nr. 2. 8. Auguſt 1536.

Bernhard von Gleß, Biſchof zu Trient, an Chr. Scheurl.

Cod. 287 (K.) fol. 313b.

Cardinal zw Trent.

Wir habenn bey der kayſerlichenn Mayeſtat Zw Neapolis gehanndelt, euch mit einnem Dienſt, Rath, ſchutz vnnd Schirem brieff Zubedenncken, vnns wurd aber Damaln weder dero noch annderer dergleichenn particular ſachenn halbenn, ſo wir ſollicitirnn laſſenn, kein beſcheid. Aber ſeither hat vnns Doctor Mathias hellt geſchriebenn, nemblich denn drittenn Tag Julij, Das Jr keyſerlich Mt. ſolichs gnedigklich bewilligt hab, Darauff gewarthenn wir der vertigung vonn Jme. Als dann wo wir denn brieff habenn wollenn wir euch Denenn zuſchickenn.

Wir ſeind auch der anndernn Ewrer begernn noch Jngedennck, Darunther Die Adelßfreyheit vonn kuᵉ Mtt. iſt, Als ſoll derſelbenn Zu gelegennhait Durch vnns nitt vergeſſenn werdenn. Das habenn wir euch guediger maynung vnangezeigt nit laſſenn wollenn. Datum Trendt Jnn vnnſerm Schlos Boniconſilij denn 8 tag Auguſti Anno ꝛc. xxxvj.

Nr. 3. 7. Januar 1537.

Bernhard von Gleß, Biſchof zu Trient, an Chr. Scheurl.

Cod. 287 (K) fol. 314a.

Cardinal Zw Triendt.

Was Ewer ſachenn bey kayᵉ vnnd konigklicher Mt. belanngt, Iſt doctor Helt dieſer tag hie geweſt vnnd hatt vnns angezaigt, ſeinne expeditionen ſollenn Jme noch hernach kommen, Doruntther ewer Rath vnnd Schirmbriff auch ware, So ſoll auch Ewer Adels freyheit bey der konigkᵉ Mt. vnuergeſſenn ſein.

Das Buechlin, ſo Jr vnns Jnn Ewerm erſtenn ſchreyben zugeſchickt, habenn wir der ku. Mt. angezaigt, habenn auch Jr Mt. bericht, was Jr vnns erJnnert, Das euch Vonn wegenn der hanndlung Der oſterreichiſchenn wurtennbergiſchen belehennung, Caſſation vnnd widerruffung anngelanngt wordenn, Vnnd dieweill Jr hochgedachter kuᵉ Mt. Rath ſeith, Iſt ann euch zulobenn, wo euch dergleichenn ſachenn furkomenn, das Jr dieſelben Jhemanndts zuſchreybt, welches auch Jr ku. Mt. vonn euch Jhederzeit zu gnedigem gefallenn verſtehen vnnd Jnn gnadenn nit vergeſſenn wurdett.

Aus dem ſchreybenn, ſo euch vnnſer her vnnd freundt hertzog Georg vonn Sachſſenn gethonn hat, Siechtt mann ſein Alt gut keyſeriſch gemueth, welcher Dann alle ſachenn vnnſer heyligenn Religion,

keyᵉ vnd koᵉ Mt., auch des heyligenn Reichs wolfart trewlich mainnet vnnd gernne befurdert sehe. Wir habenn auch sollichs schreybenns Copey bey denn keyᵉ Mt. potschafftenn, vnnsern freundt Denn Ertzbischoff vonn Lunda vnnd gedachtem Doctor helt zulesenn Zugestellt, Die er sampt vnns mit ergetzlicheit verstanndenn. Datum wienn Den vij tag Januarij Anno ꝛc. xxxvij.

Nr. 4. 21. December 1537.

Gaudentius Merula an Chr. Scheurl.

Cod. 287 (K) fol. 229b.

Gaudentius Merula [1]) magnifico et praestantissimo iurisconsulto domino Christophero Schewrlio, Caroli Caesaris et Ferdinandi regis consiliario, S.

Cum sermone prope omnium qui isthinc veniunt, tum litteris tuis singularem tuam, qua me tibi devinxisti, eruditionem et amorem erga Galeatium Capellam tuum intellexerim, non dubitavi, Schewrli iurisconsultorum eruditissime et eruditissimorum candidissime, eius a quo tantopere diligebare vigilias tibi dicare: scio enim cum propter nominis splendorem tui tum propter mutuam amicitiam, quam tibi, Capellam si viveret has dicaturum nemini. Accipe igitur Capellae tui defuncti annales ea fronte, qua ipsum, si ab inferis velut Hippolytus rediret, exciperes: leges autem haec diaria paulo ornatiora quam Scotus Venetiis impresserit. Quod is iam ferme moriens me ad se evocari iussit, accessi et cum caeteri semoti essent et nos soli, sic flens incepit: Merula mi charissime, quo in rerum articulo ipse sim positus vides, nec clam te est quam perperam meae sint historiae typis commissae. iam illas intueri pudet quamquam meae sint filiae, Semeles (inquam) partum in lucem perfectiorem exivisse arbitror, ursas quin et venustiores catulos parere persuasum est mihi. per hanc igitur te dextram et amorem erga me tuum non modo te deprecor, sed quibus possum et lachrimis et precibus contendo, ut ad mei laboris vulnera velut Aesculapius quispiam accedas, aut si id nolueris facere igni saltem committe. sed quid ego tecum plura? nomen et decus meum tibi committo ac tuae mando fidei. id unum te obtestor, o Merula, id unum abs te peto per eam amicitiam, qua te in germani fratris dilexi loco.

---

[1]) Gaudentius Merula aus Novarra schrieb De Gallorum cisalpinorum antiquitate et origine libb. III. und Memorabilium libb. V. Nach Jöcher's Gelehrten-Lex. hat er sich auch des Bernardinus Merula commentarii in Vitruvium zueignen wollen.

Haec cum dixisset, lachrimantem me deficiente ac prope intermortua dextra relinquebat. Ego ut bono esset [2]) animo sum hortatus, cum quod non esset conclamata medicis salus ipsius, tum quod et gloriae et posteritati pro viribus essem consulturus suae. Dii boni, quo tunc animo Capellam tuum, imo et meum reliqui? laeto adeo atque alacri, ut fere morbo levatus videretur. Non multas tum post horas ab humanis anno aetatis suae climacterico XLIX., proh deum, quo civium dolore et amicorum desiderio sublatus est. O fallacem spem nostram fragilemque fortunam inanesque nostras cogitationes, quae medio in cursu nos destituunt obruuntque, priusquam portum procul possint aspicere! Debuisset tuum quidem, Capella, immortalitate dignum ingenium, illa tua singularis humanitas, tua illa virtus unica, quibus cum parem non haberes te ipsum superabas, Nestore esse diuturnius. Dolui inquam ipse, Schewrli candidissime, non quantum debui sed quantum licuit, quod scirem ipsum non modo sed et nos ea conditione et lege naturae natos, ut moriamur. Sed de his satis et fortasse plura quam debui. Venio ad annales Capellae, qui quales sint non opus est referre, tales autem ipse esse existimo, quod Merula laudatore non egeant nec malevolorum virulentia contaminari possint. Verum de hac re tuo me ipse iudicio, quum opus ipsum sit quod Graeci dicunt *προχειρον*, submitto: illud unum tamen ausim polliceri, nihil esse videlicet fidelius scriptum, cum esset a secretis Francisci Sfortiae, tum quod haec quae his voluminibus comprehenduntur partim tractarit, partim et ipse viderit. Castissime autem omnia monumentis tradidit: non enim spe quaestus, ut inquit quicunque ille fuerit author rhetorices ad Herennium, aut gloria commotus ad scribendum venerat, sed ut posteris eorum quae hac in Cisalpina Gallia inter Caesarem et Gallorum regem gesta sunt consuleret, ut esset et ampla et vera scripturis postmodum materia. Amplexare igitur animo hilari Galeatii Capellae praeclaras historias, et [3]) quem viventem unice dilexisti mortuum nunc etiam declara te quoque diligere. Bene vale et Merulam tui studiosissimum qui modo Capellae fato vacat loco repone. Mediolani XII. kal. Januarii MDXXXVII.

Etsi novissima tua epistola, quis in Galeatium Capellam dum adhuc in humanis degeret fueris, amplissime testatur, noluit tamen nobilis et egregius vir Petrus Merbelius, Caes. a secretis, quantum adhuc Galeatium tuum nunc emigratum amaris, veneraris interque immortales connumeraveris, suo testimonio quod ille reddidit locupletissimum deesse. Iterum vale.

---

[2]) Cod. esse. — [3]) Cod. vt.

Register.

a. Briefe Scheurl's

an:

Alberti, Johann. Nr. 121.
Amsdorff, Nicolas v. Nr. 62. 68. 77. (82?) 143. 151. 196.
Apel, Johann. Nr. 106.

Bayer, Chriſtian. Nr. 77.
Beckmann, Otto. Nr. 61. 64. 65. 68. 69. 70. 72. 73. 77. 85. 86. 96. 101. 104. 105. 107. 142. 147. 170. 174. 176. 181 (Bd. II. S. 67 u. S. 69). 189. 194. 198. 199. 201. 203. 205. 213. 216. 219. 222. 227. 253.
Behaim, Lorenz. Nr. 130.
Bodenſtein ſ. Carlſtadt.
Buck, Hieronymus. Nr. 5.
Burkhard, Peter. Nr. 206.

Capella, Galeazzo. Nr. 246. 256.
Carlſtadt (Andreas Bodenſtein). Nr. 40. 77. 125. 152.
Cochleus, Johann. Nr. 111.

Decius, Jobſt Ludwig. Nr. 235.
Dinſtedt, Ulrich v. Nr. 39. 42. 43. 49. 119. 138. 148. 158. 176. 217.
Dolz, Johann. Nr. 77. 88. 141. 146. 195. 221.

Eck, Johann. Nr. 108. 109. 115. 123. 127. 144. 155. 162. 163. 165. 177. 187. 192. 197. 210. 279.
Emerich, Caſpar. Nr. 10. 11

Fütterer, Georg. Nr. 9.

Gattinara, Johann Bartholomäus von. Nr. 212.
Gauricus, Lucas. Nr. 15.
Güttel, Caſpar. Nr. 118. 160.

Haindel, Andreas. Nr. 166.
Heidelberg, juriſtiſche Facultät zu. Nr. 99.
Henlein (Johann?). Nr. 1. 28.
Heß, Johann (zu Breslau). Nr. 74.
Heß, Johann (zu Freiburg). Nr. 80.
Hugo, Paul. Nr. 14.
Huthenne, Paul. Nr. 36.

Karl V., Kaiſer. Nr. 281.
Ketzmann, Johann. Nr. 129. 134.
Kollin, Ulrich. Nr. 30.
Könneritz, Heinrich v. Nr. 244.
Kratis, Nicolaus. Nr. 113.

Leib, Kilian. Nr. 154.
Leimbach, Georg. Nr. 41.
Luther, Martin. Nr. 114. 124. 139. 150. 182. 186. 190. 201. 207.

Mainz, Albrecht, Erzbiſchof v. Nr. 237. 238. 241. 249. 251. 252. 261. 271. 274. 275.
Melanchthon, Philipp. Nr. 173. 185. 193. (200?) 202. 214.
Melchior, Mag. Nr. 80.
Merbelius, Petrus. Nr. 280.

Neudecker, Paul. Nr. 263. 273.
Nürnberg, Rath zu. Nr. 3. 239.

Oecolampadius, Johann. Nr. 204. 211.

Peutinger, Conrad. Nr. 156. 236.
Pinder, Ulrich. Nr. 171. 179. 183. 191.
Pirckheymer, Wilibald. Nr. 51.
Piſtoris, Simon. Nr. 32.
Pollich, Wolfgang. Nr. 37.
Pömer, Hector. Nr. 218. 220. 223. 225. 226.

Rhagius, Johann. Nr. 167.
Rüdinger, Johann. Nr. 95. 97.

Sachſen, Friedrich, Herzog v. Nr. 267.
Sachſen, Georg, Herzog v. Nr. 242. 243. 247. 248. (250?) 255. 257. 258. 259. (264?) 266. 270.
Sbrullius, Richard. Nr. 58. 59.
Scheurl, Johann. Nr. 79.
Schleynitz, Ernſt v. Nr. 33. 35.
Schutz, Georg. Nr. 29.
Siber, Peter. Nr. 2. 22.
Spalatin, Georg. Nr. 45. 52. 55. 57. 63. 67. 77. 84. 92. 126. 140. 149. 161. 169. 172. 175. 176. 180. 184. 208. 215. 224.
Stadion, Chriſtoph v. Nr. 131.
Staupitz, Johann v. Nr. 34. 75. 91. 117. 159. 178. 188.
Stella, Erasmus. Nr. 132. 135. 136.

Taegius, Amicus. Nr. 228. 230. 232. 233. 234.
Trautenberg, Georg. Nr. 8.
Truchſeß, Erhard. Nr. 93. 128. 153. (282?)
Trutvetter, Jodocus. Nr. 44. 47. 48. 50. 53. (54?) 56. 60. 66. 71. 76. 78. 81. 83. 87. 89. 90. 94. 98. 100. 102. 103. 110. 112. 116. 122. 137. 145. 157. 164.
Tucher, Sixt. Nr. 4. 6. 7. 12. 13. 16. 17. 18. 19. 21. 23. 25. 26. 27.

Ungenannt. Nr. 31. 46. 54. 82. 200. 240. 245. 250. 260. 262. 264. 265. 268. 269. 272. 276. 277. 282.
Uſingen, Bartholomäus. Nr. 120.

Vento, Antonio. Nr. 229. 231.
Vogel, Leonhard. Nr. 24. 38.

Wild, Stephan. Nr. 278.
Winsheim. Nr. 209.
Wittenberg, Rector und Senat zu. Nr. 168.
Witzel, Georg. Nr. 254.
Zinner, Nicolaus. Nr. 133.
Zurzach, Lic. Nr. 80.

b. Andere Schriftstücke.

Die kaiserlichen Gesandten an Alfons von Ferrara. Nr. 20.
Bernhard von Gleß an Chr. Scheurl. Anh. Nr. 2. 3.
Gaudentius Merula an Chr. Scheurl. Anh. Nr. 4.
Chr. Scheurl's Bericht über des Raths zu Nürnberg Schenkung an den päpstlichen Orator Erzb. Pimpinelli. Anh. Nr. 1.

In demſelben Verlage ſind früher erſchienen:

Scheurl's, Chriſtoph, Briefbuch. Ein Beitrag zur Geſchichte der Reformation und ihrer Zeit, herausgegeben von Franz Freiherrn von Soden, fürſtlich-ſchwarzburgiſchem Oberſt-Lieutenant a. D. zu Nürnberg und J. K. F. Knaake, Lehrer und Prediger am Cadettenhauſe zu Potsdam. I. Band: Briefe von 1505—1516. broch. 1 Thlr.

Staupitzens, Johann von, ſämmtliche Werke, herausgegeben von J. K. F. Knaake, Lehrer und Prediger am Cadettenhauſe zu Potsdam. I. Band: Deutſche Schriften. broch. 1 Thlr. 20 Sgr.

Reichardt, Dr. A., die ſittliche Lebensanſchauung des P. Ovidius Naſo. broch. 10 Sgr.

Cauer, Dr. Eduard, über die Flugſchriften Friedrichs des Großen aus der Zeit des ſiebenjährigen Krieges. broch. 8 Sgr.

Buttmann, Alexander, die griechiſchen anomalen Verben in ſyſtematiſcher Folge. Als Anhang zur Buttmann'ſchen griechiſchen Grammatik. 2te bearb. Auflage. broch. 4 Sgr.

Ritter, Prediger. Gedächtnißpredigt für Dr. Heinrich Elteſter, Prediger an der Heiligen Geiſtkirche zu Potsdam, gehalten am 17. Januar 1869. 9 Sgr.

Rogge, B., Königl. Hof- und Garniſonprediger, eine Jubiläumsfeier am Sarge, Predigt bei der Beerdigungsfeier des Königl. Hofpredigers Herrn D. F. W. Krummacher in der Hof- und Garniſonkirche zu Potsdam, am dritten Adventsſonntage, den 18. Dezember 1868. 3 Sgr.

Mittheilungen des Vereins für die Geſchichte Potsdams. Im Auftrage deſſelben redigirt und herausgegeben von L. Schneider, Königl. Preuß. Hofrath und Vorleſer Sr. Maj. des Königs ꝛc. Bd. I—IV. à Bd. 3 Thlr. und V. Bd. 1. Heft 1 Thlr.

Gedruckt bei Albert Arndt in Potsdam.

89040412553

b89040412553a

DEMCO



G. E. STECHERT & CO. NEW YORK

Digitized by Google


b89040412553
b89040412553a